[illegible]

6
6-d
6

6
3 E
6

O 6.13

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA RHETORUM

PRÆCEPTA ET EXEMPLA COMPLECTENS QUÆ AD POETICAM FACULTATEM pertinent,

DISCIPULIS PARITER AC MAGISTRIS perutilis.

AUCTORE

P. GABRIELE FRANCISCO LE JAY,

E' SOCIETATE JESU.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARS POSTERIOR.

Ex Libris PP. Congreg. [illegible] Coll. S. M. in [illegible]

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, MDCCXLVII.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

PARS hæc Bibliothecæ noſtræ Poſterior Poeſim, &, quæ ad eam pertinent, ſedulò pertractat. Præceptis illa continetur & Exemplis, quibus in unoquoque Poematum genere erudiri ſtudioſæ Juventutis ſolertia, & in eandem inſtituendam Magiſtrorum ipſorum labor poſſit adjuvari.

Poſtulat primùm inſtituti à nobis ordinis ratio, ut, quemadmodum Priori Bibliothecæ noſtræ Volumini, quod Orationes præſertim complectitur, Rhetoricam præfiximus, quæ Oratoriæ Artis Præceptiones & exempla traderet, ita Poſterius hoc Volumen, quod Carminibus continetur totum, præcedat Poetica, quæ Poeticæ facultatis Leges ſuis pariter Exemplis inſtructus præſcribat. Quam verò ſecuti ſumus in Rhetorica ſcribenda rationem, hanc in exaranda Poetica tenebimus; ut, quæ Poeſim generatim & univerſè ſpectant, ſuntque Poematis omnibus communia, prætermittamus ultro; quia hæc ipſa apud Ariſtotelem, Horatium, & recentiores bene multos fuſiùs agitata nihil deſiderandum ulteriùs relinquunt. Quod autem ſpeciatim ac definitè de unoquoque Poemate diſputatur, id, quoniam officii noſtri rationem potiſſimùm attinet, breviter præſtare conabimur.

Igitur hoc proponimus nobis in Poetica, ut claram exploratamque uniuſcujuſque Poematis notionem atque intelligentiam afferamus primùm; Deinde ſcrutemur partes ſingulas, quibus illa Poemata componuntur. Tum exactas ab Ariſtotele cæteriſque rerum iſtarum præſtantiſſimis Scriptoribus ſubjiciamus regulas, & iiſdem utendi feliciter viam ac modum oſtendamus. Denique veteres Poetas tam Græcos, quàm Latinos, qui in vario ſcribendi genere excelluerunt, ſuo quemque ordine deſignabibus. Eorumdem patriam, ætatem, ſcripta, & noſtrum de ſingulis ex eruditorum Criticorum mente judicium proferemus.

Diverſa Poematum genera, quæ Poeſeos nomine cenſentur, revocari ad novem ſolent. Epicum ſcilicet, Tragicum, Comicum, Paſtorale, Didacticum, Elegiacum, Satiricum, Lyricum, Epigraphicum: de quibus ita ſeorſum dicemus, ut in Capita totidem diſtributa tractentur.

Præcipuum in hoc poſteriore Bibliothecæ noſtræ Volumine Li-

ber Dramaticus locum occupat. Nam cum ratio muneris, quo defuncti ſumus per tot annos, neceſſitatem impoſuerit edendi frequenter Theatrales Ludos; partem hanc Poeſeos, quæ Theatrum attinet, diligenti præter cæteras ſtudio verſavimus. Præceptiones in Poetica tradidimus, quæ cùm ad Tragœdiam, tum ad Comœdiam rite conformandam pertinerent. Hic Exempla ſufficimus non petita aliunde, ſed è fundulo noſtro profecta, quibus pro virili parte eorum Laborem adjuvaremus, qui ad ſcribendas Latinè Tragedias vel Comœdias accedunt.

Magnum Theatro Gallico decus ac ſplendorem Cornelius ac Racinus contulere; quorum ſtudio atque opera in eam dignitatem evaſit, ut veteris Græciæ gloriam æmularetur: cui, ſi quid ultra videatur optandum, unum hoc precari liceat, ne qui deinceps Tragœdias exarabunt Galli Scriptores, à terendis utriuſque veſtigiis unquam declinent.

Non habuit Latina Tragœdia tam idoneos auctores: nec ipſa Roma celeberrimis alioquin in unoquoque ſcribendi genere Scriptoribus tam ferax quemquam oſtentat, quem præclari operis ducem ſequi tutò poſſis. Jambus quidem Verſus, quem adhibet Tragœdia, eximium exemplar in Seneca, & aliis quorum Tragœdiæ ſub Senecæ nomine vulgatæ ſunt, & dignam Cothurno majeſtatem offert. Petavius & Malapertius Jambicæ dignitatis æmuli, nihilo Seneca inferiores Tragicæ dictionis vim & elegantiam venturis ætatibus imitabilem tranſmiſerunt. Verùm quem demum reperire eſt tam longa temporum in ſerie, unum ſi Liſimachi Cyrique auctorem excipias, qui Tragœdias Latinas vulgaverit ad eam normam exactas, quam ſecuta Græcia eſt, quam & Noſtrates Galli excepere?

Hinc ego confidentior fortè, quàm par erat, animum induxi meum Tragœdias è meis aliquot edere, quas receptis hodie apud æquos rerum Tragicarum æſtimatores legibus, ita conatus ſum accommodare, ut veterem ac genuinam Tragœdiæ formam referrent. Quæ ſi parem vulgatis jam ante aliquot annos Dramatis fortunam habituræ ſunt, nihil erit, quod tentaſſe rurſum diſcriminis aleam me pigeat.

Tam ſacra, quàm profana ex hiſtoria mutuatus ſum ſcribendi materiem, quòd in utraque refertiſſimam heroicis quibuſque ac tenerrimis affectibus ſegetem expertus ſim. At nemo deprehendet uſpiam noſtris in Tragoediis frivolas Amaſiorum perturbationes ac nænias, quas neque vetus Græcia ſuam in ſcenam admiſit, neque ipſa Tragediæ majeſtas patitur. Hic verò addere liceat, ſalva Tragœdiarum illarum reverentia, quas Viri de Literaria Republica bene meriti priore ſæculo emiſerunt, in earum pleriſque vim heroicam infirmari pluſculum; dum Heroes Viri præter modum indulgent amori tenero, qui præter actionem pri-

primariam & Tragicam dignitatem per vim intruſus ut plurimùm, unis ſenſati malè vulgi faſtidiis medendo videtur adhiberi.

Mixtæ Tragœdiis noſtris occurrent Comœdiæ partim Verſibus, partim oratione ſoluta exaratæ; quæ furtivas amantium artes, quibus tota pœne Comœdia nititur, etſi nuſquam obtrudunt, aliquam olim apud cordatos viros laudem meruere. Adeo genus iſtud Dramatis ludere feliciter & jocari cum plauſu in aliis argumentis poteſt, & ab exhibendis juvenum inſanientium curis laudabiliter abſtinet.

Non leve confert cùm Tragœdiæ tum Comœdiæ decus & ornamentum muſica. Hanc adhibeant Tragœdi veteres, ad delaſſandos audientium animos, & à ſeria, quam Auctores Tragœdiæ peperant, contentione recreandos. Impoſitum fuit Muſicis cantibus Chori nomen, qui celebrandis Heroum, qui prodibant in ſcenam, rectè factis natus, virtutis amorem incendebat. Subjecimus aliquot Exempla Lirici carminis, quod ipſos actus intermedium & numeris aptatum Muſicis decantari poſſit.

Differt Paſtorale Carmen tam à Tragico quàm à comico cùm argumenti genere quod tractat, tum varietate perſonarum, quas adhibet. Actum de illo ſingulariter in Poetica ſolemnis porro inter cæteras ſcribendi Paſtoralis Carminis occaſio ſe nobis obtulit, cùm Philippus Franciæ Andegavenſium Dux in Regem Hiſpaniarum poſtularetur. Tunc editum fuit à nobis Carmen illud Paſtorale, poſtquam lætiſſimum tum Pariſiis, tum in primariis Galliæ urbibus ſpectaculum exhibuiſſet.

Denique, ne quid prætermiſſum à nobis quod pertineat ad Dramaticam Actionem, videri poſſit, Opuſculum de Choreis Dramaticis ſubjungimus. Non eſt Chorea quid novum & inventum recens, cum ex antiquiſſimis monumentis conſtet, Saltationem fuiſſe omnium temporum. Imò quam habemus hodie genuinam ac germanam Choreæ notionem ac formam, hanc longiſſimæ retro vetuſtati acceptam debemus. Mirum eſt tamen in tanta diuturnitate temporum neminem extitiſſe, qui ad erudiendum Lectorem ſaltationis Dramaticæ curioſum ſatis commodè ſcripſerit. Hinc factum eſt, ut in Choreis bene multis, quæ poſterioribus præſertim ſæculis editæ ſunt, plus ingenii, quàm ordinis atque diligentiæ efflorеſcat; quia nemo ſe obtulit, quem dramatici iſtius operis artifices ducem ſequerentur. Utinam Auctor ipſe Gallicæ Diſſertationis * de Veteribus & Novis Choreis, quæ ſub finem prioris ſæculi prodiit, certam aliquam & expeditam docendi viam iniiſſet; & in Choreas bene multas, quas Libello complexus eſt, diligentiorem criticam exercuiſſet! Quare operæ pretium duximus apponere quidem lucro, quæ ſcripſit ille ſcienter & copioſè; ſingularem verò de Choreis inſtituere Tractatum, qui ſit ad regulas Artis exactus. Igitur Dramaticæ Saltationis Origi-

* P. Meneſtrier.

nem,

nem, Naturam, Definitionem, Materiam ac Formam exponemus primùm. Varias deinde Chorearum ſpecies, nomina, virtutes enucleabimus. Tum ſingularum diſpoſitionem, ſtructuram, artem ita deſcribemus, ut ad earum ſimilitudinem cujuſcumque generis Choreæ informari poſſint. Mox agitabimus paucis quantùm ad Chorearum vel magnificentiam, vel oblectamentum conferant Carmen & Cantus, quibus inſtructa ſaltatio nonnunquam incedit. Denique proferemus exempla more noſtro, & quas olim ad decorandam ſcenam, cum hæc nobis provincia obtingeret, Choreas inſtruximus, Literatorum hominum judiciis permittemus.

Librum Dramaticum ſubſequitur Heroicorum Carminum Liber, quibus commiſſam olim inſtitutioni noſtræ Juventutem ad Poeſim informabamus. Non ſunt illa quidem operæ longioris Poemata, at neque prolixiora eſſe eadem decuit, quæ ſcribendi modum rationemque traderent. Nam monere id obiter velim, nulla re ſtimulari magis juniorum Poetarum induſtriam, quàm ſi in argumento brevi verſentur, & novam ſingulos in dies Carminis materiam elaborandam habeant; quibus ſi continuam rerum earumdem ſeriem tractandam offeras, nauſeam procul dubio atque faſtidium paris. Equidem ſcio, unde creſcit Diſcipulorum ſatietas, inde Magiſtrorum laborem imminui; neque tam operoſum eſſe quiddam, dictare poema longius, quod habeas ad manum, quam recentis quotidiè opuſculi fieri artificem. Verùm an tanto labor ille computandus in loco, qui natam ad Literas indolem promoveat, aut eſſe quidquam poteſt homini officiorum ſuorum amanti, quàm rei bene geſtæ conſcientia jucundius?

Quæ porro proponimus exercendæ juventuti Carmina ſuum tam ſacris, quàm profanis Literis argumentum debent. Neque enim vel in iſtis Exercitationibus oblatum identidem ingenerandæ teneris animis Religionis locum par eſt præterire. Eſt in Teſtamento veteri pariter ac novo, eſt cum in Græca tum Romana hiſtoria, eſt in Fabula nativæ Poeſeos fons inexhauſtus, qui ſcienter ac ſedulò rimantibus deeſſe nunquam poſſit. Adjecimus non pauca meræ fictionis opuſcula, quæ cudendis proprio marte Poematis ſic Poetam erudiant, ut aliena terere veſtigia ultro abſtineat.

Non in ſolis verſibus heroicis probatur Poetarum ſolertia. Reliqua quamvis inferioris cujuſdam ordinis meritò cenſeantur, non tamen decet quemquam Poeticæ artis ſtudioſum in iis aut intelligendis, aut tractandis hoſpitem ac peregrinum videri. Cui malo ut iremus obviam, non habuimus ſatis de quocumque Carminum genere in Poetica noſtra diſſerere, niſi ſpeciem eorumdem aliquod hìc ederemus.

Nec prætermitti à nobis Fabula aut Epigramma debuere. Fabulam non commendat majeſtas quædam ac vis enthea, quæ Poetas facit. Unam ſibi amœnitatem nativumque leporem vindicat,

& cæ-

& cæteris Poeſeos virtutibus ultro caret. Quare adornata rite Fabula non eſt tam opus ſublimis ac vividæ mentis, quam benignioris ingenii, cui præeſt Natura dux, cujus ſenſus ac vocem ita temperat ac regit, ut ſentire Naturam ipſam credas ac loqui. Pauci fuere ab Auguſti temporibus Latini Fabularum Scriptores, qui leporem Fabulæ ingenuum attigerint. Cujus ego ſi quam videri poſſim adumbraſſe imaginem, nihil me collocatæ in ſcribendis Fabulis operæ pœniteat.

Non tam ardui res Laboris eſt Epigramma. Nam cum brevis illius Poematis vis ac gratia in fortuito ingenii partu ſit poſita, vel ex conflictu aut ambiguitate verborum exſurgat, nemo eſt tam adverſis Muſis natus, qui obviam operis ejuſmodi laudem ambire confidenter non poſſit. Tamen momenti levis haberi non debet iſthæc exercitatio, quæ juvenilem acuit induſtriam, ingenii igniculos excutit, incendit animos, & meditandi patientes facit, adeo fallit laborem injecta ſpes gloriolæ, quam excogitatum aut dictum acutè quidpiam auctori ſuo pepererit. Unus in ea re vitandus diligenter ſcopulus, ne ſentiendi & acute dicendi prurigo mala præſcriptos Epigrammati fines excedat, quos ultra ne ferendum quidem acumen eſt. Hoc monendi tanto cautiùs ſtatim à puris quicumque humaniores Literas capeſſunt, quòd apud pleroſque nemo ingenioſus audiat, niſi qui leves iſtas argutias in omni ſcribendi genere conſectetur.

Fuit quondam Heroicum Symbolum politioris ingenii ſpecimen. Regnabat Ars illa ludicris in certaminibus, in Equeſtribus Ludis, in ſolenni quocumque apparatu, quem vel lætitia vel luctus adornarent; in ædificiis cùm publicis tum privatis, in ſupellectili, in veſtibus. Denique Symbolicæ figuræ tantam apud omnes commendationem obtinuerant, ut diſertiùs multo venuſtiuſque, quàm lingua ipſa, loquerentur. Nunc autem etſi tam frequenti in uſu eſſe deſierunt, ſuus tamen Symbolis honos aut gratia non deceſſit; neque vulgari hodieque ponuntur in loco, quæ opportune & cum dignitate naſcuntur. At quoniam verſibus adornata plerumque prodeunt, aut certè Poetarum vocem imitantur, hanc ſibi Artem Poeſis vindicát, nec eandem decuit in Bibliotheca noſtra ſilentio præteriri.

Qui vixere florentiſſimis Heroicorum Symbolorum temporibus Buhurſus & ille, cui à Monacho * nomen eſt, diſertè ac ſcienter ambo de Arte Symbolica ſcripſerunt. Sed Buhurſus inprimis, qui colloquentes variis de argumentis Ariſtum & Eugenium induxit, tam diligenter in uno eorum Dialogo, tam magnificè, tam eleganter rem Symbolicam tractavit, nihil ut feliciſſimis ac politiſſimis ingeniis adjiciendum reliquerit. Tamen quæ præcipit Scriptor perelegans, cum hæc ſparſa promiſcuè toto opuſculo, uti fieri neceſſe eſt, inter eos qui non me-

* P. Le Moine.

ditati

ditati ad colloquendum accedunt, & ſubtiliori ſint eadem diductâ filo, quàm ut ab imperitis rerum iſtarum tam facilè advertantur, non ſupervacaneum fore eum laborem exiſtimavi, ſi; quæ ad Symbolicam artem pertinent ſub peregrino cultu rurſum collecta, Didacticum in ordinem reducerem.

Quare Diſputationem hanc ſic inſtituam, quivis ut intelligat; quid ſit Heroicum Symbolum; quos in uſus adhiberi ſoleat; quibus contineatur partibus; quæ ſint virtutes illius ac vitia; quot ſpecies numerentur; unde veniat eidem gratia & admiratio; quid ſentire oporteat de quibuſdam Symbolis, quæ non exacta penitus ad regulas artis plurimùm ab elegantia, lepore, magnificentia commendationis invenerunt. Addam è fundo noſtro adornata verſibus Symbola non pauca, quibus olim procreandis rerum ac temporum opportunitas præfuit.

Toti operi coronidem imponet brevis tractatus de Ænigmate in Picturis. Ænigmatis picti Explicatio genus eſt Exercitationis minùs notum apud vulgus hominum, præſertim apud gentes exteras, quia vix in uſu eſt præterquam in Gallia, aut etiam extra Collegiorum noſtrorum fines exemplum habet. Nihil ſciam tamen quod ſapere magis debeat politioris Literaturæ amantibus; adeo ſi qua eſt divitis ingenii vena, ſi quis uſpiam amœnitatis & elegantiæ fons, in hac palæſtra ſe prodit.

Ænigma pictum quiſquis explicandum habet, is ipſi labor incumbit, ut Picturæ, ſive hiſtoricæ, ſive fabuloſæ verbum accommodet, quod cùm actioni, tùm perſonis, quæ repræſentantur in Tabula, conveniat. Totum porro hujus Exercitationis artificium in eo vertitur, ut, quæ res Picturæ affingitur, niſi placeat ex ſe ſe, ſaltem ab Adjunctis vel loci, vel temporis, vel ſpectatorum, vel actoris ipſius conciliet animos, & lætam jocandi lepidè ac jocularitet ſegetem ſuppeditet; ut rationes convenientiæ Tabulam inter & Verbum Ænigmatis cum ingenuo veriſimilitudinis colore efferantur; ut quæ ad aſtruendam fidem inveneris, majorem ab exquiſito dicendi lepore, quàm ab ipſo Verbo vim habeant; ut ſparſum hinc & inde, breve id quidem, at vividum venuſtumque & ſuo poſitum in loco carmen niteat; ut neque temperetur honeſtis ſalibus, aut etiam Satira, quæ concinna ſit & innocua. Hæc & alia multo plura noſter de Ænigmate Liber evolvet: quem eo lubentiùs curioſus Lector fortè excipiet, quod intactum pœne tam priſcis, quàm novis ſcriptoribus argumentum agitamus.

Quod ſub obſcuris comprehenſum verſibus Ænigma proponitur, magnam habet cum Picto neceſſitudinem. Huc etiam refer Griphos, Logogriphos & ludicrum Ænigmatis genus, quod REBUS vocant. Adjiciemus pauca de ſingulis, & ad totum operis complementum, explicandi Ænigmatis formam in variis Exemplis tradimus.

POETI-

POETICA
VARIA POEMATUM GENERA
COMPLECTENS,
ET BREVEM POETARUM CUM GRÆCORUM tum Latinorum, qui in unoquoque Carminum genere excelluerunt,
NOTITIAM.

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPUT PRIMUM.

De Carmine Epico ſeu de Epopœja.

ARTICULUS PRIMUS.

De Epopœja Nomine ac Definitione.

EPOPOEJA vox Græca eſt, eaque compoſita ex vocabulo duplici, quorum alterum eſt ἔπος, *verbum*, alterum ποιέω, *facio* ſeu *fingo*. Per Epopœjam, Poeſim illam intelligimus, quæ Carmine Hexametro Heroum res geſtas tractat : nam etſi ἔπος ſumptum univerſe verbum ſive locutionem ſignificat, ſpeciatim tamen poeticæ locutioni tribuitur, & ob excellentiorem quemdam modum fit eorum proprium, qui ceteros inter Poetas præclara Heroum facta Hexametro Carmine narranda ſuſcipiunt : quos ob eam rem Tullius Epicos vocat *Libro de optimo genere Oratorum*.

Hac ſemel nominis Epopœjæ interpretatione recepta, in promptu eſt ad ipſam Epopœjæ definitionem devenire. Eſt enim Epopœja Poeſis, quæ Carmine Hexametro illuſtres Perſonarum illuſtrium actiones narrat. Quod utrumque his verſibus complexus eſt Horatius *in Arte ſua Poetica*.

Digitized by Google

Res geſtæ Regumque Ducumque & triſtia bella,
Quo ſcribi poſſent numero, monſtravit Homerus.

Hæc definitio Materiam & Formam Epopœjæ continet & explicat. Materiam quidem; eſt enim illuſtris actio Perſonæ illuſtris. Formam verò, quæ narratio eſt Hexametro Carmine exornata. De Materia primum, de Forma deinde diſſeremus.

ARTICULUS II.

De Materia Epopœjæ.

Eſt igitur Epopœjæ materia, actio quædam in qua tractanda Epopœja verſatur. At cujuſmodi actio illa ſit, & quas habere virtutes debeat, operæ pretium eſt diligenter perſcrutari.

ACTIO UNA. Ac primùm quidem actio illa una ſit oportet. Nam etſi in Epico Poemate multiplices variæque narrantur actiones, non illæ tamen ſic pertinent ad Poema tanquam materia ipſius propria, ut abeſſe ab eo non poſſint; aut, ſi quam habere videantur cum Poemate ipſo neceſſitudinem, propter quam prætermitti non debeant, hanc non habent à ſe ipſis, ſed ab actione quadam primaria cui referuntur, quam & unam Poema reſpicit, & in qua pertractanda una præſertim occupatur. Verùm hæc videri fortè poterunt obſcuriora, niſi exemplorum appoſitione illuſtrentur.

Alterum è ſuis Poematis Iliadem, alterum Odiſſeam Homerus cum inſcripſit, non fuit hoc Poetæ propoſitum, ut vel omnia, quæ per longam decennii obſidionem geſta ſunt apud Ilium, narraret, vel integram Ulyſſis vitam poneret ob oculos; ſed unam ſimplicemque in utroque actionem ſpectavit. In Iliade ſcilicet Trojanæ urbis excidium; in Odyſſea reditum Ulyſſis in patriam receptamque ab eo, Procis interfectis, familiam ac domum. Cætera quæ totis viginti quatuor operis gemini Libris Homerus refert, hæc non attingit, niſi ut Actiones ſecundarias, quæ primariæ, utriuſque Poematis actioni ſerviunt, & ſine quibus, neque Trojanæ urbis excidium, neque felix Ulyſſis reditus in patriam narrari commode potuiſſent.

Ita ſecutus Homerum Virgilius, unam in Æneide ſua referendam ſumpſit actionem; nimirum adventum Æneæ in Italiam, & novum ab eo fundatum in iſtis regionibus Imperium. Longas verò Trojani Principis peregrinationes, varios periculorum caſus, confecta feliciter cum Turno bella, Latinus Poeta non exequitur, niſi quod pertineant ad actionem primariam, & ad pacificum in Italia regnum Æneæ vindicandum conducant.

Ut autem Epopœjæ una eſſe actio debet, ita unus tantùm Heros eligendus eſt in Epici Carminis argumentum. Hinc verò quotquot adjunguntur milites ac ſocii, nec rerum gloria pares, multò minùs ſuperiores repræſententur. Imo illuſtriora quæque facta tribuantur illi ſemper, non alteri. Quare culpandus videbitur Torquatus Taſſus, qui, ſi quid eſt in Hieroſolymitana obſidione arduum, ſi quid magnum, & illuſtre, id Reginaldo, id Tancredo, id Raymundo vindicat; Godefrido verò Heroi ſuo tribuit fere nihil. Quin etiam abſente Reginaldo Godefridus de ſolvenda obſidione deliberat, eodem redeunte inſtaurantur omnia, animus militibus, victoria Imperatori accedit, urbs ipſa oppugnatur. Quo quid tam ab Homerico quam à Virgiliano Poemate magis alienum? Peccavit etiam Statius in ſua

Achil-

Achilleide, qui non actionem unam aliquam Achillis, ſed vitam Herois totam perſecutus eſt. Itaque actionem unam & Heroem unum Epopœja requirit; quod ipſum præſcripſiſſe Horatius in *Arte* viſus eſt:

Denique ſit quodvis ſimplex duntaxat & unum.

ACTIO TOTA. Deinde Actio Epopœjæ tota ſit oportet atque integra; ita ut de Heroë ſuo, quod Poeta ſe dicturum pollicetur, id expediat totum. Sic Homerus everſionem Trojæ in Iliade, in Odyſſea Ulyſſis reditum & rerum ipſius recuperationem tam ſolerter deſcribit, ut propoſitum in utroque Poemate conſilium exſequatur. Sic Virgilius Æneam ſuum per varios caſus deducit in Latium, nec eundem dimittit, donec confectis feliciter bellis terra illa potiatur.

Hoc etiam ſenſu Actio Epopœjæ tota dicitur, quod partes habeat. Partes autem illæ, ſunt Actiones ſecundariæ, quas cum primaria ſic unIri neceſſe eſt, uti mox dicemus, ut ex omnibus unum quid ac totum reſultet.

ACTIO VERISIMILIS. Tertio. Id verò in Actione Epopœjæ longe graviſſimum, ut veriſimilitudini diligenter conſulatur. Qua in re Poeta differt ab Hiſtorico. Is enim res, uti geſtæ ſunt, exponit, ille quales fieri potuerint. Quod ſi quid alienum à veroſimili fingatur nonnunquam audacius, id in Epiſodiis, ſeu ſecundariis Actionibus, non in Actione primaria liceat. Quare non excuſandus Homerus videretur, cum equos exhibet in Iliade qui de futuris rebus cum Achille colloquuntur; cum refert in Odiſſea Ulyſſis comites ex hominibus in porcos, & è porcis in humanum rurſus habitum tranſiiſſe: neque venia dignus Virgilius foret, cum finxit ex arbore enatum fuiſſe ramum aureum, è cadavere Polydori effloruiſſe virgulta, mutatas Æneæ naves in Nymphas marinas, niſi ambo ejuſmodi rerum portenta, quæ fidem omnem ſuperant, epiſodicis ac ſecundariis Actionibus concluſiſſent.

ACTIONIS MAGNITUDO. Quartò. Magnitudo Actionis Epopœjæ æſtimari poteſt, vel ex numero verſuum, quos Epicum Poema complectitur, vel ex diuturnitate temporis, quo actionem ipſam peragi oportet. Quod ſpectat ad primum, octo vel novem Tragœdias numero verſuum Carmen Epicum æquare poteſt. Odyſſea continet verſus trecentos ſupra duodecim millia; Ilias quatuordecim millia & nonaginta tres verſus, Æneis octingentos quinquaginta ſupra novem millia. Quod temporis magnitudinem attinet, cenſet Ariſtoteles petendam illam eſſe ex commodo & naturali tranſitu fortunæ unius in alteram. Quæ licet nullum Epopœjæ certum tempus definiant, tamen ſicut unius diei ſpatium Tragœdiæ, ita Epico Poemati annus circiter unus permittitur. Iliadi conceſſit Homerus annum; Æneidem anno minùs uno Virgilius complevit. Odyſſeæ vero Actio vix duorum menſium ſpatium requirit.

ARTICULUS III.

De Epiſodiis ſeu de ſecundariis Actionibus.

Epiſodium, ſi mera Græcæ vocis, ἐπεισόδιον, ſpectetur ætymologia, dicitur id omne, quod extra cauſam eſt & inſertum. At quoniam latius patet ejuſmodi definitio, habenda eſt expreſſa magis Epiſodii notio, pro ut ad Epopœjam pertinet. Epiſodium igitur propriè Actiones illæ ſunt, quæ præter argumentum narrantur quidem, ſed argumenti ornandi gratia afferuntur; atque ita cum ipſo connectuntur argumento, ut Fabulæ partes fiant, ſed non neceſſariæ; quia abeſſe ab ea poſ-

ſunt. Rem planam magis in exemplis faciamus.

Adventus Æneæ ab urbe Ilio in Italiam & fundatum in iſtis regionibus ab eo Imperium, en Actio Æneidos primaria eademque neceſſaria, & una quam Virgilius enarrandam ſuſcipit. At hiſtoria Trojani excidii, quæ profectionem Æneæ anteceſſit, & quam Poeta fuſius exponit toto ſecundo ac tertio Poematis Libro, eſt Actio epiſodica, quæ prætermitti quidem potuerat, ſed quæ plurimùm confert ad Fabulæ totius ornatum; & pars ejuſdem fit felici nexu, quem ſolus Virgilius adhibet. Fingit enim Æneam actum tempeſtate appuliſſe in Africam, ubi à Didone exceptus humaniter, & rogatus etiam atque etiam rerum ſuarum ſeriem, temperare ſibi non poteſt, quin benigniſſimæ hoſpitis curioſitati abunde ſatisfaciat. Ejuſdem Æneæ deſcenſus ad Inferos viſendi Anchiſæ patris gratia, à quo poſteritatis ſuæ fatum edocetur, aliud eſt egregium inprimis Epiſodium, quandoquidem enucleandæ toti Romanæ Hiſtoriæ & Auguſti Cæſaris, cui placere præſertim Poeta ambiebat, celebrandis laudibus dat locum. Verùm quantumvis operi toti conciliet decus ac leporem iſtud Poetæ figmentum, tamen actionis epiſodicæ rationem non excedit, quia abeſſe potuit à Poemate, nec eidem inſeritur, niſi ad ornatum & gratiam. Neque verò aut alienum propterea cenſendum eſt, aut additum temere atque ex improviſo, cujus ſemina multò ante Virgilius jecerat; cum digreſſus ad Helenum Æneas ab eo didiciſſet, non fore ſe Italiæ compotem, niſi patrem apud Inferos conſilii in partem ſui adhibuiſſet.

In his porro fingendis Epiſodiis ſecutus Homerum Virgilius eſt. Ille enim in Odyſſea cum Ulyſſem expugnato Ilio conſtituiſſet primùm in Ortygia Inſula apud Calypſonem, ac deinde per pericula longe maxima deduxiſſet in Inſulam Corcyram ad Alcinoum Phæacum Regem, hic demum inter epulas Regi & incolis labores ac caſus ſuos narrantem inducit.

Hoc verò in Epiſodiis diligenter cavendum eſt, ne vel accerſita longiùs vel putidiùs affectata videantur. Etſi enim Epiſodium non eſt pars actionis primariæ neceſſaria, non alienum tamen à Fabula, ſed cognatum ac connexum eſſe cum ea debet. Quare Lucanus peccare viſus eſt, qui ſuam in Pharſaliam diſputationes inſeruit de rebus reconditis, exquiſitis illis quidem, ſed ab argumento ſuo prorſus alienis.

ARTICULUS IV.

De Forma Epopœjæ.

Forma Epopœjæ nihil eſt aliud, quam ornatus Actionis heroicæ. Ornatus autem ille quatuor veluti partibus conſtat; Fabula, Moribus, Sententia, & Dictione. Hoc articulo de Fabula diſſeremus.

FABULA. Fabula definitur Actionis heroicæ ſeu rerum narrandarum compoſitio. Actio ad Heroem pertinet, Fabula ad Poetam. Ulyſſes Procis interemptis uxorem, filium & bona recipit, en Actionem Herois. Homerus, id quod ab Ulyſſe geſtum eſt, certo ordine comprehenſum ac diſtinctum componit variiſque Epiſodiis exornat; en Fabulam, quam animam Poematis Ariſtoteles appellat. Fabula igitur eſt Actio ipſa culta & ornata. Quod ut rite Poeta præſtet; *Actionem*, inquit Ariſtoteles, *probe habeat animo comprehenſam & ſpoliatam Epiſodiis: addat deinde nomina, quæ perſonarum moribus atque officiis congruant; tum Epiſodiis, ac cæteris ornamentis, totoque apparatu poetico actionem cohoneſtet.*

Con-

Digitized by Google

Conſtituta ſemel Fabula, ſedulò ſpectare ejus partes oportet, quæ duæ omnino ſunt, & ab Ariſtotele vocantur *δέσις καὶ λύσις*, hoc eſt Connexio ſeu nexus, & Solutio. Connexio extenditur ab initio uſque ad eum Fabulæ locum, in quo commutatio fit à felicitate ad infelicitatem, vel contra ab infelicitate ad felicitatem: ſolutio à principio mutationis uſque ad finem. Pars utraque medio quodam conjungitur, quod ab eodem Ariſtotele *μετάβασις*, hoc eſt tranſitus dicitur.

Locus Epiſodiis ac digreſſionibus rarò eſt in ſolutione, ne Lectoris animus properantis ad finem langueſcat: verùm adhibentur ſemper in Connexione ubi rerum perturbatio eſt. Adeoque Connexio partim complectitur ea quæ rei propria ſunt, hoc eſt primariam Actionem, partim quæ non propria, ſed foris petita, qualia ſunt Epiſodia, ad amplificationem & ornatum adjecta.

Ad Connexionem ſeu nexum pertinent Propoſitio operis, & Invocatio. Poeta Epicus in Propoſitione unius tantùm Actionis meminit quam ſuſcipit tractandam. Homerus ſic Odyſſeam inchoat:

Dic mihi Muſa virum captæ poſt mœnia Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit & urbes. Hor. in *Arte*.

Virgilius ſic Æneidem aggreditur:

Arma virumque cano, &c.

In propoſitione abſtinendum ab omni ingenii doctrinæque jactantia, ab omni tumore & exquiſitiore ornatu. Hoc monet Horatius in *Arte*.

Nec ſic incipies, ut Scriptor Cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo & nobile bellum.

Propoſitioni ſubjicitur à Latinis Invocatio. Græci ab invocatione ordiuntur. Homerus in Iliade.

Μῆνιν ἄειδε θεά. In Odiſſea.
Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα.

Invocantur inprimis Juppiter, Apollo, Muſæ. Poetæ verò, qui non bella, ſed rerum naturam aut agriculturam tractant, Bacchum, Cererem invocant.

Altera pars Fabulæ Solutio eſt, quæ fit vel per Peripetiam, vel per Agnitionem, vel per utramque ſimul. Atque hinc oritur gemina Fabulæ conſtitutio. Alia ſimplex, quæ ſolam Peripetiam adjunctam habet; alia compoſita, quæ cum Peripetia & Agnitione conjuncta eſt.

Peripetia ex Ariſtotele eſt earum rerum, quæ aguntur, mutatio, ſeu tranſitus in contrarium, ſive mutatio hæc ſecunda ſit, ſive adverſa. Utriuſque exemplum in diverſis perſonis Homeri Odyſſea ſuppeditat. Nam Penelope & alii, qui ab Ulyſſe ſtabant, felices fiunt; Proci verò, qui rerum domini lapidabant Ulyſſis domum, infelices.

Peripetia nihil Ariſtotele teſte jucundius, maximè ſi ſubita & magna ſit. Magnam voco, ex qua rerum, fortunarumque mutatio conſequitur; ſubitam, quæ inopinata & præter expectationem accidit. Hæc verò fieri debet in perſonis, quarum priores ſunt in Fabula partes, & tum cenſetur omnium optima, quando ex vi rerum antecedentium naſcitur.

Porrò ſic pertinet ad Epopœiam Peripetia, ut abeſſe ab ea ſine vitio non poſſit. Reperitur illa in Odyſſea, uti jam obſervavimus egregiè conſignata tam in Ulyſſis familia, quam in Procis ejuſdem familiæ perniciem machinantibus. Habet etiam locum in Iliade, ubi Achillis vel abſentia, vel præſentia Græcorum pariter ac Trojanorum conditionem, aut deteriorem

aut meliorem efficit. Sectatus eſt illam inprimis Virgilius in ſua Æneide. Nam Æneas ab excidio Trojano per varios terra marique periculorum caſus Italiam tandem aſſequitur, graviſſimiſque bellis feliciter confectis tranquilla pace potitur.

Ex illa fortunarum commutatione oritur Πάθος, hoc eſt vehementes illi motus animi, quos Ariſtoteles in Epopœja præſertim requirit.

Alia ſolvendæ Fabulæ ratio per Agnitionem. Eſt autem Agnitio unius pluriumve perſonarum, poſt longi temporis ignorantiam cognitio, ex qua amicitia vel inimicitia oritur inter eos, qui felices ſunt, aut infelices. Agnitio porro duplex eſt: alia compoſita, qualis eſt Euripidis Iphigenia in Tauris; ubi Oreſtes & Iphigenia ſe mutuò agnoſcunt. Alia ſimplex, qualis in Odyſſea deprehenditur, ubi Ulyſſes à nutrice agnoſcitur, quam ipſe non agnoſcit, quia priùs hanc norat.

Verùm etſi Peripetia ſine Agnitione eſſe poteſt, Agnitio eſt aliqua ſine Peripetia; non tamen Agnitio ſola Epopœjæ convenit, niſi adjunctam habeat Peripetiam; eſt enim hæc, quæ maximam ad ciendos motus animi vim habet. Quemadmodum autem Peripetia laudabilior cenſetur illa, quæ vi cauſarum antecedentium provenit; ita Agnitio illa melior, quæ immutationi rerum advenit, & ab ipſa Fabulæ diſpoſitione producitur, quàm quæ à Fabulæ conſtitutione disjuncta eſt, & pro arbitrio Poetæ adtexitur. Illuſtre tam Peripetiæ illius quam Agnitionis exemplum proponere liceat in Joſepho Patriarcha ſe ſe fratribus aperiente, qualis exhibitus eſt a nobis in eo Dramate quod, JOSEPHUS FRATRES AGNOSCENS inſcribitur. Sic enim ex rebus multò ante geſtis pendet fortunæ commutatio, quam Agnitio parit, ut ex utraque admiratio pariter ac delectatio oriatur.

Jam multiplex recenſetur ab Ariſtotele Agnitionis modus, quorum hi præcipui ſunt. Primus eſt è ſignis tam congenitis, quam adventitiis. Congenita ſunt, quæ cum homine naſcuntur; ita Seleuci poſteri Juſtino teſte, Lib. 15. anchoram in femore veluti notam generis naturalem habebant. Adventitia ſunt, quæ corpori advenerunt. Talis eſt cicatrix, ex qua in Odiſſea Ulyſſes à nutrice Euryclea agnoſcitur, dum juſſu Penelopes Ulyſſis pedes lavat.

Alter modus eſt ſignorum eorum quæ à Poeta non inveniuntur in rebus ipſis, ſed ab eo ex Veriſimili finguntur. Exemplum habes in Iphigenia Euripidis, ubi Oreſtes Iphigeniam agnoſcit ex epiſtola, Iphigenia Oreſtem ex texta veſte.

Tertius modus eſt, cum ex iis, quæ vel videntur vel audiuntur, aliquid revocatur in memoriam. Prioris generis exemplum ſubjicit Æneas in primo Virgilii Libro, qui ex pictura eorum, quæ erant ad Trojam geſta, recordatur omnium quibus ipſe interfuerat, & ſperare melius de rebus ſuis incipit. Poſterioris generis exemplum dabit EUSTACHIUS in Tragœdia noſtra eo inſcripta nomine. Is enim audita mentione Crucis quam Theopiſtus & Agapitus ſuis pectoribus impreſſam dicerent, filios ſuos agnoſcit, qui meminiſſet ſignatos à ſe hac ipſa nota infantes ambos olim fuiſſe, ne ſe Chriſtianos eſſe grandiores ignorarent.

Non bene Epopœjâ ſolvitur per Machinam, quæ ab Ariſtotele meritò improbatur. Eſt autem Machina actio ſeu modus actionis quidam extra primariam Actionem poſitus, qui viribus humanis major, nodo alioquin difficili ſolvendo ſerviat. Rationem ſubjicit Ariſtoteles, cur vitioſa ſit ejuſmodi ſolutio; neque enim, inquit, Actio primaria Deo, ſed Heroi ipſi tribui de-

debet. Poteſt & hæc alia afferri ratio: quia videtur illud in Poeta reprehendendum, ſi nodum eum nexuerit, quem ſolvere ipſe non valeat, aut ſi tantam rerum perturbationem induxerit, ut aliter expedire ſe nequeat, niſi vel recurrat ad Deum, vel aliquem e periculo per Machinam ſubducat. Quare arguitur Euripides in Medæa, quod illa occiſis, quos à Jaſone ſuſceperat, liberis, volucri ſe curru per aera ſuſtollat, & præſenti diſcrimine ea ſe ratione expediat. Nec Homero ipſi parcitur, apud quem Junonis hortatu Minerva de cœlo deſcendit, ut ſuadeat Græcis, qui de expugnando Ilio deſperabant, ne re infecta reditum moliantur. Hoc enim meliùs per aliquem è Græcis proceribus perfectum eſſet.

In Epiſodiis tamen Machinæ tolerantur. Ita Homerus paſſim & Virgilius Deos & Deas inducunt Græcis & Trojanis auxiliantes. Licitus eſt etiam Machinarum uſus cum res vel præteritæ vel ignotæ vel futuræ nunciantur.

ARTICULUS V.

De reliquis ad Epopæjæ formam pertinentibus.

Eſt hoc Epopœjæ inter cætera providendum, ut convenientibus & idoneis moribus Heroas ſuos informet. Per Mores intelliguntur habitus vel ingeniti nobiſcum, vel conſuetudine parti, quibus animus tam in bonum quam in malum inclinatur.

MORES.

Igitur id ſtudeat diligenter Epicus Poeta, ut in exhibendis Moribus accuratus ſit ac ſedulus. De Moribus ita præſcribit Ariſtoteles. Primò, ut boni ſint, non ea bonitate quam virtus efficit. Hic enim deſignatur genus aliquod bonitatis, quæ tam vitioſis, quam laudatis moribus conveniat. Igitur per bonos Mores intellige quod Horatius *in Arte* præcipit, *Notandi ſunt tibi mores*, ut nimirum mores rectè deſignentur, ſive quis virtute præditus, ſive nequiter pravus in ſcenam inducatur. Ergo præſtabunt Mores illa bonitate quam exigit Ariſtoteles, ſi, qui loquitur, feliciter exprimat ſenſus animi, ſive in bonum ſive in malum propendeant. Secundò ut congruant illi Mores, hoc eſt, ut perſonis, ætati, ſexui accommodentur. Tertiò ut ſint ſimiles. Præceptum iſtud perſonas notas ſpectat, quarum adumbrandi ſunt mores, quales fuiſſe vel in Hiſtoria vel in Fabula referuntur. *Mores enim ſimiles*, inquit Ariſtoteles, *ſunt illi, qui reſpondent famæ, quam habent in opinione hominum illi, qui deſcribuntur.*

Ubi obſervabis magnum eſſe diſcrimen inter Mores convenientes & Mores ſimiles. Fuerit vir Princeps notatus, dum viveret, avaritiæ ſordibus: ſi talis repræſentetur, qualis extitit, erunt quidem mores ſimiles, ſed non convenientes; ſi contra liberalis, magnificus exhibeatur, convenient quidem mores ejuſmodi, ſed erunt minime ſimiles. Hanc porro ſimilitudinem exprimendam eſſe monet Horatius *in Arte*, ex veterum Scriptorum monumentis.

Scriptor honoratum ſi fortè reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer:
Jura neget ſibi data, nihil non arroget armis.
Sit Medæa ferox invictaque, flebilis Ino;
Perfidus Ixion, Io vaga, triſtis Oreſtes.

Quartò, ut mores ſui ſemper ſint ſimiles & conſtent ſibi. Huc reſpexit Horatius cum præcepit,

Servetur ad imum,
Qualis ab incœpto proceſſerit, & ſibi conſtet.

Sententias etiam ſpargat identidem in ſuis Poematis Epicus Poeta. Eſt autem Sententia pronunciatum aliquod univerſe & generatim expreſſum de vita rite informanda. Differt verò SENTENTIA.

à Sententiæ Acute-dictum, quod totum pœne in conflictu verborum poſitum ſit. Caveat verò diligenter Poeta ne ſit in Sententiis frequentior, Acute-dicta pejus angue declinet.

DICTIO. Reſtat ut dicamus aliquid de Dictione, quod eſt ultimum, quo Epopopœjæ Forma continetur. Epopœja Carmen Hexametrum exigit. Nam cum in humanis rebus nihil ſit gravius Heroum geſtis, nullum etiam in metris adeo grave atque amplum eſt, quam Hexametrum, quod ab Heroum geſtis, in quibus celebrandis occupari ſolet, Heroicum vocatur. Quàm ſuffragetur huic opinioni Horatius in *Arte* ſua, jam monuimus.

> Res geſtæ Regumque Ducumque & triſtia bella,
> Quo ſcribi poſſent numero, monſtravit Homerus.

Imo de Hexametro ita pronunciat Ariſtoteles. Hexametri imitatio non alia eſt quàm Epopœia. Nec qualecumque oportet eſſe Carmen Hexametrum quod Epopœjæ inſerviat; ſed requiritur ut conſtet Sententiis illuſtribus, verbis grandibus & ornatis, & compoſitione decora numeroſaque, quibus omnibus magnificentior oratio reddatur.

De Fine Epopœiæ ſuperſedemus pluribus diſputare. Hoc unum dicere ſufficiat, eum eſſe propoſitum Epopœjæ finem, ut, dum in præclaris Heroum facinoribus enarrandis verſatur, Principum virorum animos menteſque erudiat atque informet ad publicam rem, cum belli, tùm pacis tempore ſapienter ac fauſtè adminiſtrandam.

ARTICULUS VI.

De Græcis Epopœjæ Scriptoribus.

HOMERUS.

Quo tempore vixerit Homerus, aut qua ſit ortus ex patria, incertum eſt. Æquior videtur eorum ſententia, qui centeſimo circiter poſt Trojanum bellum anno ſcripſiſſe eum ferunt. Quidam in Jonia natum fuiſſe inde conjiciunt, quod Jonicam ſuis in Poematis Dialectum inprimis ſectatus ſit. Totam retro antiquitatem & Scriptores cujuſcumque ordinis maximè conſpicuos habuit laudum ſuarum præcones; qui mirabilem in eo ingenii vim, perfectam rerum omnium notitiam, dicendi ubertatem, gravitatem ſententiarum, carminis majeſtatem & elegantiam extulerunt. Ac licet ſæculis hiſce poſterioribus obtrectatores gloriæ ſuæ nonnullos expertus ſit, qui mores illius temporis, quo ſcribebat Homerus, metientes è ſuis reprehendendum præſtantiſſimum Vatem cenſuere; tamen hoc ipſi citra injuriam nemo invideat, quin Poetarum omnium facile Princeps extiterit: à quo, ſi quid in aliis pulchrum nitet, ſi quid eximium percellit, totum id tanquam ab inexhauſto fonte ſic mutuati ſunt, ut eundem nullus æquaſſe, nedum ſuperaſſe videatur.

Scripſit Poemata duo, ut prætermittam quædam alia poematiuncula, quæ ipſi tribuuntur, Alterum quod *Ilias*, Alterum quod *Odyſſea* inſcribitur. Utriuſque argumentum breviter ſubjicimus.

Argumentum Iliadis.

Achilles vir inter cæteros Græciæ Principes eximia fortitudine ſpectatiſſimus, iniquius dolens raptam ſibi

fuiſ-

Digitized by Google

fuiſſe Briſeidem ab Imperatore Agamemnone, qui reſtituendam eſſe eandem non ſine gravi contemptu negaverat, bello & armis abſtinuit. Eo abſente res Græcorum retro fluere, Trojanorum convaleſcere cœperunt. Interim Achilles nullis amicorum precibus inflecti, nullis ipſius Agamemnonis promiſſis ac præmiis emolliri potuit. Patroclus, qui erat illi amiciſſimus, congreſſus cum Hectore hoſtium Duce ab eodem interficitur. Amici nece graviter Achilles commotus redit cum Agamemnone in gratiam; & Patrocli ulciſcendi cupidus reſumptis armis hoſtes adoritur, quos variis in prœliis cum afflixiſſet, Hectorem hoſtium Ducem, quo nitebatur Trojanorum ſalus, occidit.

Criticorum bona pars arguendum in eo Homerum putant, quod ſublato ſemel Hectore completa penitus, & abſoluta poemalis actio videatur; adeoque ſupervacanei ſint extremi duo libri: XXIII. ſcilicet, in quo ſolemnes Patrocli exſequiæ cum magno ludorum apparatu deſcribuntur: & XXIV. qui Trojanorum luctus in morte Hectoris, redemptum ejuſdem corpus & pompam funebrem continet. Imo, neque carere animadverſione exiſtimant carmen illud, quod, natum cum ſit celebrandæ Græcorum gloriæ, ſolutis Hectori ipſorum hoſti honoribus terminatur. Qua in re felix magis Virgilius videri poſſit, cujus Æneis nece Turni, qui ſolus Æneæ conſiliis afferebat moram, concluditur.

Argumentum Odyſſeæ.

Ulyſſes Rex Ithacæ, poſt navatam excidio Trojano feliciter operam, cum reditum in patriam moliretur per decem annos multis actus temporalibus ac periculis claſſem & ſocios miſere perdidit. Interim non tantùm illi res domeſticæ decoquebantur à Procis, qui Penelopes ejus conjugis nuptias ambiebant; ſed etiam Telemachus ejus filius eorumdem inſidiis petebatur. Is verò reparata Claſſe tandem Ithacæ redditus, Procos per inſidias adoritur & interficit, remque domeſticam & familiam incolumem recipit.

Neque cenſura nulla dignum iſtud alterum Homeri Carmen quibuſdam viſum eſt; qui priores Odyſſeæ Libros quatuor, in quibus Telemachi peregrinationes narrentur, tanquam alienum, & cum actione primaria minime conjunctum Epiſodium carpunt: adeo ut duplicem etiam in eo Poemate actionem agnoſcant.

Cæterùm hoc propoſitum Homero fuit, ut, cum demonſtraſſet in Iliade maxima quæque Imperia Principum vitiis ac diſſenſionibus deperire: ſic in Odyſſea oſtenderet, quibus virtutibus privatæ familiæ conſerventur. Quod alterum tam feliciter eſt conſecutus, ut Odyſſea, Horatio teſte, perfectiſſimum domeſticarum virtutum exemplar haberi debeat.

Quid virtus & quid ſapientia poſſit,
Utile propoſuit nobis exemplar Ulyſſem.
In Arte.

Admiratur etiam in Odyſſea tota Claudianus expreſſam ad vivum pudicitiæ conjugalis imaginem, quæ ad fovendam domeſticæ pacis tranquillitatem tantum pertinet.

An ne aliud toto miratur carminis actu
Mæoni mens alta ſenis? Quod ſtagna Charybdis
Armarit, quod Scylla canes, quod pocula Circe;
Antiphatæ viciata fames; ſurdoque carina
Remige, Sirenum cantus tranſvecta tenaces.
Lumine fraudatus Cyclops, contenta Calypſo,

Pene-

Penelopæ decus, atque viri, cui tanta paratur
Scena pudicitiæ: terræ pelagique labores,
Et totidem ſævi bellis, quot fluctibus; anni
Conjugii docuere fidem. *In carmine ad Serenam.*

Quod ſpectat ad ipſam Carmis rationem; etſi ſublimis ac vividus magis Homerus in Iliade videri poteſt; tamen, quia plus varietatis & amænitatis Odiſſea præſefert, hanc nihilò minùs faciendam eſſe multi arbitrantur.

HESIODUS.

Natum Heſiodum ferunt Cumis in Æolide, aut etiam Aſcrææ in Bœotia, ut Plutarcho placet. Is Homeri dicitur fuiſſe coætaneus: qui etſi ad Epici Poetæ gloriam non aſſurgit, tamen in mediocri genere cum laude verſatus eſt. Scripſit Libros omnino tres. Primus vocatur ἔργα, id eſt Opera, in quo de Promethei culpa, de Minerva omnium operum inventrice, de ſtatu hominis primigenio, de Sæculo Aureo, Argenteo, Æreo, Ferreo tractat. Sequitur vitiorum objurgatio: mox vivendi leges, amicorum & patrisfamilias officia perſequitur. Alter Deorum generationem & Fabularum hiſtoriam continet. Tertius agit de ſcuto Herculis, cujus auctorem ipſum fuiſſe nonnulli inficiantur. Carminis elegantiam & puritatem ſermonis egregiè ſectatus eſt, & ea re non vulgare ſibi nomen fecit.

ARTICULUS VII.

De Latinis Epopœjæ Scriptoribus.

LUCRETIUS.

Titus Lucretius Cajus Philoſophus idem & Poeta natus eſt anno conditæ urbis 659. ſua ſe ipſe confodit manu, cum ſumpto poculò actus in furorem fuiſſet. Is, ut Romanorum animos Philoſophicis præceptiónibus imbueret, ſex omnino Libros de Mundi conſtitutione verſibus edidit; hæc enim fuit Lucretii mens, cum ſe ad ſcribendos verſus de Philoſophicis rebus accingeret, quemadmodum ipſe teſtatur, ut argumentum auſterum ex ſeſe & abſtruſum amœnitate carminis condiret. *Lib.* I.

Ac veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Adſpirant mellis dulci flavoque liquore:
. . . . . .
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Triſtior eſſe, quibus non eſt tractata, retroque
Vulgus abhorret ab hac, volui tibi ſuaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere noſtram,
Et, quaſi muſæo, dulci contingere melle.

Quale vero judicium ferendum ſit de Lucretii Poemate declarat docta retro antiquitas, quæ eximiis Lucretium laudibus decoravit. Agnoſcit in eo Tullius *Lib.* 2. *Epiſt. ad Q. Fr.* lumen ingenii cum arte multa conjunctum. Eundem Quintilianus elegantem dicit. *Lib.* 10. *C.* 1. etſi fatetur eſſe difficilem: non quod verſus ejus multo nitore non polleant, ſed quod ea tractarit, quæ ſubtiliora ſunt ex ſeſe & plerumque recondita; quibus tamen ipſe lucis plurimum dilucida ſcribendi ratione contulit. Illum Ovidius, Statius verſibus ſuis commendavere, ut recentiores omittam bene multos, qui teſtimonio veterum ſuo ipſi ſuffragati ſunt. Enimvero nemo Lucretium evolvat attentiùs, qui ingenii ipſius aciem, elegantiam, eruditionem, Latinitatem ſermonis non miretur.

Ne-

Digitized by Google

Neque tamen vitiorum expers fuiſſe dicendus eſt. Nam de moribus ejus nequid attingam, qui divinam Providentiam negaverit, & è rerum natura numen omne ita viſus fuerit ſuſtuliſſe, ut fortuito atomorum concurſu coaluiſſe regique cuncta ac gubernari docuerit; culpari meritò debet, quod durior ſuis in verſibus, quod in ſcribendo fuſus nimis ac laxus, quod antiquatis vocibus, quas revocare poſtliminio putidiùs affectat, ſtyli ſui amœnitatem puritatemque non mediocriter detriverit.

VIRGILIUS.

Publius Virgilius Maro Latini Carminis citra controverſiam princeps, natus eſt Andibus in agro Mantuano, anno ab urbe condita ſexcenteſimo octogeſimo quarto, Auguſti imperantis vigeſimo quinto. Tam priorum quam poſteriorum ætatum communibus cumulatus præconiis cenſores paſſus eſt paucos, qui nec in eo admirari dubitant perſpicuitatem cum carminis dignitate, puritatem cum æquabili quodam ſtyli tempore, eloquentiam cum admirabili rerum, affectuum, Epiſodiorum varietate conjunctam. Is ſi caruit ea laude, quam unus Homerus ſibi vindicat, ut Carminis Epici inventor tritum nullius veſtigiis iter inceſſerit, ſaltem ſic exemplar ſuum imitari viſus eſt, ut æquis paſſibus ſequeretur.

Scripſit Æneidem, ut de Bucolicis ac Georgicis in præſentia taceam, cujus argumentum hoc fuit.

Argumentum Æneidos.

Æneas, incenſa à Græcis Troja, cum triſtibus tanti populi reliquiis ſuiſque Diis Penatibus mare conſcendit, novum ſuperis monentibus in Italia, ex qua Majores ſui ortum ducerent, regnum fundaturus. Poſt varios terra marique labores ſuperatos ad oram Italicam appulſus humaniter à Latino, qui tum imperabat Latio, excipitur, & in generum adſciſcitur. Verùm id ægre ferente Turno Rutulorum Rege, qui nuptias illas jam pridem ambiebat, grave inter Rivales bellum exorſit. Pugnatum eſt ſæpe & atrociter. Tandem interfecto Turno victor Æneas Lavinia & Regno potitur. Quæ omnia duodecim Libris Virgilius complexus eſt.

LUCANUS.

Marcus Annæus Lucanus Cordubæ natus in Hiſpania anno Chriſti 37. aut 39. mortuus eſt decimo Neronis anno. Edidit Poema, quod *Pharſaliam* inſcripſit, variis Criticorum obſervationibus agitatum. Alii enim ſupra modum illud extollunt, alii plus æquo deprimunt viciſſim, alii mediam inter utroſque viam ingreſſi reprehendendum in quibuſdam, in multis non illaudandum eſſe arbitrantur.

Duo Poetam efficiunt, ſi Petronio creditur, liber ac vehemens Spiritus, quo fit, ut Carmen animi furentis opus eſſe videatur: & Deorum miniſteria, fabuloſumque Sententiarum tormentum. Primum quidem Lucano non defuit, cujus in carnibus tam rapida vis, tam expers libertas exultat, ut fræno coerceri magis, quam urgeri ſtimulis indigeat. Alterum vero ſic ab eodem abſuit, ut Hiſtoricum potius quam Poetam agnoſcas. Adeo poeticarum fictionum parcus invenitur, & in narrandis rebus, quo fere pacto geſtæ ſunt, timidus ac religioſus eſt.

Hoc etiam in Lucano vitium arguitur, quod, dum Oratoris magnificen-

ſicentiam affectat, elatus nimium ac tumidus eſt; dum Philoſophus, Aſtronomus, Theologus vult videri, diſputationes inſerit de rebus reconditis, exquiſitis illis quidem, ſed ab argumento ſuo alienis. Denique dum ingenii famam ambit, argutiores Sententias uſurpat, & rerum verborumque acumina curioſiùs conſectatur.

Cæterùm nemo quantumvis Ariſtarchus negaverit, quin Lucani Pharſalia laudabilia plurima, & plura tollenda relinquendis complectatur; in qua ſplendor ingenii, Sententiarum gravitas, ſtyli majeſtas ac pompa dominantur. Quam Lucano gloriam cum facile permittam, non tamen auctor fuerim, ut junioribus Candidatis & ad eximiam Poeſeos formam adſpirantibus tanquam exemplar imitabile proponatur.

STATIUS.

Papinius Statius natus Neapoli vixit ſub Domitiano, cui propter facilitatem & ſcribendi copiam inprimis acceptus fuit. Is fautores & aſſeclas habuit ætatis mediæ ſcriptores, quibus Virgilio tantùm non æquiparandus viſus eſt. At longè aliter, & æquiùs de Statio ſenſerunt Critici recentiores, qui eundem arguunt, quod tumidus nimiùm & inflatus nubes plerumque captet & aera, unde graviore lapſu mox decidit; & ſerpat humi procellæ tutus ac timidus: cujus in carminibus ſi qua ſublimitas atque magnificentia poſſit videri, hæc non tam in rebus, quam in verbis poſita ſit.

Trium Poematum Statius auctor eſt. *Thebaida* primum inſcripſit duodecim libris contentum. Alterum *Achilleis* dicitur, opus duorum Librorum, quod morte præventus perficere non potuit. Tertium diverſa Poemata complectitur, & *Sylvarum* nomen præfert.

In Thebaide non magis Poeta cenſetur, quam Lucanus in Pharſalia. Nam etſi Poeticis fictionibus abundat; quia tamen in narrandis rebus hiſtoricum potiùs, quam poeticum ſervat ordinem, ad Poematis Epici gloriam non adſurgit.

Hoc præterea Thebais animadverſione digna eſt, quod Epiſodia vitioſa plerumque ac ſuperflua ſint; quod in Heroum moribus non habeatur ratio veriſimilitudinis, neque tam genuini Heroes, quam confecta ad arbitrium Poetæ, quædam Heroum portenta exhibeantur.

Quod ſpectat Achilleida, hæc non magis Epicum poema, quam Thebais dicenda eſt; quæ non actionem Herois unam, ſed actiones Herois unius omnes, ſeu veras ſeu fabuloſas perſequitur: quod, quam ab Epici Poematis legibus ſit alienum, Homerus pariter ac Virgilius docuere, qui non Heroem unum ſuis in Poematis, ſed actionem Herois unam celebrandam ſuſcepere.

Majori ſunt in pretio Sylvæ Statii, quam aut Thebais ejuſdem aut Achilleis. Cum enim nullæ præſcriptæ ſint Poematis ejuſmodi regulæ, plus libertatis nactus, & indulſit genio feliciùs, & ad naturæ ſimilitudinem propiùs acceſſit.

SILIUS.

Silius Italicus, quem Hiſpanum fuiſſe ex urbe Hiſpaniæ Italica, quidam affirmant, Romanus per majores ſuos fuit, quamvis generis initium ab Hiſpanis duceret. Vixit Veſpaſiani Neroniſque temporibus, ſub quibus ter Conſulatum geſſit. Is primùm forum ſecutus, Ciceronem in agendis cauſis ſibi imitandum propoſuit. Annis ſeneſcentibus, totum

tum

Digitized by Google

tum ſe poetico otio tradidit, & Virgilii, cujus prædium in agro Neapolitano ſuum fecerat, cujus & tumulum adibat frequenter magna cum religione, imitatorem ſe profeſſus eſt. Scripſit de bello Punico Libros ſeptemdecim majore cura quam ingenio, inquit Plinius, *L.* 3. *Epiſt.* 6. quod minime nactus erat ad Poeſim. In his Hiſtoricum ſe magis quam Poetam præſtat, qui res à Romanis contra Hannibalem geſtas, ut erant apud Livium ac Polybium exaratæ, narraverit. Nullis aut veterum aut recentiorum laudibus commendatus invenitur, ſi Martialem excipias, qui amico gratificatus egregiam multis in locis de filio tam Oratore, quam Poeta mentionem fecit. *L.* 4. *Ep.* 14. 6. *Ep.* 64. 8. *Ep.* 66. 9. *Ep.* 51. 88.

VALERIUS.

Valerius Flaccus Setiæ natus in urbe Campaniæ ſub Veſpaſiano ejuſque Liberis vixit. Hunc Quintilianus *L.* 10. *cap.* 1. amiſſum dolet ante tempus, cui ſuum de Argonautica expeditione Poema limare ac perpolire non licuiſſet: Valerius inter mediocres Poetas vulgò nuncupatur, qui nec aſſurgere didicerit, ut par erat, nec ſtyli modum atque æquabilitatem ſervare. Is Apollodorum Rhodium ſecutus, non tam felix auctoris ſui imitator, quam probabilis proprii operis artifex, cum ſuo ſe permiſit genio, viſus eſt. Cæterùm non continuit ſe intra juſtos actionis unius limites, quod Epici Carminis ratio poſtulat, ſed multò plures amplexus, in iis nihilò ſeciùs, quam in primaria actione tractanda elaboravit.

CLAUDIANUS.

CL. Claudianus natus eſt Alexandriæ in Ægypto, ut Suidas teſtatur, & ipſe Claudianus confirmat in ſuo ad Gennadium Proconſulem Epigrammate, quem ſic compellat

Grajorum populis & noſtro cognite Nilo.

Unde falſi revincuntur illi, qui Florentinum fuiſſe ſcripſerunt. Vixit Theodoſii ejuſque filiorum Arcadii & Honorii temporibus, à quibus ſtatuam meruit in foro Romano cum hac inſcriptione: TRIBUNUS NOTARIUS: INTER CÆTERAS INGENTES ARTES PRÆGLORIOSISSIMUS POETARUM. Paulò poſt Arcadium mortuus eſt.

Is à fortunatis Auguſti temporibus Poetarum citra controverſiam omnium princeps extitit. Hinc non lepidè minùs quam verè a Critico non inerudito veterum noviſſimus, & recentiorum Poetarum primus appellatur.

Egregiam nactus ad Poeſim indolem Claudianus, eandem ſtudio atque eruditione locupletavit. Stylus ejus ſonorus, elegans, floridus, numeroſus. Hoc peccaſſe videtur uno, quod eoſdem ſemper numeros dum uſurpat, ſatietatem quandam pariat atque faſtidium.

Non felix omnino viſus eſt tam in argumentorum delectu, quàm in eorumdem tractatione. Nam cum primo animi impetu materiam pulchrè apparet, & animoſus feratur, mox tamen ventus hominem deficit, nec principiis poſtrema ſatis reſpondent.

Quidam exiſtimant Claudianum fuiſſe Chriſtianum, laudantque ejus ad Chriſtum Carmen, quod ſic incipit,

Chri-

Chriſte potens rerum, redeuntis conditor ævi;
Vox ſummi ſenſuſque Dei, quem fudit ab alta
Mente pater, &c.

Et aliud

Proles vera Dei cunctiſque antiquior annis,
Nunc genitus, qui ſemper eras, &c.

Sed refelluntur à D. Auguſtino & ab Oroſio, qui alienum & quidem pertinaciter à Chriſti nomine Claudianum fuiſſe ſcripſerunt. Unde verſus illi de Chriſto, qui Claudiani operibus vulgò inſeruntur, ab iis expungendi ſunt, tanquam ſpurii; aut alteri Claudiano Mamerco tribuendi, qui Viennenſis ex Gallia, & optimus ipſe Poeta exſtitit, miriſque à Sidonio Apollinari laudibus cumulatus eſt.

CAPUT II.

De Tragedia.

ARTICULUS PRIMUS.

De Nomine atque Origine Tragœdiæ.

DE Nomine atque Origine Tragœdiæ varii varia ſenſerunt. Alii Tragœdiam dictam putant a τράγος, quæ vox Hircum, & ᾠδὴ quæ cantum ſignificat; ſeu quod Tragœdia priſcis temporibus fieret in honorem Bacchi, cui vinearum hoſtis Hircus immolabatur; ſeu, veriſimiliter magis, quod Tragœdiarum ſcriptoribus de ingenii gloria concertantibus victoriæ præmium Hircus obtingeret. Favent huic interpretationi Horatius in Epiſtola ad Piſones, cum dixit.

Carmine qui Tragico vilem certavit ob Hircum.

Et Tibullus *Lib.* 2. *Eleg.* 1.

Agricola & minio ſuffuſus, Bacche, recenti,
Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus a pleno memorabile munus ovili
Dux Hircus pecoris; duxerat Hircus oves.

Alii Tragœdiæ nomen deducunt a voce τρὺξ, quæ fæcem ſonat; quia ſcenici actores ante Perſonarum ac Larvarum uſum fæcibus perlinebant ora, ne agnoſcerentur: quæ ſi valeret etymologia, τραγῳδία diceretur, quaſi τρυγῳδία.

Quam ſententiam qui defendunt, laudant Horatium in eadem ad Piſones Epiſtola.

Ignotum Tragicæ genus inveniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe Poemata Theſpis,
Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.

Alii vocem illam τρὺξ novum vinum interpretantur, dicuntque Tragœdiam ſic fuiſſe appellatam, quia uter muſto plenus cantoribus Tragœdiarum ſolemnis merces proponebatur.

Has inter ſententias inprimis placet, quæ prima eſt, ut nativa magis & Tragœdiæ nomini magis conſentanea.

Rudiora, uti rerum cæterarum, ita & Tragœdiæ fuerunt initia. Hæc enim primùm ſolo conſtabat Choro, quem ſubitis & natis ex tempore canticis actores agerent. Poſtmodum Theſpis Athenienſis unum Hiſtrionem addidit, ut Chorus interim tantiſper requieſceret. Hinc novam nacta formam Tragœdia eam viciſſim Theſpidi conciliavit gloriam, ut Tragœdiæ inventor diceretur. Nam, ut omittam multa Scriptorum Græcorum teſtimonia, hoc plane confirmat Horatius, qui ex veterum ſententia de Theſpide ita loquitur.

Igno-

Ignotum Tragicæ genus inveniſſe Camœnæ
Dicitur & plauſtris vexiſſe Poëmata Theſpis.
In Arte.

Poſt Theſpidem natus Æſchylus egentem adhuc & incultam Tragœdiam multis locupletavit ornamentis. Soli Hiſtrioni, qui partes agebat in Scena, alterum adjunxit. Cædes removit à ſpectatorum oculis, & per nuncios referendas curavit; Pulpita reperit, unde actores è ſublimi conſpicerentur meliùs, & faciliùs audirentur: Perſonas etiam & habitum Heroibus convenientem inſtituit. Novi illius incrementi, quod per Æſchylum cepit Tragœdia, meminit laudatus jam à nobis Horatius. *Ibid.*

Poſt hunc Perſonæ pallæque repertor honeſtæ
Æſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis;
Et docuit magnumque loqui nitique Cothurno.

Suum denique à Sophocle atque Euripide decus, ſuam abſolutionem habuit Tragœdia. Nam auxerunt illi actorum numerum, & ſuas ſingulis partes aſſignarunt; & quod, tam ad ſententiarum gravitatem & ſublimitatem dictionis, quam ad ciendos affectus attinebat, ſic perfecerunt ambo, ut ſummum dignitatis apicem jam tum accepiſſe Tragœdia videri poſſit.

Articulus II.

De natura & definitione Tragœdiæ.

Tragœdia definitur ab Ariſtotele *Poetica c. 6. Imitatio actionis gravis ac ſeriæ, integræ, magnitudinem habentis, quæ ſermone ad voluptatem compoſito, non per narrationem, ſed per miſericordiam ac metum purgat animum ac levat ab hujuſmodi perturbationibus.*

Dicitur primò *imitatio actionis*, quia Tragœdia tota in agendo poſita eſt, in quo differt ab Epopœja, quæ res non agendas, ſed narrandas tantùm ſuſcipit.

Secundò, *gravis ac ſeriæ*, per quod diſcrepat à Comœdia, quæ nihil niſi ludicrum ac jocoſum imitatur.

Tertiò, *integræ*, quæ nimirum conſtet ſuis partibus, principio nimirum, Medio, & Fine.

Quartò additur, *magnitudinem habentis*, quia eſſe poteſt integra, nec tamen habere juſtam magnitudinem; quæ nec tam latè patere debet quam Epopœja, nec ſic, ut fabula ſimplex, reſtringi.

Quintò, *quæ ſermone ad voluptatem compoſito, &c.* Quia Tragœdia non ſolo metro, ſed cantu nonnunquam perficitur.

Sextò, *non per narrationem, ſed, &c.* Hic rurſum Tragœdia ab Epopœja diſtinguitur; nam res illa non narrat, ſed coram exhibet.

Denique, *per miſericordiam ac metum animum purgat ac levat ab ejuſmodi perturbationibus.* Deſignatum hìc habes Tragœdiæ finem, quæ res atroces exhibendas ſuſcipit, ut pravis animorum motibus medeatur.

Igitur laudata definitio ſubjicit Tragœdiæ Materiam, quæ Actio gravis ac ſeria; Formam, ſcilicet Actionis imitationem: Finem denique, qui optimam morum inſtitutionem reſpicit. De ſingulis breviter diſſeramus.

Articulus III.

De Materia Tragœdiæ ſive de Actione quam Tragœdia ſibi imitandam proponit.

Operæ pretium eſt inveſtigare diligentiùs cujus naturæ Actionem illam eſſe oporteat, quæ Tragœdiæ Ma-

Materiam ſufficit, & quis delectus habendus ſit perſonarum, quæ in Scenam proferuntur.

Trahitur argumentum Tragicum, Ariſtotele teſte, *Lib. Poet. capit. 6.* ex calamitatibus atrocibus, quæ Regibus atque Heroibus accidere; & optimas ille Tragœdias cenſet, in quibus perſonæ nec prorſus probæ, nec planè improbæ inducuntur. Nam cum Tragœdia miſericordiam ac metum ciere debeat, ſi improbus decidat in calamitatem, nec miſerebimur admodum, nec terrebimur. *Quis enim*, inquit Cicero, *parricidæ aut proditoris ſupplicio commovetur?* Sed neque penitus probas oportet eſſe perſonas, quæ infelices fiunt; quia viri boni infelicitas indignationem movet magis in eos, qui ſunt calamitatis artifices, quàm ſuſcitet eorum commiſerationem, qui adverſa patiuntur. Quamobrem inducendi ſunt ii, qui medii ſint inter planè probos prorſuſque improbos, neque tam ſcelere ſuo, quàm errore humano in calamitatem inciderint.

Quod ſi, qui patitur, is plus commiſerationis in ſe moveat, quam indignationis in auctores mali; aut ſi magnum crimen dum plectitur, momentum habere poſſit ad emendandam in nobis aliquam ejuſcemodi pravitatem; nihil vetat, quominus homines tam planè probi, quàm planè improbi producantur in ſcenam, & miſeri repræſententur.

Id porro tantò licitum magis cenſebitur, ſi aut vir optimus, dum vexatur ab homine nequiſſimo, periculum ſic evadat, ut in eodem, qui machinatus erat illud, involvatur; aut ſi pereat ille quidem nihil tale meritus, is verò, qui exitium attulerit, non ſit tam nequiter malus, ut in vexando plus imbecillitatis, quam ſceleris præſeferat. Tunc enim miſeranda magis videri poſſit boni viri calamitas, quam cruciantis ſæva vitia deteſtanda.

Plurimam autem vim habent ad excitandos affectus ea, quæ vel inter amicos vel inter cognatos ſanguine atrociter geruntur. Nam ſi hoſtis hoſtem occiderit, aut ſi quis afficiatur injuria ab eo, qui cum nullo vel amicitiæ vel affinitatis vinculo conjunctus ſit, iſta parum commovere ſolent. At cum naſcitur affectuum contrarietas inter eos, quos cognationis vel amicitiæ jura devinciunt, vel cum naturæ lex officii legibus, aut violentis cupiditatum motibus cedere cogitur, hæc perturbationes animorum excitant, qua cum delectatione quadam auditor perſentiſcit. Neque enim temperare poterit, quin ſortem illius doleat vehementer, quem vexatum ab eo viderit, à quo ſperare præſidium debuiſſet; imo qui injuriam plerumque ac pœnam non inferat, niſi reluctans, & aliena, quam incuſet ipſe, neceſſitate compulſus.

Magnum ergo decus & ornamentum actio Tragica mutuatur ab amoris vel ſanguinis vinculo, quo calamitoſus homo & illius calamitatis artifex conſtringuntur. Verùm in cruentis ejuſmodi facinoribus, quæ propinquos inter eveniunt, videndum eſt, num, qui molitur alteri perniciem, eundem norit, an ignoret; num perficiat cædem, an ab eadem abſtineat. Hinc enim quadruplex oritur Tragœdiarum argumentum, quibus varios perfectionis gradus Ariſtoteles attribuit.

Primum; cum notus eſt ille, cui cædem alter meditatur, & revera cædem infert. Ita Medæa liberos, Clytæmneſtra Agamemnonem, Oreſtes matrem interficit. Et hoc infimum reputat Ariſtoteles Tragœdiæ argumentum.

Alterum paulò magis aſſurgit, cum qui

quis ignotum interficit, &c, agnito errore, interfectum à ſe aut amicum, aut propinquum dolet. Ita Oedipus occiſam matrem, Alcmæon mactatum Eriphylum agnoſcit.

Tertium cenſetur ab Ariſtotele perfectiſſimum Tragœdiæ genus, ſi quis paratus vel amicum, vel fratrem, vel ſororem interficere, ab iiſdem feliciter agnitis cædem abſtineat. Ita Oreſtes ab Iphigenia ſorore, Dianæ jam jam immolandus, agnoſcitur, & periculo ſolutus cum eadem fugam capeſſit.

Quartum reprobat penitus Ariſtoteles; & eorum eſt, qui homini noto moliuntur exitium, & ab eodem perficiendo temperant. Quod tamen ſic eſt intelligendum, ut illa mutatio voluntatis nullam cauſam aliam agnoſcat. Nam ſi quis alteri meditatus cædem coerceatur ab altero ſuperioris cujuſdam ordinis ac poteſtatis; vel ſi inopinus inciderit caſus, per quem aut cogatur mutare conſilium, aut ipſe veniat in eorum manus, quos perdere cogitabat; nullum dubium eſt, quin argumentum ejuſmodi non probabile modo, ſed etiam laude dignum videri poſſit.

Unum ſupereſt de Actione Tragœdiæ ſtatuendum, an illius exitus triſtis ſemper ac luctuoſus eſſe debeat, nec licitum ſit Tragœdiam ex atroci calamitate in gaudium inopinatum prorumpere.

Qui lætiorem exitum è Tragœdia proſcribendum exiſtimet, is pleraſque veterum Poetarum atque Euripidis præſertim Tragœdias damnet neceſſe eſt. Quare viſum eſt Ariſtoteli ſatis, ſi luctuoſa ſit Tragœdiæ facies & anxia, & in ancipiti illuſtrium perſonarum fortuna verſetur; neque requirit, ut Theatrum cæde ac ſanguine ſemper cruentetur. Id tamen ita permittit Poetarum arbitrio, ut à præſcriptis Tragœdiæ regulis deflectere ſe fateatur populi in gratiam, qui natura ſua inconſtans ac varius ad lætitiam ultro convertitur. Hoc enim exiſtimat Tragœdiam inter & Comœdiam diſcrimen intereſſe, ut hæc læto ſemper, illa triſti exitu terminetur.

Verùm fecerit morum illius temporis atrocitas, ut cruenta ſcena delectarentur, nullumque aliud Tragœdiæ à Comœdia diſcrimen agnoſcerent, niſi quod illa funeſtiſſimum ſemper exitum exhiberet; nos quorum mores abhorrent à ſanguine, nihil alienum à Tragœdia cenſebimus, quod mutatam in melius calamitoſam ſortem repræſentet; & contenti proximis illuſtrium perſonarum periculis nihil ultra ad conſtituendum Tragicæ actionis argumentum requiremus.

Articulus IV.

De forma Tragœdiæ, ſeu de Actionis imitatione.

Hoc ſibi Tragœdia vindicat tanquam ſuum, ut imitetur actiones, &, quod exactis retro ſæculis geſtum fuerit, id exſuſcitet denuo & oculis, quaſi etiamnum gereretur, coram repræſentet. Nam cum in eo Epopœja cum Tragœdia conveniat, ut Heroum actiones imitetur, hoc ambæ differunt, quod Epopœja narrando, Tragœdia agendo finem aſſequantur.

Imitatio autem illa, quatenus ad Tragœdiam pertinet, nihil eſt aliud quam fictio ſeu Fabula. Ubi per Fabulam intellige non mixtum quid tam ex fictis quàm ex veris rebus, ſed conſtitutionem ipſam ac connexionem rerum, quæ tanquam cauſæ ad informandam unam actionem concurrunt. Cum enim nulla ſit actio Tra-

Tragica quæ ſuis partibus non conſtet ad ipſam Actionem pertinentibus, hæc conſtitutio partium, quæ aliæ ex aliis prodeunt & aptis inter ſe vinculis ac nexibus ita connectuntur, ut una poſita ſequatur altera, donec deveniatur tandem ad actionem ultimam, Fabula ab Ariſtotele vocatur.

Sic Ajax apud Sophoclem, antequam ſibi ipſe manus inferat, quam imitandam actionem Poeta ſuſcipit, indignè fert ſibi negata fuiſſe Achillius arma: deinde irarum impotens inſania corripitur; mox in pecudes furit, quas pro Ulyſſe mactare ſe credit; denique rationi reditus probrum non ſuſtinet, & ſuo ſe gladio tranſverberat. In hac partium ſive actionum compoſitione, quæ ad unam Ajacis necem omnes terminantur, expreſſam habes imitationem Tragicam; quam Fabulæ nomine nuncupamus.

At quoniam mores & animi ſenſa Actionis ipſius principia ſunt, à quibus dirigitur illa, & propria veluti nota ſignatur (nam mores Actionem informant, eandem explicant animi ſenſa, & quibus orta ſit de cauſis, aperiunt;) hinc in Tragœdia locum habent quaſi partes totidem, Fabula, Mores, Sententia, quibus accedit quarta pars, Dictio, per quam efferuntur palam amici ſenſus, moreſque Actioni congruentes exprimuntur.

Reſtant aliæ partes duæ, quæ non tam ad Poetam pertinent, quia ſine illis eſſe Tragœdia poteſt, quam ad ipſum Tragœdiæ ſpectaculum, Muſica ſcilicet & Scenicus Apparatus; quanquam & Muſica veteres Poetæ uterentur ad Actionis imitationem.

Sex igitur Tragœdia partes complectitur; Fabulam, Mores, Sententiam, Dictionem, Muſicam, Scenæ Apparatum. Quas inter cum primas ſine controverſia Fabula teneat, ut ipſe ſentit Ariſtoteles; in ea parte pertractanda paulum immorabimur, reliquis, quæ ad Mores, ad Sententiam atque Dictionem pertinent ultro prætermiſſis; quia de iiſdem jam abunde dictum à nobis eſt, cum de Epopœja ageremus.

ARTICULUS V.

De Fabula.

Fabula eſt compoſitio quædam & apta rerum omnium diſpoſitio, quæ ad unam eandemque actionem tendunt, quam Tragœdiam imitandam ſuſcipit.

Quæ porro Fabulam conſtituunt ac conſtruunt, alia non pendent ab arte, ſive ab arbitrio Poetæ, ut ſint, quia ſunt hiſtoriarum aut fabularum monumentis conſignata; alia ab ipſo Poeta, vel præter, vel etiam contra hiſtoriæ aut fabularum fidem excogitantur. Qua in re videndum eſt ante omnia quid Tragœdiarum Scriptoribus liceat.

Cum Tragœdia tota poſita eſt, ut diximus, in imitatione actionis, quæ integra ſit & perfecta; cujus partes omnes, ex quibus componitur, tam neceſſariis nexibus ac vinculis cohæreant, ut, aliqua mutata, vel ſublata, totius operis ſtructura corruat; tum certè non eſt Poetæ proprium res dicere quo evenerint modo, ſed qua ratione contingere aut potuerint, aut debuerint. Nam ſi tam ſeveris unius veritatis legibus Poeta teneretur, neque ſuam dare operi Tragico magnitudinem, quod Principium, Medium ac Finem habere debet; neque rerum incidentium cauſas, quæ plerumque Principum in negotiis obſcuræ ſunt, poſſet explicare. Quæ tamen omnia

cum

cum præſtare Poetam oporteat, neceſſe eſt totam ſubſtructionis Dramaticæ fabricam ita permitti ipſius arbitrio, ut res narret non uti geſtæ ſunt, ſed ut geri aut potuerunt, aut debuerunt.

Hìc verò quæri primò poteſt, an tantum Poetæ liceat, ut & argumentum Tragœdiæ & perſonarum nomina comminiſci poſſit? Videtur Ariſtoteles dediſſe Poetis ejuſmodi licentiam, qui Tragœdias laudat fictas ex toto, quarum feliciſſimus exitus exſtitiſſet. Id ipſum ſenſit Horatius, etſi propter difficultatem tractandi argumenti, cujus nullum ſit vel in Hiſtoria vel in Fabula veſtigium, auctor eſt Tragœdiarum Scriptoribus, ut in noto potius, quam in ignoto argumento verſentur. Eſt hæc enim germana iſtius præcepti interpretatio. *In Arte.*

> Difficile eſt propriè communia dicere; tuque
> Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
> Quam ſi proferres ignota indictaque primus.

Hæc igitur Poetæ facultas permittitur, ut tam in argumento, quam in perſonis fictis pertractandis artem Dramaticam exerceat. Verùm cum veriſimilitudinis ſemper debeat habere rationem, cavebit imprimis ea fingere, quæ veroſimili adverſentur; adeoque non inducet in Scenam virum Principem, qui hominem ſanguinis communione ſibi conjunctum ſciens ac prudens perimat, aut perimere meditetur. Id enim facinoris tam alienum eſt à natura, ut nullam inveniat fidem, niſi vel hiſtoriæ, vel ſaltem fabulæ teſtimonio ſignatum ſit.

Verùm ut veniam fingendi argumentum Tragicum ex toto Ariſtoteles non abnuit, ita non impertit conſilium, ut ea Poetæ abutantur. Imo, ſi quid ipſi creditur, Actio Tragœdiæ primaria veritati vel hiſtoricæ vel fabuloſæ debet conſonare. Neque enim hominum animi tam ignotis ac fictis rebus, quam notis ac veris afficiuntur; ac ſi Tragœdiæ finis ipſe attenditur, quæ tota ad expurgandos animos inordinatis affectibus eſt comparata, minus exempla illa commovere ſolent, quæ veritatis momento deſtituuntur.

Quæritur ſecundò an in argumentis quæ ab Hiſtoria, vel Fabula mutuatus Poeta fuerit, facultatem habeat quidpiam immutandi? Rem decidiſſe videtur Ariſtoteles in ſua Poetica, ubi de primaria Tragediæ actione agitur, cum dicit immutanda non eſſe ea, quæ fidem obtinent in opinione omnium, neque Clytemneſtram ab alio quam ab Oreſte debere interfici. Tamen non peccaret contra præceptum illud, ſi quis ad removendam ab Heroe Dramatis rei crudeliter geſtæ invidiam temperaret facinoris atrocitatem, & in ipſo narrandi modo non nihil à veritate deflecteret.

In Epiſodiis vero quæ ſecundarum Actionum locum habent, ſi modò deprompta ſacris è Literis argumenta excipias, quæ nihil veritati hiſtoricæ contrarium patiuntur; non ſolùm datur hæc facultas, ut multa præter & contra rerum geſtarum fidem dicantur; ſed etiam ſtare Fabulæ ratio non poſſit, niſi multa fictionis Poeticæ veſtigia deprehenderis.

Jam in conſtituenda Fabula cum fingere cuique liceat ad arbitrium atque ea amplecti, quæ inſtituto magis conveniant, excutiendum ſupereſt, quid exigatur à Poeta, ſeu quas Fabula dotes ac virtutes habere debeat.

Tria ſunt quæ fabulam commendant, Unitas Actionis, Loci ac Tem-

Digitized by Google

Temporis, Veriſimilitudo, atque Admirabilitas, de quibus dicendum incumbit.

Articulus VI.

De triplici Unitate Actionis, Temporis ac Loci.

Unitas Actionis. Quemadmodum Epopæja unam actionem Herois enarrandam ſuſcipit; ita Tragœdia unam pariter illuſtris perſonæ actionem ſibi proponit imitandam.

Igitur actio ſit una neceſſe eſt, quam Fabula Dramatica exhibet. Neque enim aut Heroem unum, aut actiones unius Herois omnes, ſed unam eandemque unius Herois actionem complectitur. Quare ſi repræſentet perſonæ heroicæ periculum, cui vel cedere illa cogitur, vel ita reſiſtit, ut ab eodem ſoſpes & incolumis evadat, debet immorari in repræſentando illo periculo, neque ullam attingere Herois ejuſdem actionem: quæ cum illo periculo non conjuncta ſit. Nam ſi alii inciderint periculorum caſus, quos, vel argumentum quod tractatur ſuppeditet, vel Poeta pro conceſſa ſibi licentia confixerit, illi ſic cum primario periculo cohæreant oportet, ut efficiant quid unum, & tanquam totidem cauſæ ad informandam unius periculi unitatem alii ex aliis fluere videantur.

Eadem eſt ratio diverſarum actionum, quas una Actio Dramatica neceſſario continet. Eſt enim Actio illa tota, adeoque partes habet; eſt integra ſive perfecta, igitur certæ magnitudinis, quæ Principio, Medio & fine conſtet, ut loquitur Ariſtoteles: partes autem illæ totidem ſunt actiones quæ viciſſim alias involvunt. Verùm hanc eſſe oportet omnium cum actione primaria neceſſitudinem, ut ad hujus complementum aliæ poſt alias concurrant unanimes, & novam ſingulis in actibus Actionis primariæ donec abſolvatur, expectationem ſuſcitent.

Unitas Temporis. Quod ſpectat ad Unitatem Temporis, hanc ita præſcribit Ariſtoteles, ut Tragœdia intra unicum ſolaris curſus ambitum conſiſtat, aut eundem certè non multùm excedat. Hinc orta controverſia eſt, utrum lex illa naturalis diei, qui viginti quatuor horarum ſpatio continetur, Tragœdiæ tempus permittat, an idem intra diei artificialis, qui duodecim horarum eſt, anguſtias coerceat. Non videtur iſthæc Tragœdiarum Scriptoribus imponenda durior neceſſitas, ut, ſi brevioribus limitibus coercere actionem Tragicam nequeant, eam ad viginti quatuor horas, aut etiam aliquantò plures extendere vereantur.

Verùm quò brevius Actio Tragica ſpatium requirit, eo perfectior hac parte cenſenda eſt. Nam cum Tragœdia imitatio ſit aut imago potiùs humanarum actionum, nemo negaverit, tantò excellentiorem eſſe imaginem, quantò propiùs ad exemplaris ſimilitudinem accedat. Quare optandum videretur, ut actio Dramatica, quæ, dum exhibetur, duarum horarum ſpatium excedere non ſolet, eadem intra tempus idem fieri poſſet. Saltem hoc provideant Tragœdiarum Scriptores, ut quod plus requiritur temporis, id per actuum intervalla conſumatur, & ipſius actionis duratio ſingulorum actuum durationi, quantum fieri poteſt, reſpondeat.

Unitas Loci. De unitate Loci cum nihil fuerit ab Ariſtotele, vel ab Horatio pronunciatum, hanc ſibi multi ſumpſere licentiam, ut illam pro arbitrio aut latiùs aut ſtrictiùs circumſcriberent. Quidam unius loci rationem ſervatam pu-

putant, ſi intra unius urbis mœnia res geratur, nec breviores actioni Tragicæ terminos poſuere. Alii auſteri nimis ac ſeveri unius aulæ vel cubiculi anguſtiis Unitatem loci continendam eſſe cenſuerunt, non ſatis attenti, quàm multas egregias Tragœdias proſcriberent, ſi tam rigida lex nullam penitus exceptionem admitteret. Nam cum ea, quæ tractantur in Tragœdiis, inter eos ſemper agitentur, qui diverſis contrariiſque partibus ſtudeant; qui demum fieri poſſit, ut uno eodemque in loco de rebus ſuis colloquantur, quas è re ſua ſit eos celaris quorum plerumque exitium machinantur. Alii mediam iniere viam, & ad Unitatem loci retinendam ſufficere arbitrantur, ſi una in domo vel in uno palatio actio Dramatica peragatur. At quando neceſſe eſt actus varios variis domus in partibus exhiberi, hæc duo providenda ſunt; alterum, ut actus totus in eodem loco repræſentetur; alterum, ut continua ſuccedentium ſibi ſcenarum ſeries ac nexus faciant, ne mutatio loci, quæ fit variis in actibus, facilè obſervetur.

ARTICULUS VII.

De Veriſimilitudine.

Cum ea Poetis datur licentia, ut argumentum Tragœdiæ fingere poſſint ex toto & ſua perſonis ipſis imponere nomina, tum certè non par facultas relinquitur, ut qui nullis ſequendæ veritatis legibus teneantur, iidem recedere à Veriſimilitudine pro arbitrio poſſint.

Sic igitur totius Fabulæ ſtructuram aptent ac conſtruant, ſic actiones ſecundarias cum actione primaria, perſonas Epiſodicas cum neceſſariis componant inter ſe; denique ſingula pro ratione temporis ac loci ita diſponere ſtudeant, ut nihil ſit in Dramate quod Veriſimilitudini repugnare videatur. Qua in re qui peccaverit, tantò minùs venia dignus judicari debet, quantò faciliùs materiæ arbiter ſuæ ſingula ad rectam Veriſimilitudinis regulam ac normam exigere potuerit.

Qui verò ſibi ſumpſerit argumentum ex Hiſtoria vel ex Fabula, atque ex utriuſque viſceribus varia Actionis Dramaticæ ornamenta mutuatus fuerit, nullam Veriſimilitudinis habere rationem cogitur, quam ſectando tamen, meliorem forte ac gratiorem Tragœdiæ formam conciliaret. Etenim etſi multa ſunt hiſtoriarum vel fabularum fide teſtata, quæ vix ſimilitudinem veri præſeferant; tamen quantumvis aliena videri à vero poſſint, ille tuetur ſe ſatis, cui veritas ſuffragatur.

At quoniam Scriptori Tragœdiæ ea lex ab Ariſtotele non imponitur, ut res exponat ſemper, uti geſtæ ſunt, ſed quo geri pacto aut potuerunt, aut debuerunt, tunc ſtudendum ſibi putet Veriſimilitudini, tam in iis, quæ pro jure ſuo addiderit præter hiſtoriæ fidem, quàm quæ in hiſtoria cenſuerit adulteranda. Neque enim qui narrat quidpiam aliter atque geſtum eſt, is dicendus continuo à veroſimili receſſiſſe, quandoquidem quæ veritati hiſtoricæ adverſantur, veriſimiliora nonnunquam videntur, quam quæ eidem veritati conſonant: neque rerum geſtarum modus tam præſens eſt audientium animis, ut, ſi parumper immutandus judicetur, vel ad minuendam facinorum quorundam atrocitatem, vel ad eadem magis illuſtranda, id ſatis obverſari poſſit, ut læſa veritatis ratio videatur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Articulus VIII.

De Admirabilitate.

Oritur Tragicæ Fabulæ Admirabilitas ex inopinatis rerum caſibus, ex Peripetiis ſeu fortunæ commutationibus, ex fabulis Epiſodicis, ſine quibus etſi ſtare Fabula poteſt, hæc tamen plurimum conferunt ad ipſius gratiam, maximè ſi non aliena ab argumento, ſed ex ipſius rei viſceribus nata cum actione primaria unam conſtituant actionem. Adde & Agnitiones per quas gaudium in mœrorem, aut mœror in gaudium convertuntur.

Harum porro rerum ſtatim à principio quædam quaſi ſemina jacienda ſunt, quæ, dum procedente Fabula creſcunt ſenſim ſine ſenſu, ſuſpenſos auditorum animos admirabili novitate teneant. Tum attexenda appoſitè multa, quorum cauſæ poſtea cognitæ inſperatam mutationem efficiant.

Multum etiam conferunt ad pariendam illam Admirationem vehementiores animi motus, quibus actio Tragica plena eſſe debet ad ſuſcitandos commiſerationis & terroris affectus. Duo autem inprimis movere auditores ſolent, alterum generis ſplendor, alterum probitas eorum, qui vexantur. Imo dari in ſcenam poteſt improbus, qui illata viro innocenti nece, poſtea miſerum in modum pereat. Pœna enim viri innocentis commiſerationem movet, mors Tyranni terrorem excitat.

Articulus IX.

De fine Tragœdiæ.

Cum ſit ille propoſitus Tragœdiæ finis, inquit Ariſtoteles, ut per commiſerationis & terroris affectus, quos ciet, animum purget non ab iis ipſis modo perturbationibus, ſed ab eodem etiam cæteros, id genus, morbos expellat, videndum eſt, quomodo finem hunc ſuum Tragœdia conſequatur.

Hæc porro dum ſubjicit oculis graviſſimas calamitates, in quas illuſtres viri errore lapſi potius quam culpa ſua incidere, miſericordiam & metum naturaliter in nobis excitat, eoſdemque interim reprimit motus ac coercet. Docet enim non modò ferre præſentia, quæ leviora ſunt gravibus malis; quorum miſereſcimus, ſed animum præparat ad ſimiles caſus, ſi forte contigerint, conſtanter tolerandos.

Neque hoc ſatis: dum exhibentur mala, quæ vel error, vel imprudentia, vel prava quævis cupiditas pepererunt, admonetur animus ad præcavendas aut corrigendas hujuſmodi perturbationes, per quas tot infelices caſus procreantur. Hinc eruditur ambitioſus ad modeſtiam, impius ad metum divini Numinis, iracundus ad moderationem, crudelis ac ferox ad humanitatem componitur; adeoque cæteras animi labes Tragœdia proſcribit.

Articulus X.

De Poetis Tragicis Græcis.

ÆSCHYLUS.

Æſchilus omnium primus occurrit Arii, Athenis natus Miltiadis, & Themiſtoclis temporibus, in Sicilia mortuus lapſa in caput ejus, ut ferunt, teſtudine, 76. Olympiade. Is Tragœdiæ parens, ſeu potius emendator habitus eſt, quòd emendaſſet Veterem Tragœdiam, & eandem locupletaſſet. Nam ab Horatio dicitur *in Arte.*

...Per-

41. Perſonæ pallæque repertor honeſtæ
Æſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis.
Et docuit magnumque loqui nitique Cothurno.

De eodem ita Quintilianus loquitur. *Tragœdias primus in lucem Æſchylus protulit, ſublimis & gravis & grandiloquus ſæpe uſque ad vitium, ſed rudis in pleriſque & incompoſitus.*

Hoc Quintiliani judicio addere liceat, fuiſſe illum in concinandis Epiſodiis atque Peripetiis parum ſolertem atque induſtrium, in ipſis Theatri legibus peregrinum atque hoſpitem. Æſchylum tamen Ariſtophanes Euripidi ac Sophocli prætulit, captus forte tam concitatis ipſius ſtyli furoribus, ut fœminas ante tempus provocaret ad partum.

Septem exſtant ejus Tragœdiæ. *Prometheus vinctus, Septem ad Thebas, Perſa, Agamemnon Choephora, Eumenides, Supplices.*

SOPHOCLES.

Natus eſt Athenis Olympiade 71. Æſchylo tempore inferior, ſuperior Euripide, mortuus 95. ætatis, ſexto poſt Euripidem anno. Hunc Poetam Divinum Tullius appellat *L.* 2. *de Divin.* Virgilius *Eclog.* 8. cæteris Poetis Tragicis eundem videtur anteferre. Excelluit Sophocles mira inciendis animorum motibus ſolertia. Stylus ejus ſublimis, ſplendidus, etiam caſtigatus. Pinxit homines, quales eſſe oporteret, inquit Ariſtoteles, Euripides quales eſſent. Erat Sophocli inſita quædam dicendi facultas, ſic ut ab ipſius ore verba nata, non diu meditata fluere diceres. Religionem, obſequium, reverentiam in Deos, virtutis amorem, vitiorum odium ſuis in Tragœdiis paſſim aſtruit & inculcat. Denique luculentum illud eſt Quintiliani teſtimonium, qui Sophoclem cum Euripide conferens, ita de utroque pronunciat *L.* 10. *cap.* 1. *Sed longe clariùs illuſtraverunt hoc opus* (Tragœdiam) *Sophocles atque Euripides, quorum in diſpare dicendi via, uter ſit Poeta melior inter plurimos quæritur. Idque ego ſane, quoniam ad præſentem materiam nihil attinet, injudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur neceſſe eſt, iis qui ſe ad agendum comparent, utiliorem longè Euripidem fore. Namque is & in ſermone (quod ipſum reprehendunt, quibus gravitas & Cothurnus & ſonus Sophoclis videtur eſſe ſublimior) magis accedit Oratorio generi, & ſententiis denſus & in iis, quæ à ſapientibus tradita ſunt, pene ipſis par, & in dicendo ac reſpondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diſerti, comparandus.*

Sophoclis exſtant Tragœdiæ ſeptem, *Ajax Flagellifer, Electra, Oedipus Tyrannus, Antigone, Oedipus Coloneus, Trachiniæ, Philoctetes.*

EURIPIDES.

Salaminæ natus eſt 75. Olympiade, quo die florentiſſimus Xerxis exercitus ab Athenienſibus fuſus eſt. Vitam finiit 75. ætatis anno laceratus à canibus. Ad hæc, quæ de Euripide jam dicta ſunt à Quintiliano, accedit judicium Ariſtotelis, qui Euripidem vocat Tragicæ artis ſcientiſſimum, etſi tam felix in conſtituenda diſponendaque Fabula plerumque non videtur. Certè nemo hanc illi invideat laudem, quam Quintilianus tribuit, ut diſertus inprimis ac ſubtilis, & in movendis tenendis quibuſque affectibus ſolertiſſimus exſtiterit.

Plenæ ſunt ipſius Tragœdiæ gravibus ſententiis, propter quas magno fuit in pretio apud Ciceronem;

qui ſcribens ad Tironem *L.* 8. *Epiſt.* ita loquitur de Euripide. *Cui tu*, inquit, *quantùm credas*, *neſcio*. *Ego certè ſingulos ejus verſus*, *ſingula teſtimonia puto*.

Ægre tulerunt nonnulli, quod Phædram, Jocaſtam, Calacem, Paſiphaen nequiſſimas fœminas in ſcenam induxiſſet; quibus reſponderi poteſt, & quales eſſent, Euripidem oſtendiſſe, & horrenda vitiorum imagine ſpectatores à flagitio deterrere voluiſſe.

Habemus 19. ejus Tragœdias ex multò pluribus quas ſcripſiſſe dicitur. Sunt illæ: *Hecuba*, *Oreſtes*, *Phœniſſæ*, *Medea*, *Hippolytus*, *Alceſtis*, *Andromache*, *Supplices*, *Iphigenia in Aulide*, *Iphigenia in Tauris*, *Rheſus*, *Troades*, *Bacchæ*, *Cyclops*, *Heraclidæ*, *Helena*, *Ion*, *Hercules furens*, *Electra*.

Articulus XI.

De Poeticis Tragicis Latinis.

Superſunt fragmenta quædam veterum Tragicorum Latinorum. Livii Andronici, Ennii, Pacuvii, Accii, ac Nævii, quorum carmina paſſim à Cicerone & aliis doctis viris uſurpantur.

SENECA.

Quæ Lucii Annæi Senecæ nomine numerantur Tragœdiæ decem, variis ſcriptæ ſunt auctoribus. Medæa, Hippolytus & Troades, quæ cæteris cenſentur illuſtriores, Lucio Annæo Senecæ Marci Senecæ Rhetoris, qui & Philoſophus fuit, filio vulgò tribuuntur. Reliquas, ne excepta quidem Octavia, quæ infimi omnium pretii eſt, volunt à ſcriptoribus ejuſdem familiæ ejuſdemque nominis fuiſſe elucubratas. Ut ut eſt, egregium & magnificum Julii Scaligeri de Seneca, quiſquis ille fuerit, judicium illud eſt, ut exiſtimet eum nulli Græcorum majeſtate carminis extitiſſe inferiorem, cultu verò ac nitore etiam Euripide majorem. At pauci ſunt qui de Seneca tam honorificè ſentiant. Fuerit ille quidem gravis & abundans ſententiis, inquit Voſſius, ſed illæ affectuum vim elidunt. Notatur idem, quòd in exponendis comparationibus ſit prolixior, & faſtidioſior in Monologis, qui ſæpe actum integrum occupant. Cæterum Dramaticæ artis tam rudis, tam ignarus viſus eſt, ut ne lectam quidem ab eo fuiſſe Ariſtotelis, aut Horatii Poeticam oporteat. Natione Hiſpanus, patria Cordubenſis erat Seneca, natuſque eſt 13. poſt Chriſtum anno, mortuus 65. Neronis 12.

Celebrata eſt multis veterum ſcriptorum teſtimoniis Ovidii Medæa, quam temporum fato deperditam fuiſſe Literaria Reſpublica graviter expoſtulat. Hanc Ovidius ipſe deſignat *L.* 2. *Triſt.*

Et dedimus Tragicis ſceptrum regale Cothurnis;
Quæque gravis debet, verba Cothurnus habet.

CAPUT III.

De Comœdia.

Articulus Primus.

De natura ac definitione Comœdiæ.

Comœdia Paganum cantum ſignificat, à vocibus Græcis χώμη & ᾠδὴ ſic dicta, quia in vicis homines adoleſcentes Athenienſibus non-

nondum in civitatem coactis ſua Poemata recitabant.

Alii dictam Comœdiam putant à voce κωμῳδεῖν, id eſt Como digna canere. Comus enim feſtivitatis ac commeſſationis Deus habitus eſt, cui interpretationi favere videtur vindomiarum tempus, quo inventa Comœdia eſt.

Eſt autem illa, Imitatio communis cujuſdam actionis, quæ civilis ac privatæ vitæ imaginem tanquam in ſpeculo repræſentet non ſine ſalibus ac jocis, unde ſumat quiſque exemplum ſibi ad mores corrigendos.

Dicitur primò Imitatio actionis communis, per quod Comœdia à Tragœdia diſtinguitur: neque enim imitatur res illuſtres ac terribiles, ut Tragœdia, neque admirabiles ac prodigioſas; non luctus, non exitia, non cædes, ſed civiles & privatas actiones, ut Juvenum curas, avaritiam Senum, fraudes Servorum; & ſimiles, quæ alios ſollicitudine, alios lætitia afficiant. Neque etiam Principes, Reges, Heroas, ſed tenuiores atque humiles perſonas in ſcenam inducit.

Dicitur ſecundò repræſentare vitæ privatæ imaginem non ſine ſalibus ac jocis, qua in re multùm etiam differt à Tragœdia. Hæc enim graviſſimas animorum perturbationes, quales ſunt miſericordia ac metus, movet: illa ſectatur unam oblectationem, quam ridendo parit.

Denique Comœdiæ finis eſt humanos mores noſſe, deſcribere, & deſcribendo corrigere, ne, quod in illis vitioſum eſt, privatorum hominum familiis nocere poſſit. Tragœdia etſi hoc proponit ſibi pariter, ut mores inſtituat, tamen nec eadem id perficit via, nec mediæ tantùm conditionis homines reſpicit, ſed ad ipſos etiam Principes ac Reges aſſurgit.

Ex illa definitione Comœdiæ colliges, materiam ejuſdem eſſe actionem vitæ communis, quam imitandam Comœdia ſuſcipit: Formam in imitatione ipſa, non ſine Ridiculo, eſſe poſitam; finem denique privatæ vitæ emendationem, quam propoſitæ fabulæ Ridiculum operetur.

ARTICULUS II.

De Materia Comœdiæ ſeu de actione quam Comœdia imitandam habet.

Materia Comœdiæ eſt Actio una earum aliqua, quæ in uſu vitæ quotidiano inter cives atque privatas familias contingere ſolent. Proinde res Comicæ ſunt Luſus, Commeſſationes, Nuptiæ, Convivia, Fallaciæ, Doli & ejuſmodi alia, quæ nihil grave, nihil ſerium habent; Quòd ſi in argumento ſerio Comœdia nonnunquam verſatur, hoc ita tractare debet, ut modus tractandi totus ſit Comicus, hoc eſt jocularis ac ridiculus.

Quemadmodum autem res humiles ac privatas Comœdia ſectatur; ita nec perſonas niſi humiles & de medio ſumptas adhibet. Quales ſunt Servi ad fallendum idonei, Juvenes ad ludos & commeſſationes propenſi, Senes emuncti argento, qui riſum concitent. Reges verò, Principes ac Deos vulgò non admittit; qui ſi tamen inducantur in Theatrum, eos quaſi depoſita perſona ac dignitate intereſſe oportet: atque ea cauſa quibuſdam viſa eſt, cur Plautus Amphitryonem ſuum Tragicomœdiam vocet, quia Mercurius in hac fabula partes agit ſuas. Sic enim Mercurius loquitur in Prologo.

Faciam, ut commiſta ſit Tragicomœdia.
Nam me perpetuò facere, ut ſit Comœdia,
Quò Reges veniant & Di, non par arbitror:

Quid

Quid igitur ? quoniam hic ſervus quoque partes habet,
Faciam proinde, ut dixi, Tragicomœdiam.

Actionis porro, quam propriam ſibi Comœdia vindicat, exitus eſt ejuſmodi, ut triſtibus læta ſuccedant; cum in Tragœdia contra res lætiſſimæ luctuoſo fine fere concludantur. Atque eò reſpexiſſe Donatus videtur *in Prologo Terentiani*, cum ait, Homerum Iliadem inſtar Tragœdiæ, Odyſſeam ad imaginem Comœdiæ feciſſe. Nam Ilias deſinit in morte Hectoris, quo Trojæ fatum nitebatur. Odyſſea terminatur in felici Ulyſſis reditu. Neque tamen exiſtimandum eſt exitum Comœdiæ nihil unquam triſtitiæ admittere. Nam ubi duplex eſt Comœdiæ exitus, aliis lætus, aliis triſtis contingit. Sic Plutus apud Ariſtophanem, cui viſus reſtituitur, Sycophantis quidem nocet, prodeſt verò juſtis ac probis.

Articulus III.

De Forma Comœdiæ ſeu de imitatione Actionis ridiculæ.

Hoc in Comœdia Formæ rationem habet, quod Comœdiæ proprium ac ſingulare eſt, eamque non ab Epopœja ſolum ac Tragœdia, ſed à reliquis Poematum generibus diſtinguit. Hoc ipſi cum Epopœja atque Tragœdia commune eſt, quod ſit imitatio actionis. Quod Actionem non narrando, ſed exhibendo atque repræſentando imitetur, ab Epopœja differt ac diſcrepat. Dum verò res in privatæ vitæ conſuetudine poſitas, &, quod in illis eſt ludicrum ac ridiculum, ſectatur, diſſimilem prorſus à Tragœdia rationem tenet.

Igitur imitatio Comœdiæ propria, Fabula eſt ſeu fictio actionis ludicræ, quæ riſum moveat, & ridendo auditores deterreat ab iis vitiis, quæ depinguntur.

Hinc Ariſtoteles, cum definit Comœdiam, & deſignat ea, circa quæ imitando verſatur, Comœdiam vocat imitationem peſſimorum hominum, peſſimorum, inquam, ut ipſe interpretatur, non quocumque vitiorum genere, ſed ratione Ridiculi, quod unum Comœdia ſpectat ac ſequitur. Nam vitia ipſa Ridiculo deſtituta, quia indignationem movent potiùs quam riſum, Comœdia non tractat. Quare, quod Horatius ait *L. 1. Sat.* 4. fuiſſe ſolitum Eupoli, Cratino & Ariſtophani, ut

Si quis erat dignus deſcribi, quòd malus aut fur,
Quòd Mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus, multa cum libertate notabant;

non intelligendum eo ſenſu, quaſi veteres Comici turpitudinem ac nequitiam, quæ vitiis adhæreſcit, inſectandam ducerent, ſed, quod rideri poſſet in ſingulis, id arriperent tanquam rem ſuam, atque inde Comicos ſales ac jocos conficerent. Quare riſiſſe Plautus videri poſſit, cum Amphitryonem ſuum Tragicomœdiam vocat, quòd Reges ac Deos in Theatrum induceret. Eſt enim mera Comœdia, quia rem tragicam vertit in riſum & Reges ipſos ac Deos ludificatur. Adeo nihil in unaquaque re ridiculum, quod eſſe Comœdiæ argumentum non poſſit. Ac ſi ad quotidianam temporum noſtrorum experientiam appellare liceat; ſic poſitum in Ridiculo ſentiemus Comœdiæ fatum, ut eo deſtituta jus ad clamores ac plauſus habere non poſſe videatur.

Hic locus eſt dicendi de Ridiculo, quo Comœdia tota nititur; ſed præponendum aliquid de conſtitutione ipſa Comœdiæ, ſeu de Fabula.

Articulus IV.

De Fabula.

Fabulam definivimus, cum ageremus de Tragœdia, compoſitionem aptamque diſpoſitionem multarum rerum, quæ ad unam eandemque actionem tendant. Quod etſi Comœdiæ pariter debet accommodari: tamen Fabulæ nomen latiùs hìc patet; quia res, quas Tragœdia vel ab Hiſtoria vel à Fabulis mutuatur, has Comœdia fingendas habet ex toto; tamque ipſius eſt invenire argumentum, quod tractet, quam inventum diſponere, & ad regulas exactum informare.

Quamobrem Comœdia in argumento ficto verſatur, & non Epiſodicas modò fabulas, ſed actionem ipſam primariam comminiſcitur ad arbitrium. Id verò difficilioris-ne ſit provinciæ, quam argumentum verum ornare, decidendum relinquo peritioribus. Si tamen dicere liceat, quod ſentio, facilius eſſe putem ingenioſum videri in argumento, quod ipſe fingas ad voluntatem, quam ſi alter majori ex parte argumentum præſcripſerit; quomodo Declamatores multi diſerti viſi ſunt, qui miſeri eſſent Oratores. Cujus rei non alia cauſa ſit, quam quòd in declamando argumentum ſumerent, quale vellent, & loquentes inducerent, quos ſibi eligerent adverſarios; in cauſis verò ſeriis adverſarius præſcribât materiem & argumenta, quibus reſpondere oporteat.

Ut argumentum, ſic & perſonas fingit Comœdia, quibus imponit etiam nomina, quæ partibus, quas agunt in ſcena, reſpondeant. Ita Senex dicitur *Chremes*, à ſcreatu; Adoleſcens qui amat, *Pamphilus*; Paraſitus, *Gnatho*, à maxillis; Servus à ſervili curſu, *Dromo*.

Poteſt nihilominus Comœdia argumentum verum tractare, & veteres Comici res geſtas ſuis temporibus in Theatrum dabant. Hinc Latinarum Comœdiarum Scriptores, quò plus momenti conciliarent ſuis fabulis, quas exhibebant in ſcena, hæc Athenis geſta vel ſaltem in Græcia fingebant. Teſtis eſt Plautus *in Prologo Menæchm.*

Atque hoc Poetæ fingunt in Comœdiis.
Omnes res geſtas eſſe Athenis autumant;
Illud quò vobis Græcum videatur magis.

Articulus V.

De Ridiculo.

Illud ſecundùm mentem Ariſtotelis Ridiculum dicitur, quod turpe eſt, ſed minimè injurioſum. Duplex enim diſtinguit turpitudinis genus; aliud quod patienti dolorem affert, ſpectanti miſericordiam; aliud quod patienti pudorem, audientibus riſum præbet. Prioris generis ſunt, inquit, verbera, cædes, egeſtas, cæcitas & ſimilia. Poſterioris eſt, ridicula facies, qualis fuit Therſitæ.

Conſonat Ariſtoteli Tullius, qui de Ridiculo ita prope loquitur, *L. 2. de Orat. Locus autem, & regio quaſi Ridiculi turpitudine & deformitate quadam continetur. Hæc enim ridentur vel ſola, vel maximè, quæ notant & deſignant turpitudinem aliquam non turpiter*. Et paulo poſt: *Materies omnis Ridiculorum eſt in iſtis vitiis, quæ ſunt in vita hominum neque carorum, neque calamitoſorum, neque eorum, qui ob facinus ad ſupplicium rapiendi videntur; eaque bellè agitata ridentur: Eſt etiam deformitatis & corporis vitiorum ſatis bella materies ad jocandum.*

Porro id Comœdia ſectatur in moribus, quod ita riſum moveat propter turpitudinem, ut indignationem

non excitet, ita pariat delectationem, ut injuria neminem afficiat. Quare abſtinet illa penitus ab exhibendis gravioribus facinoribus, qualia ſunt, odia aſpera, conjurationes, maleficia, interneciones, quæ perturbandis animis nata ſunt; ſed ex ſervorum fraudibus, ſenum avaritia, aliiſque ludicris ejuſmodi rebus ridendi locum captat. Hinc maledicentiæ, probris, protervæ dicacitati parcit: urbanas verò facetias, lepidos ſales & liberales jocos adhibet.

Igitur Ridiculum Comœdiæ proprium partim ex rebus, quæ ridendæ proponuntur, partim ex jocis ac ſalibus, quibus res illæ pertractantur, exſurgit.

In rebus virtus gemina requiritur Veriſimilitudo & Admirabilitas. Veriſimilitudo quidem; nam quæ fidem omnem ſuperant, ut ſunt aliena prorſus à moribus, ita nec afficiunt animos, nec erudire poſſunt. Admirabilitas verò; quia quod vulgare eſt, nec admirationem facit, nec ſtimulat riſum cordatis ſaltem ac ſapientibus viris.

Porro Admirabilitas conſiſtit primò in caſibus inopinatis, in rerum fortunæque converſionibus, non quæ graviſſimas, in Tragœdia, perturbationes excitent, ſed quæ tamen affectus cieant ob res leviores: puta, vel doloris ob amiſſam pecuniam, ob retuſas artes; vel lætitiæ ob deluſum ſenem, ob compotem voti ſententiam, & ſimilia. Hoc enim in Comœdiis adhibendum temperamentum eſt, ut neque extumeſcant ad Tragicam celſitudinem, neque ad Hiſtrionicam ſcurrilitatem abjiciantur. Secundò Admirabilitas oritur ex perſonarum indole; quæ ficta ſit ad jucunditatem, & nativam morum imaginem exhibeat.

Quod ſpectat ad ſales & jocos, ex quibus Ridiculum naſcitur, videndum, qui ſervari modus debeat. Nam joci non infra Soccum; ſeria non uſque ad Cothurnum, inquit Apulejus.

Proinde duplex eſt diſtinguendum joci genus: Alterum elegans, facetum, urbanum atque liberale. Alterum ſcurrile, petulans, flagitioſum ac Mimicum.

Elegans jocus dicitur, qui in verborum concinnitate, dictorum excogitatione ingenioſa, geſtus conformatione conſiſtit.

Facetus, qui ſic riſus ac ſales aucupatur, ut cum lepore gratiam ac modeſtiæ ſignificationem præſeferat.

Urbanus, qui cum hilaritate vultus & vocis ſuavitate conjungitur.

Liberalis, quem præferre virum probum & liberaliter educatum non dedeceat.

Contra ſcurrilis ille jocus eſt, qui ſine cauſa riſum captat.

Petulans, qui genus verborum ſcurrile, abjectum & minime ingenuum uſurpat.

Flagitioſus, qui mordet cum contumelia, minùs honeſta loquitur, in obſcœna prorumpit.

Mimicus, qui ea impudenter imitatur, quæ vel à Religione, vel à ratione ipſa abhorreant.

Priores joci in pretio ſunt, & à Comœdia ultro admittuntur, poſteriores uſurpandi nunquam, ſed ad piſtrinum damnandi.

Atque ob eam rem ab Horatio damnatur Plautus, qui univerſo populo cum placere mallet, quam paucis bonis, liberiores plerumque jocos, frigidos & obſcœnos ſales ſuis in Fabulis adhibuit. Sic enim de eo loquitur *in Arte Poet.*

At noſtri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere ſales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtultè mirati; ſi modo ego & vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto.

Con-

Contra Terentius, qui ſtudebat gratioſus eſſe apud Scipiones, Furios & ſimiles, à quibus etiam in ſcribendo adjuvari dicebatur, abſtinuit magis à frigidis, & ab obſcœnis temperavit.

Rurſus partitur jocos Tullius in eos qui in Re, qui in Verbo, qui in utroque ponuntur. Jocus eſt in Re, cum res ipſa per ſe jocum movet, ut ſi quis averſis veſtigiis obambulet; in Verbo, cum perit jocus, ſi verbum tollitur; talis cujuſdam jocus in male olentem, qui ad ipſum venerat. *Video me à te non conveniri, ſed circumveniri.* In Re ſimul & in Verbo, Ridiculum eſt illud Neronianum de furace ſervo, quem ſolum eſſe diceret, cui domi nihil erat occluſum.

In jocis qui ſolo Verbo continentur, oritur Ridiculum ex parodiis, cum res dicta seriò ridiculum in ſenſum detorquetur. Ita quod dixerat Æſchylus, *Domina quinquaginta Nereidum puellarum*, dixit Ariſtophanes de Anguilla, *maxima natu quinquaginta Copaidum virginum.*

Fit etiam jocus ex ambiguitate Verbi, quod geminam ſignificationem patiatur. Ita Martialis ludit in Poſthumum, qui unguentorum delicias curioſiùs affectabat.

Poſthume non bene olet, qui bene ſemper olet.

Valet pariter ad feſtivitatem apud populum, cum præter expectationem idem de eodem dicitur. Habet multa ejuſmodi Plautus; ut in Capt. *Prol.*

Hos quos videtis ſtare captivos duos,
Illi qui adſtant, hi ſtant ambo, non ſedent.

In Curcul. *Act.* 1. *Sc.* 3.

Quoi homini Dii ſunt propitii, ei non iratos puto.

In Stich. *Act.* 1. *Sc.* 2.

E malis multis, malum quod minimum, id minimum eſt malum.

Verùm joci illi, ſi frequentiùs uſurpentur, leporem amittunt, & ſiunt frigidi.

ARTICULUS VI.

De Moribus & de Dictione.

Nihil adjiciendum videtur ad ea quæ dicta ſunt de Moribus, cum de Tragœdia ageremus; niſi ſervandam eſſe in Comœdia eandem cautionem, quam in Tragœdia adhibendam eſſe præſcripſimus: nimirum, ut mores perſonarum ingenio, ætati, conditioni, affectibus accommodentur; adeoque id agant & loquantur ſinguli, qui inducuntur in ſcenam, quod ætati ſuæ, officiis & vitæ conſuetudini maximè conveniat. Id igitur curabit Comœdiæ Scriptor, ut Senes prudentes, ſuſpicioſi, laudatores ſui temporis, queruli, minimorum caſtigatores, avari repræſententur. Juvenes cupidi, præcipites, prodigi, voluptatum amatores; Servi verſipelles, ſubdoli, nugis, fraudibus, furtis inſervientes.

Quod ſpectat ad Dictionem, diſcrepare debet ab ea, quam Tragœdia uſurpat. *Neque enim*, inquit Quintilianus, *L.* 10. *c.* 1. *Comœdia in Cothurnos aſſurgit, nec contra Tragœdia Socco ingreditur.* Hoc eſt dictio Comica non eſt grandis aut ſublimis, ut Tragica; ſed magnificentiæ expers, humilis, mediocri ornatu contenta, popularis, è medio ſumpta, utpote quæ eorum loquendi modum imitatur, quorum perſonas exhibet. Imo parum admodum diſtat ab oratione ſoluta; niſi quòd metro vincta eſt. Hinc Cicero *in Orat. Perſ. Itaque video viſum eſſe nonnullis Platonis & Democriti*

criti locutionem, etſi abſit à verſu, tamen quòd incitatiùs feratur, & clariſſimis verborum luminibus utatur, potiùs Poema putandum, quam Comicorum Poetarum, apud quos, niſi quòd verſiculi ſint, nihil eſt aliud quotidiani diſſimile ſermonis.

Aſſurgit tamen Comœdia nonnunquam, cum vehementiores affectus exprimendi ſunt. Hinc Horatius *in Arte*.

Interdum tamen & vocem Comœdia tollit,
Iratuſque Chremes tumido delitigat ore.

Tamen meritò idem Horatius obſervat, *quòd acer ſpiritus, ac vis, nec verbis, nec rebus ineſt*.

Verùm, quamvis abſit à Comœdia ſtyli ſublimitas atque magnificentia, nihilominus abeſſe lepos, ac nativa ſimplicitas non debent.

ARTICULUS VII.

De variis Comœdiæ Ætatibus.

Comœdia Græcorum pro variis ætatibus dividitur in Veterem, in Mediam & Novam.

Comedia Vetus duplex fuit. Alia rudis & inculta, ſed innoxia plenaque frugis & ſententiis referta, quæ captando riſui ſolùm ſtuderet. Hæc auctorem habuit Epicharmum Siculum. Alia quæ deinde ſecuta eſt, & Veteris Comœdiæ nomine ſingulariter intelligitur, mordax inprimis & plerumque obſcœna, quæ non populi modò, ſed Primatum etiam carperet mores, & vitam nominatim perſtringeret. Nam cum populum penes eſſet Reipublicæ adminiſtratio, ſitque illa vulgi indoles, ut inſita feratur in nobilitatem æmulatione, nihil Poetæ hujus temporis eſſe putabant multitudinis auribus acceptiùs, quam ſi Primores quoſque civitatis maledictis ac probris aſpergerent. Hoc teſtatur Cicero *Libro 4. de Rep.* ubi de vetere Comœdia ita loquitur. *Quem illa attigit? quem non vexavit? cui pepercit? Eſto: populares homines, improbos, in Rempublicam ſeditioſos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum læſit: patiamur: Etſi hujuſmodi cives à Cenſore melius eſt, quam à Poeta notari. Sed Periclem, cum jam ſuæ civitati maxima auctoritate plurimos annos domi & belli præfuiſſet, violari verſibus, & eos agi in ſcena, non plus decuit, quam ſi Plautus noſter voluiſſet, aut Nævius P. & Cn. Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni maledicere.*

Fuere illius Comœdiæ Principes, Eupolis, Cratinus, & Ariſtophanes, Horatio teſte *L. 1. Sat. 4.*

Verum tranſlata deinde ad Archontas poteſtate, repreſſa eſt Comœdiæ licentia, & ſublato Choro, qui ſæviebat maledicentiùs, ſancita lex, ne quiſquam infami carmine alterum proſcinderet. De hac lege Horatius *in Arte*.

Succeſſit Vetus his Comœdia, non ſine multa
Laude, ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam Lege regi. Lex eſt accepta; Choruſque
Turpiter obticuit, ſublato jure nocendi.

Mox & fuſtuarii pœna in eos decreta, qui alterius vitæ ac famæ in ſcena detraherent, de qua idem Horatius.

Quin etiam Lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Deſcribi: vertere modum formidine fuſtis.

Huic ergo Comœdiæ ſucceſſit alia, quæ Media dicta eſt; hæc Poetarum quidem ſcripta cavillabatur; cæteros verò non apertè, ſed modeſtè verecundeque reprehendebat. Vitia enim civium carpebantur universè, nominibus verò parcebatur. Vel ſi notabatur unus aliquis, id obſcurè fie-

bat

bat, atque alieno nomine. Non ita tamen, ut potentiores in ſe dicta non ſentirent, quæ de Poetis dicerentur. Inter Scriptores hujus Comœdiæ maximum Athenis nomen fuit Philibei & Stephani, imo & Platonis Comici, qui ejus Princeps habitus eſt.

Denique tertium vel quartum natum eſt Comœdiæ genus, quæ Nova eſt appellata. Hæc argumento magis communi & ad omnes mediæ ſortis homines generatim pertinebat, minuſque amaritudinis ſpectatoribus & eadem opera multùm delectationis afferebat. Differt Nova à Vetere, quòd hæc ſæpiùs in argumentis veris verſetur, illa ſemper in fictis: Hæc maledica ſemper, illa aculeos habeat nonnunquam, ſed ſine cujuſquam contumelia. Neque eadem eſt in utraque partium atque Actuum diſtinctio. Vetus varia miſcet carminum genera; Nova Jambicis tantùm aut Trochaicis utitur. Hoc etiam Nova plurimùm diſcrepat à Vetere, quòd illa ſtylo elegantiore perſpicuam magis & magis æquabilem dictionem adhibet; hæc acerbam magis & ſublimiorem. Floruit præſertim in eo Comœdiæ genere Menander, & inter cæteros Comicos recentiores palmam tulit.

Novam hanc ac recentem Comœdiam Romani imitati ſunt; fuitque eorum Comœdia duplex. Alia Palliata, quæ argumentum duceret è Græco, adeoque Græcorum ritus ſervaret in ſcribendo, & indutos Pallio Hiſtriones in ſcenam induceret. Alia Togata, quæ Romanum argumentum tractaret, & Togatos exhiberet Actores, Romanoſque mores imitaretur.

Alia diviſio Romanæ Comœdiæ fuit in Motarias, Statarias & Mixtas. Motariæ turbulentæ, Statariæ quietiores, Mixtæ in utrumque concurrunt. Motaria eſt Amphitryo Plauti, Stataria ejuſdem Ciſtelaria, Mixta, Andria Terentii.

Tertia ſpecies eſt Fabularum Latinarum, quæ à civitate Oſcorum Atella, in qua primum cœptæ, Atellanæ dictæ ſunt, Argumentis dictiſque jocularibus ſimiles ſatiricis Fabulis Græcis.

Vocatæ ſunt etiam Fabulæ iſtæ Exodia, quòd exhiberentur poſt Fabulam ſeriam, ut quidquid lacrymarum atque triſtitiæ contractum eſſet in Tragicis affectibus, hujus ſpectaculi riſus abſtergeret. De his Fabulis ita Livius Lib. 7. *Poſtquam lege hac fabularum ab riſu ac ſoluto joco res avocabatur, & ludus paulatim in artem venerat, Juventus, Hiſtrionibus Fabularum actu relicto, ipſa inter ſeſe more antiquo ridicula intexta verſibus jactitare cœpit, quæ inde Exodia poſtea appellata, conſertaque Fabellis potiſſimum Atellanis ſunt; quod genus ludorum ab Oſcis exceptum tenuit Juventus, nec ab Hiſtrionibus pollui paſſa eſt.*

De fine Comœdiæ ſatis diximus multa dum cæteras Comœdiæ partes agitaremus, ut nihil adjiciendum ultra videatur.

ARTICULUS VIII.

De Poetis Comicis Græcis.

ARISTOPHANES.

Ariſtophanes in Cydathenienſi pago natus floruit tempore Socratis circa Olympiadem 86. & mortuus eſt Athenis anno ante Chriſtum 400. In carpendis hominum vitiis tam mordax eſt, quàm qui mordaciſſimus. *Eſt cum riſu mordax*, inquit Scaliger, *atque in ſubſannando inſignis*. Nihil fere à quoquam dictum, quod in alicujus perniciem non detor-

torqueat. Sententiæ ejus ſemper ancipites, quas ad riſum, deinde in deteriorem partem, aut meliorem propter admirationem vertat. Socratis Rempublicam, alteram in aere commentus, irridet in Fabula quæ *Nubes* inſcribitur. Ejus ingenium ita reveriti ſunt Athenienſes, ut quamquam illæſi non eſſent ab ejus ſalibus, tamen coronam illi ex lauru ſacra, quæ in arce aſſervabatur, decreverint, in perenne animi ſui pro defricata urbe atque Republica monumentum. Reſtant ex pluribus Comœdiis, quas ſcripſit, undecim, quarum præcipuo habentur in pretio Tres, *Plutus*, *Nubes*, ac *Ranæ*.

MENANDER.

Athenienſis fuit & novæ Comœdiæ Princeps. Natus ſub Alexandro Magno 114. Olympiade, ſive, ut alii volunt, 109. Mortuus eſt anno ætatis ſuæ 50; ſeu, ut quibuſdam placet, 55. ad Pyræum portum aquis ſubmerſus. Dicitur ſcripſiſſe Fabulas octoginta, quarum pauca reſtant fragmenta, in quibus, uti in moribus, parum caſtus ac pudicus extitit. Quare Ovidius ipſe de eo ita loquitur 2. *Triſt.*

Fabula jucundi nulla eſt ſine amore Menandri.

Quod autem de ejus Comœdiis judicium Quintilianus tulit, *L.* 10. *c.* 1. eſt ejuſmodi, ut qui Menandrum habeat, cæteris, in eo genere, Poetarum ſcriptis carere facile poſſit; adeo ſatis unus ad informandum ingenium videbatur, *Is enim*, inquit, *vel unus, meo quidem judicio, diligenter lectus ad cuncta, quæ præcipimus, effingenda ſufficiat; ita omnem vitæ imaginem expreſſit, tanta in eo inveniendi copia & eloquendi facultas: ita eſt omnibus rebus, perſonis, affectibus accommodatus*. Addit de eodem, neminem eſſe magis idoneum ad informandos oratores, *quibus neceſſe eſt ſecundum conditionem controverſiarum plures ſubire perſonas, patrum, filiorum, maritorum, militum, ruſticorum, divitum, pauperum, iraſcentium, deprecantium, mitium, aſperorum, in quibus omnibus decorum ab hoc Poeta mire cuſtoditur.*

PHILEMON.

Philemon, qui Syracuſanus aliis, aliis Pompejopolitanus dicitur, vixit regnante Antigono, & anno ætatis ſuæ 99 nimio riſu fertur periiſſe; dum Aſinum ſuum ficus avidè comedentem cerneret. Inter Scriptores novæ Comœdiæ recenſetur. Scripſit Comœdias 90. quarum pauca ſuperſunt fragmenta. Hoc fuit de ipſo Quintiliani judicium. *Philemon*, inquit, *qui, ut pravis ſui temporis judiciis Menandro ſæpe prælatus eſt, ita conſenſu omnium meruit credi ſecundus.*

ARTICULUS IX.

De Poetis Comicis Latinis.

PLAUTUS.

Marcus Accius Plautus Surſiniis natus in finibus Umbriæ & Æmiliæ, mortuus eſt anno ab urbe condita 570. ante Chriſtum 184. Scripſit plures Comœdias, quarum ſuperſunt 20. Varia fuere tam veterum, quàm recentiorum de Plauto judicia. Alii Latinæ Comœdiæ Principem illum appellant, cui tam propter rerum varietatem, quas tractavit, & quandam vim atque ubertatem, quàm propter amœnitatem jocorum & ſermonis ipſius elegantiam neminem cenſent eſſe conferendum. Alii cum ex iſta laude multum de-

Digitized by Google

cerpunt; tum certè nec in conſtituenda fabula, nec in imitandis moribus felicem ſatis fuiſſe Plautum arbitrantur. Equidem fertile inprimis ac vividum Plauto ingenium fuit; jocandi genus elegans, urbanum ac facetum. At dum lepidus ambit eſſe præter modum, & auræ populari ſervit impenſiùs, frigidis paſſim & infacetis ſalibus indulſit; propter quos non ab Horatio tantùm, ſed ab aliis etiam non vulgaris notæ cenſoribus meruit reprehendi. Hinc nec in ipſo ſermone ſatis caſtigatus viſus eſt, qui captandi riſus gratia antiquata dudum & obſoleta verba revocat poſtliminio, & putidiùs affectat. Inter cæteras quas edidit Fabulas primarium ſine controverſia locum obtinet, quæ *Amphitryo* inſcribitur.

TERENTIUS.

Publius Terentius Africanus fuit natus Carthagine, Romæ ſervus aliquandiu fuit, ſed mox ob præclarum ingenii ſpecimen libertate donatus. Scripſit Comœdias omnino ſex, *Andriam*, *Hecyram*, *Heautontimorumenon*, *Phormionem*, *Eunuchum* & *Adelphos*. Plures numero ipſi quidam attribuunt, quas naufragio periiſſe, ipſo auctore ſuperſtite, narrant. Mortuus eſt in Arcadia anno Urbis conditæ 505, ſive in Achaja, ut aliis placet, anno 509.

Principem Latinos inter Comicos locum Terentius ſibi vindicat; quem etſi ab omni penitus expertem macula tam priſci quàm recentes Critici non putant; tamen nemo pœne unus eorum eſt, apud quem ſingulari in pretio non fuerit.

Tria ſunt quæ Terentium inprimis commendant. Primum ars illa ſingularis, quæ in conſtituenda, informanda, & ad finem uſque perducenda feliciter Fabula poſita eſt: quâ ſuperiorem cæteris Comœdiarum Scriptoribus Terentium agnoſcit Horatius, cum ait *in Arte*.

Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.

Alterum, mirabilis quædam in pingendis ad vivum imitandiſque ætatis cujuſcumque, conditionis ac perſonæ moribus dexteritas ac ſolertia; quæ Terentii propria laus cum veterum, tum recentiorum Criticorum teſtimonio comprobatur. Huc accedit morata diligenter & obſcœnitatis pœne omnis expers ejuſdem oratio, propter quam acceptus fuit ſapientiſſimis viris Scipioni ac Lælio, à quibus in elucubrandis Fabulis adjutum ſe fuiſſe Terentius non inficiatur.

Denique Latini ſermonis lepores omnes ac delicias ita complexus Terentius eſt, ut nemo ad ejus concinnitatem & elegantiam acceſſerit. Ita ſentit Tullius multis in locis, qui nativam Terentii ſimplicitatem & amœnitatem ingenuam viſus eſt ſibi imitandam propoſuiſſe.

Andriam, Heautontimorumenon, Eunuchum & Adelphos è Græco Menandri; Hecyram & Phormionem ex Apollodoro ſic expreſſit Terentius, ut non imitator putidus, ſed ſui inventor atque artifex operis videri debeat.

CAPUT IV.

De Carmine Paſtorali ſeu Bucolico.

ARTICULUS PRIMUS.

De Bucolici Carminis origine.

Carmen, quod Bucolicum Græcis dicitur, à Latinis vocatur Paſtorale. Bucolicum autem à Bubulcis appellationem traxit. Nam etſi Pa-

Paſtores omnis generis in Bucolicis locum habent, tamen Paſtorali Carmini nomen imponi debuit ab eo gradu, qui apud Paſtores excellentiſſimus invenitur. Paſtores verò honeſtiſſimi & maximi inter cæteros pretii olim cenſebantur, quos Bubulcos dicimus.

Originem Bucolici Carminis alii ad alias cauſas referunt. Sunt qui à Lacedæmoniis Paſtoribus Dianæ primùm dictum hoc carmen arbitrentur, cum eidem Deæ propter bellum, quod toti Græciæ illo tempore Perſæ inferebant, exhiberi per virgines de more ſacra non poſſent. Alii Oreſtem ferunt auctorem hujus Carminis, quod per ſemetipſe perque Paſtores Dianæ decantavit; quo tempore de Scythia fugiens, & per Siciliam vagus cum amico Pylade, rapto Divæ ſimulacro, apud aras ejuſdem Numinis per Iphigeniam à parricidio expiatus eſt. Alii Apollini Nomio aut etiam Mercurio Paſtoralibus Deis tribuunt, cum Admeti boves paſcerent. Alii à Libero Nympharum, Satyrorum & aliorum id genus Numinum Principi, quibus ruſticum inprimis carmen placet, inventum dicunt. Alii inſtitutum à Pane defendunt & Virgilium adducunt teſtem, qui Ecloga ſecunda ita loquitur.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Inſtituit.

In tanta Auctorum varietate, hoc certè videtur extra controverſiam poſitum Peloponeſiis vel Siculis tribuendam eſſe Bucolici Carminis inventionem, apud quos Dorica dialectus erat in uſu, quo ſcriptum idiomate Bucolicum carmen invenitur. Peloponeſiis quidem favet Virgilius, qui Arcadas in iis regionibus poſitos ait eo Carminis genere fuiſſe delectatos, *Eclog.* 7.

Arcades ambo,
Et cantare pares, & decertare parati.

Idem videtur Siculis ſuffragari, qui ipſorum nomine carmen Bucolicum appellat. *Eclog.* 4.

Sicelides muſæ paulò majora canamus.

Et *Eclog.* 6.

Prima Syracuſio dignata eſt ludere verſu,
Noſtra nec erubuit Sylvas habitare Thalia.

Adde quæ de Oreſte in Sicilia profugo dicta ſunt, & inſtitutos ante Hieronis tempora ob peſtilentiam ludos, ad Dianam donis & Bucolico carmine placandam: quæ omnia revincunt Bucolici Carminis gloriam Siculis eſſe tribuendam.

Ut ut eſt; *Probabiliſſimum eſt*, inquit Donatus in Virgilii vita, *carmen Bucolicum originem ducere à priſcis temporibus, quibus Paſtoralis vita exercita erat; & ideo velut aurei ſæculi ſpecimen in ejuſmodi perſonarum ſimplicitate cognoſci.*

Articulus II.

De Natura & Definitione Carminis Bucolici.

Poeſis omnis imitatio eſt alicujus actionis, quæ, cum varia ſit ac multiplex, vel ipſa per ſe, vel imitatione, varia item Poeſeos genera conſtituit.

Hinc facile eſt intelligere triplicem diſtingui Paſtoralis Carminis ſpeciem. Primam, qua Paſtores inducuntur colloquentes inter ſe, & ipſi rem exhibent ſine Poetæ interlocutione. Alteram in qua ipſe Poeta loquitur, & Paſtorum actiones aliquas, aut eorum affectus enarrat, ſine interpoſitione perſonæ. Tertiam, quæ priorem utramque complectitur, ubi & Poeta ipſe loquitur, & introductæ perſonæ mutuos ſermones habent. Prima dicitur Activa, ſive Dramatica, qualis eſt Ecloga Virgilii prima, quæ ſic incipit.

Tity-

Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine fagi.

Secunda vocatur Narrativa, cujus exemplum ſufficit Ecloga ejuſdem Virgilii ſexta; cujus eſt initium.

Prima Syracuſio dignata eſt ludere verſu.

Tertia appellatur Mixta, talis eſt Ecloga Virgilii nona, quæ ſic auſpicatur.

Paſtoris muſam Damonis & Alpheſibœi.

Jam verò Paſtorale Carmen deſiniri rectè poteſt, Imitatio Paſtoralis actionis. Unde rejiciuntur à Carmine Paſtorali quæcumque Paſtorali vitæ minùs congruunt, & à Paſtorum moribus ac conſuetudine diſcrepant. Quòd ſi Paſtores exhibere contigerit in ſcena, qui de Regum funeribus, de civilibus bellis, & aliis ejuſmodi argumentis, quæ ſublimiora ſunt, inter ſe colloquantur, hæc ita temperare oportebit, ut à tenuitate Paſtorum non recedant. Sin verò in Eclogam perſona illuſtrior aut heroica inducitur, tacebitur nomen, & propria Paſtoris cujuſpiam appellatione diſſimulabitur; cavebitque Poeta diligenter, ne quid ille ſupra Paſtoris captum efferat. Res enim ruſticæ tam pertinent ad naturam hujus Carminis, quàm perſonæ ipſæ Paſtorales. Imo quæ comparationes adhibentur, illas neceſſe eſt à rure ipſo mutuari.

Hoc porro cauſæ eſt, cur ex decem, quæ numerantur, Virgilii Eclogis, ſeptem tantùm Bucolicæ agnoſcantur, excipianturque omnium de numero omnino tres, Pollio ſcilicet, Silenus, & Gallus, tum quia ſylveſtribus ac mere ruſticis argumentis non continentur, tum quia ipſas Deorum perſonas loquentes admittunt.

Neque verò peccaſſe propterea contra Carminis indolem Virgilius dicendus eſt aut ignorantia, aut incuria; ſed à Bucolico Carmine, petita quodammodo licentia, videtur receſſiſſe, cum ſic præfatur in Pollione. *Ecl*. 4.

Sicelides muſæ paulò majora canamus;
Non omnes arbuſta juvant humileſque myricæ.

Quod feciſſe credendus eſt, ſi Servium audias in Eclogam primam, vel ut vitaret varietate faſtidium, vel ut inſertis altioribus rebus placeret magis; ſecutus in ea re Theocritum ducem, cujus ex omnibus Idylliis decem tantum Bucolica reputantur, novem prima ſcilicet, & undecimum.

Obſervandum præterea eſt, non omnia, quæ agreſtia ſunt & ruris propria, Bucolico Carmini convenire, eoſque contra ſimilitudinem veri peccare non nihil, qui colloquentes elegantiùs inducunt colonos, vinitores, piſcatores, aucupes; quoniam eorum vita eſt laborioſa nimis & actuoſa, quàm ut aut cantilenis, aut dulcibus colloquiis indulgeant, aut teneros amores meditentur. Nihil vetat tamen quominus his de rebus, quæ ad iſtorum hominum conditionem pertinent, Paſtores ipſi inter ſe diſſerant.

ARTICULUS III.

De Virtutibus Paſtoralis Carminis.

Suæ ſunt huic generi Poeſeos, quemadmodum & aliis certæ quædam ac propriæ virtutes. Epopœja quidem majeſtatem, Tragœdia vim atque vehementiam; Comœdia Ridiculum ac jocos, Ecloga candorem ingenuum atque ſimplicitatem deſiderat. Ea verò ſpecies eſt optima, qua ætatis aureæ mores feliciter exprimuntur. Iis enim certè temporibus Paſtores ingenio & virtute præ-

Digitized by Google

rabant. Quod ut aſſequi poſſis, admiſcenda quidem Fabula, ſine qua nulla poeſis eſt: ſed cavendum inprimis, ne mirabiles, vel repentinæ mutationes fingantur; ab iis enim improviſis caſibus implicatiſque negotiis vita Paſtoralis pura & immunis eſt.

Jam verò ne ſint tam exculti mores aut politi, quàm in urbe vel in aula cernuntur: multò minùs pingantur horridi & agreſtes, quales ruſtici noſtrorum temporum præſeferunt. Abſit à ſententiis gravitas ac magnificentia: nam quis ruri, ubi debent omnia eſſe ſimplicitatis pleniſſima, quærat fucum, & luxum ferat? Comparationes à rure petantur, quæ humiles quantumvis ac tenues, ſi clarè ac nitidè explicentur, ſingularem huic Carmini gratiam ac venuſtatem conferunt.

Denique ſtylus ſit nitidus & multis interciſus locis, neque contextus orationis fuſos longiùs & continuatos habeat. Semper enim meminiſſe oportet Paſtoralem Poetam calamo ſe, non tuba canere.

Articulus IV.

De Dictione Carminis Paſtoralis.

Supereſt, ut de Carminis Paſtoralis Dictione pauca adjiciamus. Debet eſſe illa elegans ac munda, quæ nitidam Latinitatis puritatem integritatemque redoleat. Certè Tityrus in umbra fagi tam purè Latinèque, quàm in aula Auguſtus ipſe loquitur. Non ita Theocritus, cujus *Muſa ruſtica & Paſtoralis* Quintiliano teſte *L.* 10. *c.* 1. *non forum modò, verùm etiam urbem reformidat*. Ratio illius diverſitatis eſt, quòd apud Græcos ſuus ſermo ſit Ruſticis ab Urbano diverſus. Dorica enim uſus eſt Dialecto Theocritus ſuis in Bucolicis, tanquam huic generi Carminis inter cæteras maximè idonea; quam Paſtorum primi, qui Dianæ laudes verſibus in Sicilia celebraverant, adhibuiſſe dicebantur. Hæc autem ſermonis varietas apud Latinos non invenitur; unde Probus obſervat Bucolica majori negotio à Latinis ſcribi, quàm à Græcis.

Addo, quod plurimum valet in hoc Carmine, brevitatem requiri. Si quid enim laxum & non preſſum ſit, ruit continuò & concidit, propter argumenti tenuitatem, quæ orationis vi & quibuſdam quaſi lacertis eſt ſuſtinenda.

Articulus V.

De Poetis Bucolicis Græcis.

THEOCRITUS.

Syracuſis natus in Sicilia Theocritus vivebat Olympiade 123. tempore Ptolomæi Philadelphi. Is, etſi Bucolici Carminis primus auctor non fuit, Princeps tamen in eo ſcribendi genere ab omnibus habitus eſt. Elucet enim in ejus Idylliis plena ſuavitatis amœnitas, experſque fuci candor, quibus tam expreſſit ad vivum naturam ruris atque indolem, ut in ejus verſibus, tanquam in tabella, hominum rure degentium vita moreſque depicti videantur. Quod de Theocrito dictum à Quintiliano retulimus, muſam illius paſtoralem ac ruſticam non forum modò, ſed urbem etiam reformidare, nihil videtur ſignificare aliud, niſi quòd Theocriti Idyllia prodeſſe illis non poſſent, qui Oratoriam ad artem informarentur, aut qui nativa ſimplicitate non gauderent. Verùm hæc ipſa ſcribendi ratio, quo propria ruris magis & paſtorum rure viventium viſa eſt, eo majorem ejus carminibus gratiam ac venuſtatem conciliavit. Qua enim laude ac gloria alium ſectatus eſſe ſtyli modum, à quo candor ac ſimplicitas, quæ dos eſt Bucolici Carminis

præcipua, abfuiſſent. Imo fecit nativa illa ac ruſtica ſimplicitas, quam eo conſilio affectavit Theocritus, ut tantam apud omnes admirationem conſequeretur.

MOSCUS & BION.

Moſchus Syracuſanus in Sicilia Ariſtarchi diſcipulus vixit Ptolomæi Philometoris temporibus ab Olympiade 149 ad 159. Illi vixit æqualis Bion Smyrnæus. Utriuſque Idyllia, quæ reſtant pauca, uno collecta in volumine leguntur, propter affinitatem quam habent cùm ratione argumenti, quod ambo tractavere, tum ipſo illius tractandi modo. Non defuit Moſcho & Bioni venuſtas aut gratia, & politioris ſimplicitatis æmulatores ipſum Theocritum hac viciſſe parte cenſentur. Uter autem utri præſtet, ſi quis quæſierit, plus venuſtatis ac gratiæ in Bione, quàm in Moſcho deprehenditur.

ARTICULUS VI.

De Poetis Latinis Bucolicis.

VIRGILIUS.

Virgilium unum multorum inſtar proponimus Bucolici Carminis Scriptorem, quia neminem præter eum è veteribus invenimus, qui in eo ſcribendi genere nomen aliquod meruerit. Fuit hoc verò Eclogarum Virgilii fatum, ut cum primùm vulgatæ in lucem fuere, eam pepererint auctori ſuo famam, quam nulla conſequentium temporum ſeries imminuit. Hoc opus Octaviani Cæſaris juſſu à Virgilio ſuſceptum tam abſolutæ perfectionis viſum eſt peritiſſimis eo tempore rerum æſtimatoribus, ut jam tum Latini Carminis Princeps habitus ſit. Theocritum ſecutus ſuis in Bucolicis ducem, ſi caruit inventionis laude, exemplar ſuum imitando tam feliciter eſt aſſecutus, ut eodem non inferior, in multis etiam ſuperior videri meruerit. Certè ſpirant ejus Eclogæ molle neſcio quid, ac facetum quiddam, quod Camœnæ ipſæ ruris præſides Virgilio videntur annuiſſe; cui nihil par ac ſimile Theocriti muſa durior ac ruſticior præſeferat. Dictio ejuſdem tam elegans & Latinitatis tam exquiſitæ, ut neque urbis, neque aulæ ipſius judicium reformidet. Quod ſi ſtylo ſimplici ac ruris proprio ruſticam indolem atque vitam propiùs attigiſſe Theocritus viſus eſt, quàm Virgilius, hoc Græcæ linguæ ingenio debuit, quæ Latina ditior ſuas tam ruri, quàm urbi opes accommodat.

Scripſit Eclogas decem Virgilius, quarum ſeptem tantùm Bucolicæ ſunt. Tres reliquæ, Pollio ſcilicet, Silenus & Gallus, quia in iis argumentis verſantur, quæ Paſtoralem ſimplicitatem ſuperant, Bucolicæ dici non debent.

Ecloga *Prima* continet querelas de miſeria publica & privata, de agro recepto gratulationem, diciturque TITYRUS. *Secunda* ſignificationem benevolentiæ, & ALEXIS vocatur. *Tertia* certamen Paſtorum, & PALÆMON inſcribitur. *Quarta* Genethlia, & appellatur POLLIO. *Quinta* Epitaphium, & habet nomen DAPHNIS. *Sexta* Metamorphoſim, & dicitur VARUS & SILENUS. *Septima* Amores varios, & CORYDON appellatur. *Octava* Pharmaceutria, & DAMON inſcribitur. *Nona* Poetæ expoſtulationem, & vocatur MOERIS. *Decima* Galli deſiderium complectitur, & dicitur GALLUS.

CAPUT V.

De Carmine Didactico.

ARTICULUS PRIMUS.

De Definitione & Natura Carminis Didactici.

Carmen Didacticum, quod à voce Græca *διδάσκω*, *doceo* dicitur, eſt illud, quod præceptis continetur, & homines varias ad artes informandos ſuſcipit. Hoc præſtitit Heſiodus, qui in eo opere, quod inſcripſit, Ἔργα καὶ ἡμέραι, hoc eſt, *Opera* & *dies*, multas de Moribus, de Politica, de OEconomia, de Re maritima, de Agricultura præceptiones impertit. Id ipſum Virgilius Heſiodum imitatus perfecit in ſuis Georgicorum Libris quatuor, qui præcepta de Agricultura exercenda complectuntur.

Carmen Didacticum nullum argumenti genus reſpuit, cum res nulla ſit, de qua tradi præcepta non poſſint.

Quod ſpectat ad Formam ſeu virtutem illius Poematis, hæc eſt, opinor, ſi arida ex ſeſe ac jejuna præcepta rerum pulchritudine ac varietate illuſtrentur, ſi dictio ſit elegans ac concinna, ſi nativæ ſplendidæque deſcriptiones abundent, ſi lepidis narratiunculis, Poeticis fictionibus, inventis belle Fabulis faſtidioſa præceptorum ſeries interrumpatur; qua in re Virgilius excelluit; uti jam jam exponemus.

ARTICULUS II.

De Poetis Didacticis Græcis.

HESIODUS.

Heſiodus in Aſcra Beotiæ vico natus, unde Aſcræus dictus eſt, Homero antiquior fuit, ut quidam volunt, multò junior, ut aliis placet, æqualis, ut fert communis opinio; vixit paulò ante primam Olympiadem.

Ut Theogoniam Heſiodi, hoc eſt Deorum genealogiam, de qua nihil ad hunc locum pertinet, ſileamus; exſtat opus illud, cujus eſt hæc inſcriptio Ἔργα καὶ ἡμέραι, quod ſuſcepiſſe Heſiodus dicitur, ut homines ad laborem ſtimularet. Continet hic Liber, ut jam diximus, multa moratæ vitæ præcepta, quæ cum Rem maritimam, tum Agriculturam ſpectant.

Rarò aſſurgit, inquit Quintilianus *L.* 10. *c.* 1. *magnaque pars ejus in nominibus eſt occupata. Tamen utiles circa præcepta ſententiæ lenitaſque verborum, & compoſitionis probabilis: Daturque illi palma in illo medio genere dicendi.*

At Paterculus æquiùs ſenſit de Heſiodo *L.* 1. *Hiſt. Vir enim*, inquit, *perelegantis ingenii & molliſſima dulcedine carminum memorabilis, otii quietiſque cupidiſſimus, ut tempore tanto viro*; (Homerum intelligit) *ita operis auctoritate proximus.*

Nemo quidem Heſiodo, niſi perperam detraxerit ſtyli ſimplicis, nativi, æquabilis molliterque fluentis gloriam: nemo non fateatur utilitatem ex ejuſdem præceptionibus percipi poſſe plurimam. Verùm neque natura rerum, quas tractavit, neque ipſa tractandi ratio primarium ipſi Poetas inter Heroicos locum vindicant.

OPPIANUS.

Cilix fuit Oppianus è civitate Anazarbo ſive Coryco. Vixit Imperante Antonino Caracalla, cui obtulit geminum Poema Didacticum, alterum de Piſcatione, de Venatione alte-

alterum, non ſine maxima doctrinæ commendatione. Hujus opera, cum apud Imperatorem recitata eſſent, donatus eſt in ſingulos verſus aureo ſtatere, ut viginti millia aureorum pro omnibus acceperit. Quæ liberalis Caracallæ munificentia fecit, ut multos poſt annos carmina Oppiani aurea appellarentur. Mortuus eſt trigeſimo ætatis anno ex peſte Anazarbi ſæviente. Eum cives honorificentiſſimè ſepelierunt, erecta ad ejus monumentum ſtatua, quam eximio Epigrammate conſignarunt.

ARTICULUS III.

De Poetis Latinis Didacticis.

VIRGILIUS.

Quatuor Libros Didacticos edidit Virgilius, qui ab eo Georgica inſcripta ſunt. Georgicorum nomen à γεωργὸς agricola: hoc autem à γαῖα ſive *γία terra*, & *ἔργον opus*, dicitur. Quæcumque enim his Libris continentur, hæc ad agriculturam pertinent. Primus multiplicem arandi colendique agri rationem tradit. Secundus de ſerendis producendiſque arboribus tractat. Tertius agit de paſtu cultuque pecorum. Quartus de Apibus & procreando melle diſſerit.

Huic ſe operi Virgilius applicuit adultâ jam ætate, cum ingenii maturitatem adeptus, ſedulam ac felicem in formando perficiendoque ſtylo operam poſuiſſet. Illud exorſus ſub Mecœnatis oculis pariter atque auſpiciis, per cujus gratiam aditum ad ipſius Octaviani Cæſaris benevolentiam pertentabat, ſeptimo tandem anno complevit, qui fuit ab Urbe condita ſeptingenteſimus vigeſimus quartus.

Neque verò ita ſe capi paſſus eſt incredibili omnium admiratione, quam vulgatus Georgicorum Liber auctori ſuo ſtatim pepererat, quin eundem decimo poſt anno, qui Poetæ mortem præceſſit, diligenter recognoſceret; & à lætiſſimis rerum eventis nactus locum adulandi Auguſto Cæſari, multa leporum ac gratiarum ſegete probatiſſimum jam opus cumularet. Hinc novum decus Georgicis acceſſit, quæ novis viciſſim excepta plauſibus palmam Latini Carminis Virgilio meruere. Nihil enim deeſt huic operi vel concinnitatis & elegantiæ ad Dictionem, vel varietatis ad pulchritudinem, vel amœnitatis ad levandum præceptionum faſtidium, vel Poeticæ fictionis ad Fabulam, vel urbanitatis aulicæ ad commendationem Octaviani Cæſaris, cujus aucupari benevolentiam ante omnia contendebat.

Fecit Virgilius in Georgicis, ne rei cujuſquam expers & imperitus haberetur, tam bellè tamque ſcienter de unaquaque diſciplina diſſeruit. Nunc Philoſophus, aut recondita naturæ arcana ſcrutatur & explicat; aut ſolers ac ſagax ſupremum Numen attingit, & Platonicorum more ſuas ipſi dotes aſtruit atque perfectiones; aut mores informat documentis ſalubribus, modeſtiæ tenax ſemper ac pudoris, vel dum argumenti ſui neceſſitate ad ea deſcribenda deſcendit, quæ naturam, ut ſalvis verecundiæ legibus narrari poſſent, non habebant. Modò peritus Aſtronomus aſtrorum curſus cœlorumque converſiones ita metitur, ut non tam Agricolas, quam ipſos agrorum dominos & curioſos motuum cœleſtium ſcrutatores erudiat. Mox experiens Geographus per varias orbis plagas à Gadibus uſque Auroram & Gangem diſcurrit, & locorum ſitum ac nomina, proprietates regionum, ſoli cujuſque ingenium ex fabulis pa-

riter atque hiſtoriæ monumentis deſignat. Jam quaſi ætatem totam in perdiſcendis temporum ſuorum religionibus contriviſſet, Deorum cultum, ſacrorum originem, ceremonias, ritus, Pontificum jura, ſacras civileſque leges deſcribit. Denique tam referti ſunt quocumque eruditionis genere Georgicorum Libri, nihil ut ad perfectam veteris Romæ cognitionem deſiderandum reliquerint.

MANILIUS.

Vixit Cajus Manilius extremis Auguſti Cæſaris temporibus, quamvis ejus dictio ſuadere quibuſdam videatur, floruiſſe ipſum ſub Theodoſio ſeniore, eumque eſſe non Manilium, ſed Theodorum Manlium, quem Claudianus laudat à ſcientia ſyderum in ſuo, quem ad eum ſcripſit, Panegyrico. Ut ut eſt; exſtant ipſius Libri quinque de re Aſtronomica, quibus inter reliqua inveniuntur prima Sphæræ elementa Latinis verſibus reddita. Stylus ejus facilis in materia difficili & nondum tentata, quamvis multùm diſſimilis ab ea puritate & elegantia quam Auguſti tempora præferebant. Cæterùm laudatur multis à gravitate ſententiarum, à moratis egregiè præceptionibus, quas cum ad omnium, tum ad juventutis præcipuè captum atque indolem temperavit.

COLUMELLA.

Gadibus in Hiſpania natus eſt Columella, anno Imperantis Auguſti 42. Romæ ſcripſit Libros de Re ruſtica, & quod Virgilius tractandum aliis reliquerat, multa de Hortorum cultura præſcripſit. In pretio fuit inter cætera Poetæ illius Latinitas, quæ hodieque tanquam puriſſimi ſermonis exemplar ac regula ab omnibus ſinceræ Latinitatis amantibus obſervatur.

CAPUT VI.

De Carmine Elegiaco.

ARTICULUS PRIMUS.

De Definitione & Natura Elegiæ.

Elegia Carmen eſt flebile, quod indicat vox ipſa, unde deducitur, ἐλεῶ, *miſereor*. Propterea vocantur ab Horatio *L. 1. Od. 33. Miſerabiles Elegi*. Quare quidquid movere commiſerationem poteſt, aptum eſt, ut Elegia decantetur. Hinc exilii ſui acerbitatem deplorans Elegis Ovidius, ait, *L. 5. Triſt. El. 1.*

> Flebilis ut noſter ſtatus eſt, ita flebile Carmen.

Idem Tibulli mortem dum queritur.

> Flebilis indignos Elegeia ſolve capillos:
> Ah! nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Atque ut rerum omnium mors eſt luctuoſiſſima lacrymiſque digniſſima, ita funeribus proſequendis adhibita primùm Elegia eſt; & nunc Nenia ab extremo carmine, quod mortuo adcanitur, modò Epicedium à funebribus exequiis, mox Epitaphium à carmine lugubri, quod inſcribebatur monumentis, appellata eſt.

ARTICULUS II.

Quibus deinceps argumentis Elegia ſit accommodata.

Fuit hoc Elegiæ fatum, ut, quæ celebrandis mortuorum inferiis ſerviebat, ad alia luctuoſa pariter argumenta accommodaretur. Nam Carminis genus illud flebile ac querulum, ad amantium vota, querelas, deſideria exprimenda translatum eſt. Teſtantur hoc inter cætera Ovidianæ omnes.

omnes Epiſtolæ, quibus nihil præter amatorios luctus & inanes ejuſmodi Nenias continetur.

Mox ad omnem cujuſcumque generis querimoniam Elegiacum carmen extenſum eſt: quæ cauſa Horatio fuit, ut diceret *in Arte*.

Verſibus impariter junctis querimonia primùm incluſa eſt.

Quare Epiſtolæ quas Ovidius ab exilio ſuo ſcripſit, in quibus acerbitatem fortunæ ſuæ apud amicos expoſtulat, & natalis ſoli deſideria præſefert, Elegiacis verſibus exaratæ ſunt.

Neque verò querulis ac luctuoſis argumentis Elegia coerceri ſe paſſa eſt. Gratiorem in campum evolavit, & miſcuit læta triſtibus: quod Horatius ſignificavit, cum dixit *in eadem Arte*.

Verſibus impariter junctis querimonia primùm.
Mox etiam incluſa eſt voti ſententia compos.

Etenim felices rerum eventus, gaudia, gratulationes, feſtivi & hilares joci, Epigrammata Elegiaco carmine deſcribuntur.

At res ſublimes & majeſtas heroïca ab Elegia excluduntur: quapropter Horatius Elegos vocat exiguos *ibidem*.

Quis tamen exiguos Elegos emiſerit auctor.

Ovidius idipſum teſtatur *de Remed.*

Fortia Mœonio gaudent pede bella referri;
Deliciis illic quis locus eſſe poteſt?
Blanda pharetratos Elegeja cantet amores;
Et levis arbitrio ludat amica ſuo.
Callimachi numeris non eſt dicendus Achilles;
Cydippo non eſt oris, Homere, tui.

Quare idem Ovidius, cum Elegiacos numeros Faſtis ſuis aptaſſet, queritur, quòd Elegia argumenti hujus gravitati minus conveniat. *Faſt.* 2.

Quid voluit demens Elegis imponere tantùm
Ponderis? Heroï res erat iſta pedis.

Articulus III.

De Auctore Elegiæ.

Quis Elegiaci Carminis Auctor extiterit, res erat ipſis Horatii temporibus penitus incerta. Sic enim *in Arte* loquitur.

Quis tamen exiguos Elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Tamen Strabo Elegiæ principem appellat Callinum, qui Terentiano Mauro Callinous dicitur.

Pentametrum, dubitant, quis primus finxerit auctor;
Quidam non dubitant dicere Callinoum.

Eandem Strabo tribuit Mimnermo Colophonio gloriam, qui ſeptem Sapientibus antiquior fuiſſe narratur. Illius carmina ſolis amoribus referta fuiſſe teſtantur Horatius & Propertius. Horatius quidem *L.* 1. *Ep. ad Num.*

Si, Mimnermus uti cenſet, ſine amore jociſque
Nil eſt jucundum; vivas in amore jociſque.

Propertius verò.

Plus in amore valet Mimnermi verſus Homero.
Carmina manſuetus lævia quærit amor.

Poſt illos, Elegiaci Carminis laudem tulerunt Callimachus Cyrenæus, & Philetas Cous: quos Elegiæ principes Quintilianus appellat *L.* 10.

L. 10. cap. 1. Tunc & Elegiam vacabit in manus ſumere, cujus princeps habetur Callimachus: ſecundas plurimorum confeſſione Philetas occupavit.

De Eiſdem loquitur Propertius *L. 2. Eleg. 34.*

Tu ſatiùs mollem muſis imitere Philetam,
Et non inflati ſomnia Callimachi.

Et *L. 3. Eleg. 1.*

Callimachi manes & Coi ſacra Philetæ
In veſtrum, quæſo, ne ſinite ire nemus.

Et rurſus *ibid. Eleg. 8.*

Inter Callimachi ſat erit placuiſſe libellos,
Et cecinisse modis, Coe Poeta, tuis.

ARTICULUS IV.

De Elegiæ virtutibus.

Prima virtus Elegiæ eſt, nihil ut ſit in Elegis vel nimis quæſitum arte, vel accerſitum longiùs; nihil quod ex ipſa re, quæ ſe offert, natum non putes: ut abſit pigmentum omne, fucuſque puerilis: ut ſplendeat nativa quædam pulchritudo, quam neque minium neque ceruſſa corrumpant. Denique ut affectus animi, qui pinguntur, ita ſe prodant, ut nemo ſentire aliter aut loqui ſe poſſe ſibi videatur.

Altera Carminis Elegiaci dos ac virtus eſt, orationis ſuavitas & amœnitas liberalis, quæ nativos ſenſus exornet quidem, & rebus ipſis leporem conferat & gratiam, ſed petulantiam excludat omnem, aut verecundas minùs imagines, quibus offendatur ingenuus pudor, & caſtis integriſque moribus labes inferatur. Etenim exulent procul protervi molliореſque Elegi, qui placere Lectoribus non poſſunt, niſi vitant eoſdem & ad pravitatem erudiant.

Denique Elegiæ laus ultima ad Dictionem pertinet; quam ſtylus molliter fluens & æquabilis inprimis commendat. Ergo vitentur in Elegis duriores ſoni, crebræ ſyllabarum colliſiones, & aſperi vocum concurſus, qui teretes & delicatas aures lædunt. Hac parte vitioſus plerumque Catullus occurrit.

Jam Pentametri verſus exigit gratia, ut diſſyllaba voce concludatur, neque triſſyllabam aut plurium etiam ſyllabarum niſi rarò admittat; ut voces adjectivas, adverbia & participia in fine non patiatur.

ARTICULUS V.

De Poetis Elegiacis Græcis.

CALLIMACHUS.

Calliinachus Cyrenenſis in Africa vixit Ptolomæi Philadelphi & Ptolomæi Evergetæ temporibus, princeps Elegiaci Carminis à Quintiliano appellatus. Claruit inter Poetas veteris Græciæ, politioris elegantiæ gloria. Reſtant è ſcriptis Callimachi Libri duo: alter Hymnorum, Epigrammatum alter. Cætera periiſſe dolet Henricus Stephanus. Ejus carmina imitatus Propertius eſt, & Catullus è Græcis Latina ſe feciſſe teſtatur. De Callimacho reliquit hoc teſtimonium Ovidius.

Battiades toto ſemper celebrabitur orbe;
Quamvis ingenio non valet, arte valet.

Quod ita interpretantur quidam Callimachi defenſores, non quòd cenſeret Ovidius nulla præſtitiſſe ipſum ingenii laude, ſed quòd accuratiori cuidam diligentiæ magis, quàm ingenii famæ ſtuduiſſe videretur.

De Callino ſive Callinoo, Minnere-

Digitized by Google

nemo, Phileta cæteriſque Poetis Elegiacis Græcis nihil eſt quod adjiciamus, præter ea quæ jam de illis dicta ſunt Articulo 3.

ARTICULUS VI.

De Poetis Elegiacis Latinis.

CATULLUS.

C. Valerius Catullus Veronæ natus eſt anno conditæ Urbis exeunte 668. ante Chriſtum 90. Vivendi finem fecit anno ætatis 30. ab urbe condita 697. Amicus Ciceronis fuit, & cum ab eodem, tum ab eruditiſſimis Romanæ Reipublicæ viris magno habitus in pretio; quos ille ſibi feſtivitate ingenii & liberiore ſcribendi facultate demerebatur. Eximius cultor puriſſimæ Latinitatis, quam illi laudem nemo detrahit, duriuſculus ſuis in Elegis viſus eſt. Verùm, ut tenebat multos his temporibus turpiſſima prurigo obſcœna quæque garriendi pariter ac ſcribendi, nullis pepercit impuritatibus, propter quas tanquam exitioſus pudoris ſcopulus declinandus eſt.

TIBULLUS.

Albius Tibullus eodem quo Ovidius natus eſt anno, qui fuit Urbis conditæ 711. ante illum mortuus. Palmam Elegiaci carminis tuliſſe fertur Quintiliani judicio, cui terſus atque elegans maximè Elegiæ auctor viſus eſt. Neque hanc ipſi laudem multi pariter Critici invident, tam politus ubique & ſui ſemper ſimilis agnoſcitur! Scripſit quatuor Elegiarum Libros, quarum ultimus Meſſalæ laudes & aliquot Epigrammata continet. Is tribus prioribus multùm abſimilis & properatæ nimium artis accuſatur.

OVIDIUS.

Pub. Ovidius Naſo Sulmone natus anno Urbis conditæ 711. ante Chriſtum 39. Mortuus eſt in exilio ſuo Tomis minoris Scythiæ anno urbis 770. Chriſti 21. Tiberii 3.

Citra controverſiam quidem omnium eſt, Ovidium ea præſtitiſſe ingenii gloria & ſcribendi carminis facilitate, quæ Poetarum nemini viſa eſt contigiſſe. At conſcius ipſe ſibi indolis illius, quam erat nactus ad poeſim, dum genio ſuo indulget liberiùs, fecit ne tam accuratus ac diligens evaderet. Arguitur in ejus operibus juvenilis luxuries & impotens quædam dicendi multa per fas ac nefas prurigo, quam compeſcere prudentia debuiſſet. Nihilominùs videtur Tibullo atque Propertio præferendus, quòd in imitanda natura ſolertior, in exprimendis ciendiſque teneris quibuſque affectibus, quæ dos eſt Elegiæ potiſſima; utroque felicior extiterit.

Heroides Ovidianæ habentur apud omnes tanquam amœniſſimus & exquiſitiſſimus ingenii partus, in quo natura tota ſine fuco ſe prodit, & humani cordis, quod varii cupiditatum motus concitant, indoles agnoſcitur. Cui ſi maturioris judicii gravitas acceſſiſſet, nihil ad perfectiſſimi operis conſummationem deſiderandum videretur.

Regnat in ejuſdem Triſtibus & Libris de Ponto par amœnitas & ingenii politioris cultura, quam non modò non deterit Poetæ exulantis luctus ac dolor, ſed novo etiam lepore condit ac cumulat. Tamen ignoſcendum illi quidam non putant, quòd tam in exemplis, quam in comparationibus nimis ſit frequens, neque vel in eo opere ſibi ab innata ſcribendi luxurie ſatis temperet.

In

In Faſtis maturum ætate virum Ovidius ſe offert, qui cæteris in operibus junior videri poſſit. Adeo potens ubique ſui eſt, & juſtis argumenti ſui finibus ſe continet. Illic antiquitatis eruditæ monumenta tanta concinnitatis gratia pertractat, ut, dum Lectoris curioſitatem incendit, ejuſdem tædio ac faſtidiis occurrat. Dignus vel ob id unum opuſculum ea Carminis Elegiaci gloria, quam ſibi ipſe vindicare non metuit.

Tantum ſe nobis Elegi debere fatentur,
Quantum Virgilio nobile debet opus.

Habemus tantùm ſex primos ejus Faſtorum Libros: ſex ultimi temporum injuria periere.

Nihil hìc attinet dicere de Amorum Libris, qui utinam aut lucem vidiſſent nunquam, aut nemini niſi auctori nocuiſſent ſuo. Videant puriſſimæ religionis cultores, quam injiciant de ſe probitatis opinionem, apud quos turpiſſimæ obſcœnitates in pretio ſunt, quas nec ipſa inverecundæ ſuperſtitionis licentia tolerandas judicavit.

PROPERTIUS.

Sextus Aurelius Propertius natus in Umbria ſub Auguſto vixit, & quatuor ſcripſit Elegiarum Libros, qui eadem laborant obſcœnitatis contagione, quæ Ovidium infecit. Cæterùm floret eruditionis laude, ſublimitate ingenii; & quanquam ſubobſcurus identidem amœnitatis gratia non caret.

CAPUT VII.
De Satira.

ARTICULUS PRIMUS.
De Nomine ac Definitione Satiræ.

Satiræ nomen alii deducunt à Satyris agreſtibus Diis petulantibus ac protervis, propter ſimilitudinem quam habere Satiram exiſtimant cum Satirica Poeſi & veteri Græcorum Comœdia, in qua Satiri inducebantur in ſcenam, qui mordaci dicacitate & amaris ſalibus hominum vitia inſectabantur. Alii petunt Satiræ nomen à voce *Satura*, hoc eſt plena, referta, quæ vox adjectiva eſt, & refertur ad ſubſtantivam vocem *Lance*, quæ ſubticetur. Erat autem Lanx ſatura genus quoddam paropſidis variis frugibus ac fructibus refertæ, quæ ſacris Cereris ac Bacchi tanquam totius anni primitiæ inferebatur, & à copia & ſaturitate rei vocabatur ſimpliciter *Satura*. Hujus generis Lancium meminit Virgilius in Georgicis *L.* 2.

Ergo rite ſuum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, Lanceſque & Liba feremus.

Quare Carmen illud quod variis refertum eſt rebus, & per omnia vitia ſine ordine ullo aut limite vagatur, Saturæ ſive Satiræ nomen tulit, immutata Litera, quemadmodum pro *optumus* & *maxumus*, dictum eſt *optimus* & *maximus*.

Hinc Juvenalis Satiras ſuas à vario argumento, quod continent, farragini comparat. *Sat.* 1.

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus noſtri farrago Libelli.

Poſterior hæc Satiræ etymologia tantò probabilior videri debet, quantò cupidiùs ſpeciem illam Carminis tanquam ſibi propriam Romani vindicant, quæ nihil à Græca poeſi mutuata ſit. Hinc Quintilianus de Satira loquens, *L.* 13. *cap.* 1. *Satira*, inquit, *tota noſtra eſt*. Quod ipſum multò ante ſtatuerat Horatius *L.* 1. *Sat.* 10. Satiram teſtatus intactum Græcis carmen eſſe.

ARTICULUS II.

De Satiræ Origine atque Progreſſu.

Primus ſcripſiſſe Satiram dicitur Lucilius auctore Horatio ita loquente de Satira. *L.* 2. *Sat.* 1.

> Quid cum eſt Lucilius auſus
> Primus in hunc operis componere carmina morem.

Cui ſuffragatur Quintilianus *Lib.* 10. *cap.* 1. *Satira*, inquit, *tota noſtra eſt, in qua primus inſignem laudem adeptus eſt Lucilius*. Hoc tamen tam Horatii, quam Quintiliani teſtimonium non ita accipiendum eſt, quaſi nullus è Romanis ante ipſum ſcripſerit Satiram, ſed quod perfectior huic operi forma per Lucilium acceſſerit.

Altiùs enim Romanæ Satiræ repetenda origo eſt, quam deducit Livius *Lib.* 7. ab Etruſcis Ludionibus, quos in Urbem accitos imitata juventus Romana Feſcennino more alternis ſe ſe provocavit verſibus. Huc referendum illud Horatii, *Libr.* 3. *Ep.* 1.

> Feſcennina per hunc inventa licentia morem
> Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit.

Atque hic primus veluti gradus Romanæ Satiræ fuit: cui ſucceſſit alter, inquit idem Livius *L.* 7. *qui, non ſicut ante, Feſcennino verſu ſimilem, incompoſitum temere ac rudem alternis jaciebant. ſed impletas modis Satiras, deſcripto jam ad tibicinem cantu motuque congruenti, peragebant*.

Poſt aliquot annos natus Andronicus à Satiris ad Fabularum argumenta ſpectantium animos tranſtulit, quas Græcorum Tragœdias ac Comœdias imitatus per Hiſtriones exhibuit. Tunc interruptæ tantiſper Satiræ ſunt, vel ſpectaculi novitate, vel perfectiore operis forma, quæ curioſitatem incenderet. Sed Romana juventus non ita multò poſt Exodia, hoc eſt veteres jocos, quæ erat primum ab Oſcis mutuata, reduxit; qui non excluderent quidem Andronici vel aliorum Dramata, ſed eadem ſubſequerentur, & ſeria nimis Fabularum argumenta feſtivitate ſua temperarent. Verùm hi joci mutato Satiræ nomine Exodia vocata ſunt, quam deinde appellationem retinuere. Donec Ennius, qui ſenſerat placuiſſe Romanis priſcum Satiræ genus, revocavit illam poſtliminio, & novum Poema aggreſſus eſt, quod extra Scenam caſtigaret vitia, Comœdiæ Veteris more, & cenſuram cum jocis conjungeret.

Hunc ſecutus poſtea Pacuvius: qui in hoc opus dum acrius incumbit, ſupervenit demum Lucilius; & rudem neque politam ſatis Satiram ita perfecit, ut ejuſdem inventor primus haberi meruerit. Namque Ennii & Pacuvii Poemata, quæ variis è carminibus erant conflata non imitatus, ipſe Hexametrum unum adhibuit, multoque ſale & aceto infectam vitiis urbem defricare conatus eſt. Hujus deinceps veſtigiis inſiſtens Horatius, ad ſummum perfectionis apicem evexit Satiram, & exemplar ſuum longo intervallo ſuperavit.

Alterum Satiræ genus laudat Quintilianus, cujus auctorem facit Terentium Varronem, quem eruditiſſimum Romanorum appellat. Ille, etſi Lucilio ætate multò inferior, non tamen ſuis in Satiris eam ſecutus eſt ſcribendi formam, quam Lucilius induxerat; ſed Ennii & Pacuvii more non tantùm adhibuit varietatem verſuum, ſed proſam carminibus, & Græca Latinis miſcuit, diligens in-

inprimis Menippi Philoſophi Cynici imitator. Hinc Satiræ Varronis Menippeæ.

ARTICULUS III.

De Satira Natura atque Indole.

Nunc excutiendum incumbit nobis quid Satira ſit, & in qua materia ſe exerceat. Satira Carmen eſt ſalſum & mordax carpendis hominum vitiis & emendandis moribus inſtitutum.

Inde colliges Materiam Satiræ eſſe hominum vitia, Formam ejuſdem leporem ac dicacitatem, Finem verò emendationem morum.

Ergo in notandis hominum vitiis atque erroribus Satira tota occupata eſt, veterem in ea re Græcorum Comœdiam imitata, quæ magna cum libertate, quod erat in unoquoque vitioſum, inſectabatur. Hoc teſtatur Horatius. *L.* 1. *Sat.* 4.

Eupolis atque Cratinus, Ariſtophaneſque poetæ,
Atque alii, quorum Comœdia priſca virorum eſt,
Si quis erat dignus deſcribi, quòd malus, aut fur,
Quòd mœchus foret, aut Sicarius, aut alioqui
Famoſus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hoſce ſecutus
Mutatis tantùm pedibus.

Hoc verò familiare Satiræ eſt, uti & veteri Comœdiæ, ut in mores non tantùm generatim, ſed etiam ſingulatim invehatur; neque tam præterita, quam ſui temporis vitia coarguat. Ac ſicut Ariſtophanes Cleonem, Hyperbolum, Alcibiadem & alios ejus ætatis viros exagitat; ita Lucilius Mutium, Lupum & alios ſui temporis famoſos criminibus Romanos reprehendit. Quare Perſius *Sat.* 1.

Secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.

Neque tamen à Satira proborum virorum laudes excluduntur penitus. Nam Lucilius Scipionem laudavit, Horatio teſte *L.* 2. *Sat.* 1.

Attamen & juſtum poteras & dicere fortem
Scipiadem, ut ſapiens Lucilius.

Nec ipſe Horatius multis in locis à laudibus cum Mecœnatis, tum Auguſti & plurium aliorum abſtinuit.

Duplex autem increpandi vitia modus eſt, in quo Satiræ Forma conſtituitur: alius acrior & apertior, jocoſus alius & occultus. Priorem Lucilius & Juvenalis ſectati ſunt, qui dicacem mordacemque ſtylum, nulla vel ætatis, vel ſexus, vel conditionis habita ratione, in pravos ſui temporis mores diſtrinxerunt. In poſteriore ſe magis amavit Horatius, cujus in Satiris plus leporis atque artis, quam vis & acrimoniæ deprehendas. Fortè quia ſenſerat. *L. Sat.* 10.

Ridiculum acri
Fortiùs & meliùs magnas plerumque ſecat res.

Hinc illud Perſii de Horatio judicium. *Sat.* 1.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

Denique hunc ſibi finem Satira proponit, non ſecus ac Vetus Comœdia, ut increpando vitia, mores corrigat, & emendet. Et propterea in excutiendis vitiis tota verſatur; nec gravia ac digna Cothurno argumenta tentare debet, teſte Perſio *Sat.* 5. ſed ea relinquere Tragœdiarum Scriptoribus.

Ore tres medico pallentes radere mores
Do-

Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe, quæ dicas, menſaſque relinque Mycenis,
Cum capite & pedibus, plebejaque prandia noris.

ARTICULUS IV.

De Dictione Satiræ propria.

Carmen Hexametrum Lucilius omnium primus ſolum adhibuit in Satiris; aliam à Græcis Comicis, quorum imitator fuit ſecutus rationem, cum illi Iambo potiùs convicia jactarent ſua. Illum obiter carpit Horatius quaſi tam ſerviliter Græcorum veſtigiis inſtiterit, nihil ut præter formam carminis mutaverit. *Lib.* 1. *Sat.* 4.

Hinc omnis pendet Lucilius, hoſce ſecutus,
Mutatis tantum pedibus.

Dictio Satiræ Poetica eſſe non debet, ſi quidem Horatio creditur: imo pedeſtrem ipſe ubique orationem affectare ſe profitetur. *Lib.* 2. *Sat.* 6.

Quid prius illuſtrem Satiris, muſaque pedeſtri?

Quare Satiras ſuas ſermones vocat, qui nihil differant ab uſu loquendi familiari & quotidiano. *L.* 2. *Sat.* 6.

Albi ſermonum noſtrorum candide judex.

Ac propterea expungendum ſe putat Poetarum è numero, cujus in verſibus nec dictio, nec Poeticus numerus deprehendatur. *L.* 1. *Sat.* 4.

Primum ergo me illorum, dederim quibus eſſe Poetas,
Excerpam numero; neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis; neque, ſi quis ſcribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe poetam.

Tamen hanc ſibi normam ſervandam eſſe non cenſuit Juvenalis, cujus ſtylus ſublimis, dictio Poetica & numeroſa Satiricam dicacitatem exornant. Propter quæ viſus eſt non paucis primarium inter Satiricos Poetas locum meruiſſe. Neque verò Noſtrates Galli, qui Satiras conſcripſere, Poeticam concinnitatem atque elegantiam negligendam putaverunt, placituri multò minùs, niſi Poemata ſua iſtis Poeſeos deliciis condiiſſent. Adeo non videtur ad Satiræ indolem pertinere, ut vulgari pedeſtrique ſermone ſemper incedat.

ARTICULUS V.

De Poetis Satiricis Latinis.

Græcos non attigimus, qui aut nulli fuerunt à Veteri Comœdia diſtincti, ſi qua vel Horatio, vel Quintiliano, quos jam laudavimus, fides habeatur, vel eorum ſcripta ad nos uſque non pervenerunt.

Theognis tamen videtur ſibi locum aliquem inter Satiricos vindicare, cujus exſtant egregia omninò præcepta, quibus cum ad virtutem impellit, tum à vitiis deterret. Huic æqualis fuit Phocylides qui reliquit Poema Admonitorium, quo præclaræ vivendi bene præceptiones continentur.

LUCILIUS.

Cajus Lucilius Aruncæ natus anno conditæ urbis 605. ante Chriſtum 149. Neapoli mortuus eſt anno ætatis ſuæ 46. Is, uti jam diximus, Satiræ primus auctor nuncupatur, non quòd nemo ante ipſum ſcripſiſſet Satiras, ſed quòd perfectiorem formam huic Poematum generi contuliſſet. Hanc illi laudem Horatius ultro tribuit, qui multis eundem in rebus arguit: puta, quòd accura-

tus

tus parum in ſcribendo ſit, quòd lutulentus fluat, quòd ſuis in verſibus durus inveniatur, uno verbo quòd piger ſcribendi laborem non ferat. Tamen aliter ſentit de Lucilio Quintilianus *L.* 10. *cap.* 1. qui, etſi non ſuffragatur eorum teſtimonio, qui non modò Satirarum Scriptoribus, ſed omnibus etiam Poetis Lucilium præferebant, tamen non diſſimulat mulctatum iniquiùs ab Horatio fuiſſe Lucilium, in quo miram eruditionem, libertatem, acrimoniam & abundantiam ſalis agnoſcit. Sed quid tam mirum eſt, ſi figulus figulo invideat. Triginta Libros Satirarum ſcripſiſſe Lucilius dicitur; quorum aliqua tantùm ſuperſunt fragmenta.

HORATIUS.

Quintus Horatius Flaccus patria Venuſinus natus eſt anno Urbis conditæ 689. Romæ mortuus anno 746. ætatis ſuæ 57. Satiricorum Poetarum facile Princeps habendus, licet quidam illi Juvenalem prætulerint. Plenæ ſunt tam ipſius Satiræ, quàm Epiſtolæ documentis egregiis, quibus virtutum omnium & moratæ vitæ fundamenta continentur. Regnat ubique amœnitas & urbanitas quædam, quibus Satiræ acerbitatem temperat. Sic ut monendo placeat, & ridendo caſtiget.

Nemo aulicus tam comis & in aucupanda Principum gratia tam ſolers. In fabulis facetus, feſtivus in præceptionibus, in rebus maximè ſeriis admirabili lepore ſemper & acuto ſale conditus. Reprehenderunt in eo quidam ſimplicitatem ſtyli, & nimiam in ſcribendo negligentiam. At id ipſum affectaſſe viſus eſt, dum Satiras ſuas *Sermones* inſcripſit, quaſi nihil à familiari ſermone differrent, neque propter elucubrata ejuſmodi Poemata referendum ſe inter Poetas cenſuit. Porro quàm ſit Poeta ſublimis & elegans, conjicere licet ex Lyricis ipſius verſibus, in quibus non minorem, quàm in Satira gloriam promeruit. Cæterùm vel in pedeſtri ſermone, quem ſectatus eſt, tam fuit cultor diligens Latinæ puritatis, ut ad eam nullus acceſſerit.

JUVENALIS.

Decius Junius Juvenalis vixit Domitiani temporibus, Aquinis in Italia natus. Sexdecim ſcripſit Satyras, quas quinque Libris complexus eſt. Habuit admiratores ſuos ac fautores, apud quos eam meruit laudem, ut extremam Satiræ manum impoſuiſſe, & multò ſuperior Satiricis vatibus ipſique adeo Horatio cenſeretur. Equidem fuit vehemens inprimis ac mordax apertuſque vitiorum hoſtis atque objurgator, ſententiarum gravitate nobilis, ipſa dictione ſublimis & ornatus. At, quod ille acrimonia ſua & elato dicendi genere tentavit, id Horatius ingenii elegantia, urbanis ſalibus, & nativa puraque ſtyli ſimplicitate, perfecit. Huc inclinant ſanioris Criticæ momenta, quæ ſic Juvenalem Horatio ſubjicit, ut reliquis Satirarum Scriptoribus eundem anteponendum arbitretur.

PERSIUS.

Aulus Perſius Flaccus Volaterris natus in Toſcania, aut in Liguria, ut alii ſcripſere, anno Chriſti 54. vixit annos octo & viginti. Scripſit Librum unum Satiras omnino ſex continentem. Non conveniunt Veterum de Perſio teſtimonia cum recentioribus. Laudatur à Martiali cujus eſt hoc de Perſio teſtimonium & elogium. *L.* 4. *Ep.* 29.

Sa-

Sæpius in Libro laudatur Perſius uno,
Quàm levis in tota Marſus Amazonide.

Plurimi eum fecit Quintilianus, qui de eo ſic loquitur *L.* 10. *cap.* 1. *Multùm & veræ gloriæ, quamvis uno Libro, Perſius meruit.* Eundem Critici recentiores reprobant propter obſcuritatem & affectatam ſublimioris doctrinæ opinionem: qua fit ut multis in locis vix intelligatur. Et in eo culpandus quibuſdam viſus eſt, quaſi Satiræ legem ac formam prætergreſſus ſit, qui neminem appellet; & quos cenſura dignos judicavit, ſatis habuerit ſub fictis nominibus deſignare. Unde nova Lectoribus difficultas naſcitur ad rerum intelligentiam aſſequendam.

Verùm hæc ipſa obſcuritas excuſatione omni non caret. Nam cum Perſius ſuis in Satiris Stoïcam diſciplinam, quæ tum erat in pretio, ineptamque Neronis in ſcribendis verſibus oſtentationem, & quæ ſecretiore Principis in aula contra fas & æquum fierent, inſectanda ſibi propoſuiſſet; non videbatur è Poetæ prudentia, vel loqui apertiùs, vel ſuo quemquam nomine appellare. Quæ tamen omnia cum eos non laterent, qui vivebant his temporibus, admiratores Perſio pepererunt; eademque, quia ignorantur à poſteris, faſtidium atque contemptum afferunt.

CAPUT VIII.

De Carmine Lyrico.

ARTICULUS PRIMUS.

De Carminis Lyrici Origine & Nomine.

AB ipſis pœnè mundi incunabulis repetenda Lyricæ Poeſeos Origo eſt, neque fruſtra numerum & harmoniam naturæ hominum fuiſſe ingenita Ariſtoteles agnoſcit. Prima Lyrici Carminis veſtigia apud Hebræos deprehendimus in illo ſolemni Cantico, quod Moyſes, ſubmerſo Pharaonis exercitu, ſupremi Numinis in laudem unà cum populo celebravit. Hoc porro Carmen etſi certis pedibus non adſtringitur, ea nihilominus ſublimitate rerum & ſermonis majeſtate refertum eſt, quam nec ipſi Lyrici Carminis principes, ne longo quidem intervallo, ſunt aſſecuti. Neque mirum eſt, ſi, quos Divinus Spiritus afflaverat, ii grandius quiddam atque magnificentius ſaperent, quàm quos Poeticus ardor inſpiraſſet.

Ejuſdem generis ſunt Davidici Pſalmi & Cantica Salomonis, in quibus vis eadem, idem orationis ſplendor elucet, quibus Lyrica Poeſis maximè commendatur.

Neque tamen ſingularis iſthæc Hebræi populi prærogativa prohibet, quominus Lyrici Carminis auctores Græci nuncupentur; qui cum nullum legantur cum Hebræis, quos imitari poſſent, habuiſſe commercium, Lyricam Poeſim apud ſe natam fuiſſe non temere gloriantur.

Rudiora quidem fuere illius Poeſeos initia, quæ cæteris Poematum generibus ortum deinde & incrementum dederunt. Nam Rusticos inter & agreſtes prodiit, qui longis defuncti laboribus conveniebant identidem, & feſtivos invicem agebant dies, in quibus Deorum laudes decantabant, ex temporaneis & natis hilares inter epulas Canticis. Mox addita ſunt inſtrumenta Muſica, quorum ad ſonos ipſi cantus accommodarentur; Tibia ſcilicet, Cithara ac Lyra inprimis, unde Poeſis Lyrica appellationem traxit.

Verſus Heroicus ſive Hexameter pri-

primam ejuſmodi Canticis formam dedit, qui plurimùm habere dignitatis ad celebrandas Deorum atque Heroum laudes videbatur. Verùm ſuccedentibus deinde temporibus, cum tam anguſtis finibus Lyrica Poeſis non ſe continuiſſet, & in argumentis minùs gravibus ac ſeriis cœpiſſet verſari, varias admiſit verſuum ſpecies, ſic tamen ut Heroicum penitùs non dimitteret.

Primus inter Poetas Lyricos recenſetur Aclman; alii deinde Lyrica Poeſi celebres floruere Steſichorus, Sappho, Alcæus, Simonides, Ibycus, Italus, Anacreon, Pindarus, Bacchydes. Fuere etiam poſt illos celebres Corinna, quæ propter eruditionem & ſublimitatem ingenii Lyrica Muſa appellata eſt, & Pindarum ipſum in Ludis Olympicis ter aut quater ſuperavit: Praxilla item, Teleſilla.

ARTICULUS II.

De Argumento Lyrici Carminis.

Lyrica Poeſis apud Græcos primùm nata celebrandis Deorum aut Heroum laudibus, ab eo dignitatis gradu deflexit, & res plurimas inferioris multò ordinis complexa eſt. Longè diſſimilis ab Hebræorum Poeſi, quæ propoſiti ſui tenax & conſtans ſibi, ſuis ſe limitibus continuit, neque cantus ſuos aut inſtrumenta Muſica niſi rebus ſacris commodaſſe legitur. Celebre eſt ſuper ea re Platonis teſtimonium *Tom.* 2. *Pag.* 656. qui deſignans Hebræos Ægyptiorum nomine, quoniam illi diu multùmque Ægyptum incoluerant, laudat eos impenſiùs, quòd non paterentur pueros diſcere aut edere cantus alios, quàm qui virtutem inſpirarent: quòd ſtatuiſſent legibus ſuis, ne, vel Carmina, vel Choreæ, niſi in ſacrificiis adhiberentur; caverentque diligenter, nihil ut in feſtis ſuis dignitati religionis ſuæ non reſponderet.

Igitur materies Lyrici Carminis, quæ primùm inter Deorum Heroumque laudes conſtiterat, ad convivia, res amatorias, jocos, querelas, inſectationem vitiorum & alia ejuſmodi tenuiora argumenta delapſa eſt. Hinc Horatius ſuam unicuique Poemati materiam tribuens, Lyricam Poeſim ita deſcribit. *In Arte.*

Muſa dedit fidibus Divos puerosque Deorum
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.

Quin etiam in tenuibus argumentis ita ſe amaſſe Lyrica Poeſis viſa, ut res graves ac ſerias tanquam Lyræ impares idem Horatius agnoſcat. Neque enim, inquit *L.* 1. *Od.* 6.

Conamur tenues grandia: dum pudor
Imbelliſque Lyræ muſa potens vetat,
Laudes egregii Cæſaris & tuas
Culpa deterere ingeni.

Idem *L.* 3. *Od.* 3.

Non hæc jocoſæ conveniunt Lyræ:
Quò Muſa, tendis? deſine per[illegible]
Referre ſermones Deorum, &
Magna modis tenuare parvis.

Rurſus *L.* 4. *Od.* 15.

Phœbus volentem prælia me loqui,
Victas & urbes increpuit Lyra;
Ne parva Tyrrhenum per æquor
Vela darem ...

ARTICULUS III.

De Forma ſive de Ratione tractandi Lyrici Carminis.

Fuit hæc natura Lyrici Carminis, ut non tantùm rudioribus initiis, ſed multo etiam poſt tempore nec certos pedes, nec numeros agnoſceret alios, niſi quos Muſica ipſa præſcri-

ſcriberet ac deſignaret. Adeoque tota Lyrici Carminis Forma & rerum ſublimitate & dictione Poetica niteretur. Hoc ipſum eſt quod Tullius inſinuat in Oratore ad Brutum. *Quanquam*, inquit, *etiam à modis quibuſdam, cantu remoto ſoluta eſſe videatur oratio, maximèque id in optimo quoque eorum Poetarum, qui* Λυρικοὶ *à Græcis nominantur; quos cum cantu ſpoliaveris, nuda pœnè remanet oratio.*

Hinc & in Pindaro ipſo multa ſunt, in quibus tam obſcurus & incertus latet numerus, ut vix ſecerni poſſit, quia Muſices ſubſidio ſunt deſtituta. Quod ipſum Horatio cauſæ fuit ut diceret de Pindaro.

Numeriſque fertur
Lege ſolutis.

Verùm ſuus deinde numerus, pedumque varietas Lyricæ Poeſi acceſſere. De illa Carminum varietate dicendum aliud incumbit.

Primum genus Alcmanium ab Alcmane inventore dicitur, ſive Dactylicum; quod quatuor habet pedes, quorum primi tres Dactyli ſunt. Quartus, Spondæus. Huic vulgò præponitur Hexameter, ut *Libr.* 1. *Od.* 6.

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenem
Aut Ephĕ, ſūm Bĭmă, rīſvĕ Cŏr, īnthī
Mœnia.

Sunt & Dactylici Dimetri Hypercatalecti, conſtantque duobus Dactylis & una ſyllaba, ut

Ārbŏrĭ, būſquĕ cŏmǣ.

Denique Dactylici ſunt omnium longiſſimi, ab Archiloco inventore dicti Archilochii, conſtantque ſeptem pedibus, quorum quatuor primi Dactyli ſunt, tres poſtremi Trochæi ut *L.* 1. *Od.* 4.

Nūnc dĕcĕt, aūt vĭrĭ, dī nĭtĭ, dūm căpŭt,
impĕ, dīrĕ, myrtō.

Succedit tamen interdùm Spondæus in locum Dactyli.

Sōlvĭtŭr, ācrĭs hy̆, ēmſ grā, tā vĭcĕ vērĭs,
ēt Fă, vōnī.

Huic verſui additur vulgò alter Iambicus Trimeter; ſive ſex pedum dempta una ſyllaba.

Trăhūnt, quĕ ſīc, cās mā, chĭnæ, cărī, nās.

Alterum genus eſt Alcaicorum Dactylicorum, qui ab Alcæo auctore ita dicti ſunt. Quorum alii conſtant quatuor pedibus & una ſyllaba. Pes primus aut Spondæus, aut Iambus eſt. Secundus Iambus, ſequitur ſyllaba longa, quæ cæſura dicitur. Duo poſtremi Dactyli ſunt. Duo ejuſmodi verſus ſimul componuntur, ut *L.* 2. *Od.* 2.

Æquām, mĕmēn, tŏ, rēbŭs ĭn, ārdŭīs
Sērvā, rĕ mēn, tĕm, nōn ſĕcŭs, īc bŏnīs;

Tertio loco ſequitur Iambus Dimeter cum una ſyllaba.

Āb īn, ſŏlēn, tī tēm, pĕrā, tām

Quartus additur ad Strophæ complementum, qui conſtat duobus Dactylis & duobus Trochæis.

Lǣtĭ, tĭ ā mōrĭ, tūrĕ Dēlī.

Tertium genus eſt Sapphicorum, quos inveniſſe Sappho dicitur. Quinque pedibus conſtant; ſcilicet Trochæo, Spondæo, Dactylo & duobus Trochæis. Tres ejuſmodi verſus collocantur, quibus deinde ſubjungitur Adonicus ex Dactylo & Spondæo compoſitus ut *L.* 1. *Od.* 2.

Jām ſā, tīs tēr, rīs nĭvĭs, ātquĕ, dīræ
Grāndĭ, nīs mī, ſīt pătĕr, ēt rŭ, bēntĕ
Dēxtĕ, rā ſā, crās jăcŭ, lātŭs, ārcēs
Tērrŭĭt, Ūrbēm.

In quarto genere ponuntur Aſclepiadæi, ſic appellati ab Aſclepiade,

 qui

qui illos inveniſſe dicitur. Aliter dicuntur Coryambici, quia ſecundam & tertiam ſedem in illis occupat Coryambus, ex Trochæo & Iambo conſtans. Primus pes Aſclypiadæi verſus eſt Spondæus, duo ſequentes Coryambi, quartus Pyrrichius eſt, ex duabus brevibus, ut *L.* 1. *Od.* 1.

Mæcenas, atavis, edite re, gibus.

Alii aliter hunc verſum metiuntur, ita ut pes primus ſit Spondæus, ſecundus Dactylus, tum cæſura longa, denique duo Dactyli.

Mæcenas, atavis, edite, regibus.

Alii ſunt Coryambici Glyconici à Glycone ſic dicti eorum inventore, conſtantque Spondæo, Coryambo & Iambo.

Sic te, Diva potens, Cypri

Alii ita metiuntur.

Sic te, Diva po tens Cypri

Hic verſus ita miſcetur cum Aſclepiadæo, ut illum præcedat.

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres ... Sydera.

Sunt & Coryambici Alcaici, qui quinque conſtant pedibus, Spondæo, tribus Coryambis & Pyrrichio, ut *L.* 1. *Od.* 10.

Tu ne, quæſieris, ſcire nefas, quem mihi quem, tibi.

Quinti generis eſt Pherecratius, à Pherecrate auctore ſuo ſic appellatus. Conſtat tribus pedibus, ſcilicet, Spondæo, Dactylo, & Spondæo. Habet tertium locum in Ode conſtante quatuor verſibus, quorum duo primi Aſcepiadæi ſunt; & quartus Glyconicus, ut *L.* 1. *Od.* 12.

1 O navis, referent, in mare te, novi
2 Fluctus; o quid agis fortiter occupa
3 Portum, nonne vides ut
4 Nudum, remigio, latus

Sextum genus aliorum Alcaicorum, qui ab eodem Alcæo nomen habent; conſtantque illi quatuor pedibus, Epitrito, duobus Coryambis, & Bacchio. Epitritus conſtat ex quatuor ſyllabis, quarum prima brevis eſt & tres aliæ longæ; aut tres primæ longæ ſunt, & ultima brevis; aut prima longa eſt, ſecunda brevis & duæ ultimæ longæ; aut duæ priores longæ, tertia brevis & poſtrema longa. Bacchius autem conſtat tribus ſyllabis, quarum prima brevis, duæ ultimæ longæ ſunt. Huic verſui ſubjungitur Ariſtophanius, qui conſtat tribus pedibus, Dactylo & duobus Trochæis, ut *L.* 1. *Od.* 8.

Cur timet fla, vum Tiberim, tangere cur, olivum
Sanguine vi, perino.
Cautius vitat.

Septimum genus eſt Iamborum qui diverſimodi ſunt. Alii enim ſunt Trimetri & puris Iambis conſtant, ut

Beatus ille qui procul negotiis. *Epod.*

E Trimetris, alii pedes diverſos admittunt, ut *ibid.*

Aut in, reduc, ta val, le mu, gien, tium.

Alii ſunt Dimetri, hoc eſt, conſtant quatuor pedibus & ſenariis vulgò ſubjiciuntur, ut *ibid.*

Beatus ille qui procul negotiis
Ut pris ... gens, mortali, um;

Denique alii Iambi ſunt Trimetri Catalecti ſive Senarii, conſtantque ſex pedibus dempta una ſyllaba, ut, *L.* 1. *Od.* 15.

Mea re, nidet in, domo, lacun; ar

Cui Trochaicus Dimeter Catalectus præponitur, qui nihil differt ad Iambo, niſi quòd Iambi loco Trochæum admittat, ut

Non e, bur ne, que aure, um.

Quam-

Quando Ode conſtat verſibus uniuſmodi, vocatur Monocholos; quando ex duplici genere verſuum, dicitur Dicolos; cum è Triplici componitur, appellatur Tricolos; cum è Quadruplici coaleſcit, Tetracolos.

Cum verò in Ode verſus ejuſdem generis recurrunt, ſi recurrunt alternis, Ode dicitur Diſtrophos, ſcilicet duas habens ſtrophas; ſi poſt tertium quemque verſum repetantur carmina ejuſdem generis, Ode vocatur Triſtophos; ſi poſt quartum, Tetraſtrophos.

Carmen Lyricum unitatem rei, vel temporis, vel loci non agnoſcit. Imo varietate delectatur, atque etiam digreſſione, ea tamen lege, ut omnia breviter ac leviter percurrat.

Placet quoque in Lyricis ſententiarum gravitas, ſi non putidiùs affectatæ, ſed ſuo in loco aptè collocentur.

Quod ſpectat ad Dictionem, ſuavis eſſe debet, florida, polita, neque expers majeſtatis. Nam Lyricos Poetas legimus hoc ſtuduiſſe præter cætera, ut dictionem Homericam æmularentur. Nam *Steſichorus*, ait Quintilianus *L.* 10. *cap.* 1. *maxima bella, & clariſſimos canens duces Epici Carminis onera Lyra ſuſtinuit.*

Articulus IV.

De Dithyrambo.

Dithyrambus Carmen eſt in honorem Bacchi cani ſolitum: Græcis enim Bacchus dicitur Διθύραμβος, bis natus, & duobus quaſi oſtiis egreſſus, quod alludit ad Bacchi fabulam; quem Poetæ fingunt, cum eum enixa eſſet Semele, Jovis femori fuiſſe aſſutum, unde rurſum prodeunti Nymphæ acclamarunt λῦθι ῥάμμα, Suturam ſolve. Hinc formata vox λυθίραμμος, ſive Διθύραμβος.

Hujus Carminis primum auctorem ferunt fuiſſe Arionem, alii Philoxenum Cytherium, qui Carmine Lyrico Æacidarum genealogiam ſcripſit.

Dithyrambus in ruſticorum conviviis atque inter pocula natus eſt; hinc Carminis illius initium ab invocatione Bacchi plerumque ducitur, nec niſi ab ebriis cani ſolet. Nam Dithyrambus haud futurus eſt, ſi aquam bibas, inquit Epicharmus. Neque porro mirum eſt, ſi inſolito furore plenus feratur, & non varias modò, pro furentis arbitratu, numerorum ac verſuum ſpecies admittat, ſed grandiora & nova item vocabula affectet.

Atque propter eam rem Horatius Dithyrambos Pindari audaces vocat; tum quia ſublimitatem ſententiarum, verborum novitatem ac majeſtatem conſectantur, tum quia nobili quadem numerorum licentia ſolitas metrorum leges excedunt *L.* 4. *Od.* 2.

Fervet, immenſuſque ruit profundo
Pindarus ore:
Laurea donandus Apollinari,
Sive per audaces nova Dithyrambos
Verba devolvit, numeriſque fertur
Lege ſolutis.

Articulus V.

De Poetis Lyricis Græcis.

ACLMAN.

Aclman, quem primum inter Lyricos Poetas habitum fuiſſe diximus, Lacedæmonius fuit, vel Sardianus, aut etiam Lydus, ut quibuſdam placet. Is vivebat Olympiade 27. ſexcentis & ſeptuaginta ante Chriſtum annis. Pauca reſtant illius operum fragmenta variis in auctoribus diſperſa, ex quibus non licet cer-

certum ferre de hominis ingenio ejuſdemque ſcriptis judicium.

STESICHORUS.

Steſichorus patria Siculus, de civitate Himera, vixit Olympiade 37. mortuus eſt 56. regnante Cyro Perſarum Rege. Is dotes omnes ac gratias Simonidis ac Pindari habuiſſe dicitur, quos etiam argumenti ſublimitate ſuperaret. *Scripſit* enim *bella maxima* Quintiliano teſte, *& clariſſimos canens duces, Epici Carminis onera Lyra ſuſtinuit Lib.* 10. *cap.* 1. Quamobrem inter Heroicos Poetas à quibuſdam recenſetur, & ab Alexandro Magno dignus unus habitus eſt, quem viri Principes inter cæteros legerent, cujus & emulari documenta conarentur. Suffragatur Horatii teſtimonium, qui Steſichorum gravem Poetam appellat. *L.* 4. *Od.* 9.

Steſichorique graves Camœnæ.

Pauca nunc reſtant ipſius Carmina, quæ magno olim apud omnes in pretio habita ſunt.

SAPPHO.

Sappho Lesbia vixit Olympiade 44. Nabuchodonoſoris Regis & Tarquinii Priſci temporibus. Hæc inter novem Lyricos Poetas locum occupat, & ingenii amœnitate atque ſuavitate Carminum meruit, ut novem Muſis decima adderetur. Ab ejus nomine Sapphicum Carmen, quod inveniſſe dicitur, appellationem traxit. Illa in verſibus ſuis ſibi imitandum ſumpſerat Archilocum, cujus acerbitatem temperavit, Horatio teſte *Ep. ad Mec.*

Temperat Archilochi Muſam pede maſcula Sappho.

Celebratur Sappho illuſtribus totius antiquitatis præconiis, tantò crediderim impenſiùs, quod nulla ad hoc uſque tempus fœmina tanta ingenii doctrinæque politioris gloria præluxiſſet; felix, ſi parem integritatis atque pudicitiæ meruiſſet famam. Superſunt ex ejus operibus Hymnus unus, Ode pariter una, & fragmenta perpauca.

ALCÆUS.

Alcæus Lesbius patria, Sappho coætaneus, nomen fecit Alcaico verſui, cujus primus auctor exſtitit. Vixit temporibus Pittaci unius ex ſeptem Græciæ Sapientibus, quem verſibus inſectatus eſt. *Is*, inquit Quintilianus, *in parte operis, aureo plectro meritò donatur, qua tyrannos inſectatur; multùm etiam moribus confert; in eloquendo quoque brevis & magnificus & diligens, plerumque Homero ſimilis, ſed in luſus & in amores deſcendit, majoribus tamen aptior.* Eodem pœne recidit Horatii de Alcæo teſtimonium, qui verſus Alcæi minaces vocat. *L.* 4. *Od.* 9. & *Od.* 32. de eo ſic loquitur.

Lesbio primùm modulate civi,
Qui ferox bello, tamen inter arma,
Sive jactatam religarat udo
Litore navim,
Liberum, & muſas, Veneremque & illi
Semper hærentem Puerum canebat.

Pauca ex Alcæi Carminibus ad noſtra uſque tempora pervenerunt.

IBYCUS.

Ibycus Italus ex Urbe Rhegio vixit Olympiade 54. Cyri, Crœſique & Servii Tulli temporibus, non caruit ille ſublimitate aut etiam ſuavitate Carminis, ut pauca teſtantur ejus fragmenta; at, ſi quam meruit ea parte laudem, eandem fœdiſſimæ obſcœnitatis vitio obſcuravit.

ANA-

ANACREON.

Anacreon patriam habuit Tejam Urbem in Ionia, vixitque Cyro, Cambyſe, & Dario regnantibus; Olympiade 61. anno ætatis 85. mortuus. Lyricam Poeſim primus ad res amatorias & convivia traduxit: quod ipſum edita quæ habemus ab illo Carmina ſatis teſtantur: adeo nihil illa præter amores & Bacchum ſonant, quo utroque ſemper fervidus ſcripſiſſe dicitur. Verùm minori propterea habitus olim in pretio, quia nihil aliud poſſe crederetur. Negari tamen non poteſt, quin nativo ſuavique admodum feratur ſtylo; cujus dulcedine ita delectabatur Scaliger, ut Anacreontica dictio quovis Indicæ arundinis ſucco dulcior ipſi videretur. Enitet etiam in ipſius verſibus mira facilitas, qui non tam labore parti, quàm ſua ſponte nati de calamo fluerent. Hinc de Anacreonte Horatius *Ep. Od.* 14.

Quid perſæpe cava teſtudine flevit amorem,
Non elaboratum ad pedem.

SIMONIDES.

Simonides natus in Inſula Cæo Egæi maris, vixit Olympiade 65. Dario Hiſtaſpe & Tarquinio Superbo regnantibus. Pauca ſuperſunt Poeſeos ipſius fragmenta, quæ Fulvius Urſinus notis illuſtravit. Gemina laude claruit Simonides, altera quòd in delectu verborum attentus ac diligens, altera quòd in ciendis commiſerationis motibus ipſo Pindaro felicior exiſteret. Congruit Quintiliani teſtimonium. *Simonides*, inquit, *tenuis alioqui, ſermone proprio, & jucunditate quadam commendari poteſt. Præcipua tamen ejus in commovenda miſeratione virtus; ut quidam in hac eum parte omnibus ejuſdem operis auctoribus præferant.*

PINDARUS.

Pindarus Thebis in Bœotia natus eſt Olympiade 65. regnante Dario; ſed Xerxis temporibus Olympiade 75. imprimis floruit. *Novem Lyricorum longè Pindarus Princeps*, ait Quintilianus *L.* 10. *cap.* 1. *Spiritus magnificentia, ſententiis, figuris, beatiſſima rerum verborumque copia & velut quodam eloquentiæ flumine. Propter quæ eum credidit Horatius nemini imitabilem.* Et ſanè non dubitat ille profiteri Ode ad Julum. *L.* 4. *Od.* 2.

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari,
Jule, ceratis ope Dedalæa
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina Ponto.

Illum deinde comparat rapidiſſimo flumini, quod multis auctum imbribus extra ripas excurrit, mox addit plurima operum ejus in laudem.

Et verò tantò cæteris Lyricis præſtat Pindarus, quantò ſuperior natura eſt, quam unam ſecutus fuiſſe Pindarus ipſe gloriatur, cum reliqui ex arte ſcriberent, quam à magiſtris didicerant. Unde aquilæ comparare ſe non dubitat, illos autem corvis. Viſus eſt tamen quibuſdam elatus aliquando præter modum, & plus juſto vehemens ac tumidus. *Verùm*; inquit Voſſius, *id ipſum divinis Poetis facilè ignoſcendum, quibus pulchrius eſt non nunquam cadere, quàm ſemper jacere.*

Scripſit multa Pindarus in unoquoque Poematum genere; at Lyrica ſuperſunt ſola, quibus victorum laudes in ſolemnibus Græciæ ludis decantabat, ſua in Deos religione ac pietate omnium Linguis celebratus.

BACCHYLIDES.

Bacchylides Ceus, æqualis Pindaro & ejuſdem adverſarius, uti & Simonides. Illius Poemata in Pythiis ab Hierone prælata fuere Pindaricis. Magnopere etiam eo delectatum fuiſſe Julianum Imperatorem refert Ammianus Marcellinus.

Articulus VI.

De Poetis Lyricis Latinis.

Seriùs Lyricæ Poeſi Romani ſtuduerunt, quàm Dramaticæ; neque ullus ante Horatium Poeta Lyricus exſtitiſſe legitur. Imo neque poſt Horatium quiſquam Carmine Lyrico floruit. Hinc Quintilianus *Lib.* 10. *cap.* 1. *Lyricorum Horatius ſolus legi dignus, ſi quem adjicere velis, is erit Ceſius Baſſius quem nuper vidimus.* Hic ſub Nerone vixit, ad quem Satiram ſextam ſcripſit Perſius. Addit de Baſſio idem Quintilianus: *Sed eum longè præcedunt ingenia viventium.* Quod ſignificare videtur, alios exſtitiſſe Quintiliani tempore Lyricos Poetas majoris nominis, cum tamen ſub Veſpaſiano nulli memorentur præter Sallejum, Baſſum & Paſſienum. Eſt illud quidem de Titio Septimio editum ab Horatio præconium. *L.* 1. *Epiſt.* 3.

Quid Titius Romana brevi venturus in ora;
Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus?

Verùm probabile eſt Septimii Carmina nunquam fuiſſe in lucem edita, quorum nullum exſtat uſpiam veſtigium.

HORATIUS.

De Horatii patria, de temporibus quibus ille vixit, imo de ejuſdem ingenio, indole, moribus jam abunde dictum eſt, cum de Satiricis Poetis ageremus. Nunc ut Poeta Lyricus ſpectatur à nobis & Romanæ Lyræ facilè princeps: qui neminem habuit inter Latinos, quem imitaretur; neminem, qui ipſum imitando ſit aſſecutus. Hoc teſtatur Quintilianus, quem jam laudavimus, qui Horatium fere ſolum eſſe dignum qui legi poſſit, profiteri non dubitat. *Nam, inquit, & inſurgit aliquando: plenus eſt jucunditatis ac gratiæ, & variis figuris & verbis feliciſſimè audax.*

Is enim verò ſi omnem Lyricæ Poeſeos laudem ac gloriam complexus eſt, ut cum in Odarum ſuarum Libris nihil ad abſoluti operis perfectionem deſiderandum, tum nihil vel ſeveriori Criticæ reprehendendum reliquerit. Diceres virtutes omnes Lyrici Carminis, quaſi facto agmine, ad ornandam Horatii Muſam confluxiſſe: tam felix ac varius in argumentis, tam ſolers in iis tractandis ac magnificus, tam gravis in ſententiis, tam moratus in documentis videri ſolet: adeo majeſtatem Carminis cum lepore, rerum gravitatem cum riſu & joco, puritatem ſermonis cum elegantia conciliat. Sic ut Græcorum Poetarum nemini cedere dicendus ſit. Eos certè, qui inter Græcos maxime floruerunt, Sappho quidem & Anacreontem ſuavitate ac gratia ſpectabiles, Pindarum vero ſublimitate commendatum non modò æquaſſe ſcribendo, ſed etiam ſuperaſſe omnium pœne Criticorum judicio viſus eſt.

Liceat hic addere ad Horatii commendationem Julii Scaligeri judicium, qui duarum inprimis Odarum, quarum altera ſic incipit: *Quem tu Melpomene ſemel. L.* 4. *Od.* 3. altera *Donec eram gratus tibi, L.* 3. *Od.* 9. ita ſuavitate capiebatur, ut diceret. *Quarum*

rum ſimiles malim à me compoſitas, quàm Pythionicarum multas Pindari, & Nemeonicarum. Quarum ſimiles malim compoſuiſſe, quam eſſe totius Tarraconenſis Rex. L. Poet. c. 7.

CAPUT IX.

De Epigrammate.

ARTICULUS PRIMUS.

De Definitione & Natura Epigrammatis.

EPigramma latinè Inſcriptio dicitur: ἐπιγράφω enim eſt, *inſcribo, ſuperſcribo*. Hinc quidquid olim vel columnis, vel ſtatuis, vel templis, vel ſepulchris, vel cæteris quibuſque monumentis aut publicis, aut privatis inſcribebatur, id Epigrammatis nomen ferebat. Poſtea verò quàm hæc maximam partem deſierunt inſcribi, ſteteruntque per ſe, & in alios uſus, quàm in ornatus operum ceſſerunt, & collecta ſimul relata ſunt in Libros, manſit quidem vox eadem, at mutata ſignificatio eſt & poteſtas vocis: ut infinitæ ſint inſcriptiones, in quas Epigrammatis nomen non cadat, innumerabilia Epigrammata, quæ jure nemo inſcriptiones appellet. Latiùs igitur interdum patet Epigramma, quàm ut inſcriptionis nomine cenſeatur; contraque eſt in Epigrammate aliquando vis & ſententia, quàm in inſcriptione anguſtior.

Quòd cum ita ſe habeat, jam definiendum quid ſit Epigramma. Eſt autem Carmen breve & venuſtum, aut acutum, indicans & exponens unum aliquid tantummodo, vel alterum aliud inferendo concludens etiam acutiùs ac venuſtiùs. Unde licet intelligere geminum eſſe Epigrammatis genus; aliud ſimplex, aliud compoſitum. Partes omnino duas habet, Expoſitionem & Clauſulam; virtutes tres, Brevitatem, Venuſtatem & Acumen. De ſingulis dicendum aliquid incumbit, ſi priùs de Epigrammatis Materia pauca præmittantur.

ARTICULUS II.

De Materia Epigrammatis.

Tam longè lateque patet Epigrammatis Materies, ut nullam habeat definitam rationem, cujus terminis ac finibus coerceatur. Quidquid enim edifferi & perpoliri Epigrammate poteſt, id conſtat ſubjectam eſſe Epigrammati Materiam; cumque nihil ſit quod ſub hujus artificis ſtylum non cadat, nihil etiam eſt, quod pro Materia Epigrammatis non habeatur. Quare cœleſtia, humana, ſublimia, abjecta, magna & parva huic propoſita ſunt, quæ tractet, & in quibus verſetur. Virtutes laudat, vitia reprehendit, in lætis ac triſtibus, in ſeriis pariter ac ludicris argumentis occupatur.

At cum amplum ſpatioſumque nacti ſunt campum Epigrammatum Scriptores, in quo ſe exerceant, tum ſibi interdictum putent, ne quid attingant ejuſmodi, quod vel maledicentiam, vel laſciviam, vel impietatem oleat. Nam quod ad maledicta pertinet, etſi Catulli temporibus non tam religioni Poetæ ducerent Epigrammata conſcribere cum offenſione multorum, & magnis etiam nominibus ad increpandum abuti; tamen annis ſubſequentibus hanc ſibi ipſi dixerunt legem, ne quem verbo læderent, aut liberiùs appellarent. Durum illud quidem cenſeri poſſit Epigrammatum Scriptori neceſſitatem illam imponere, ut pro omnibus dicat ad laudem atque gratiam & aſſentationem, nihil adversùs ullum vel ad minimam reprehenſionem, ne jocandi quidem aut ridendi cauſa. Perſequatur ſane vi & acumine Epigrammatum non laudanda ſolùm, ſed

ſed etiam quidquid vituperabile eſt: naturas rerum ſugillet, hominum facta, dicta, errores, ſuſpiciones, eventus fortuitos notet, moribus inſultet ac vitiis, irrideat, aſpernetur: at revereatur perſonas, ac verſibus ſuis neminem prodat, neminem verbo vel nutu deſignet.

Certè Martialis hoc profitetur in præfatione univerſi operis, *Ludere ſe ſalva infimarum quoque perſonarum reverentia:* & *L.* 1. *Epig.* Negat ſe ullius Epigrammatis eſſe auctorem, quo quis nominatim perſtringeretur. *Epig.* 5.

Quiſquis ſtolæve purpuræve contemptor,
Quos colere debet, læſit impio verſu;
Pontes per urbis erret exul, & clivos
Interque raucos ultimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas.

Ibidem *Epig.* 33.

Hunc ſervare modum noſtri novere Libelli;
Parcere perſonis, dicere de vitiis.

Neque tamen quiſquam dubitet, quin, à Martiale quoties perſtrictus eſt quiſpiam Carminibus, fuerit illi præſentiſſimus unus aliquis & certus & definitus & notus homo, non vagus, aut obſcurus, aut animi cauſa fictus, contra quem ſic tanquam contra umbram pugnaret. At Epigramma cum ſcriberet, affinxit nomen arbitratu ſuo, ſub quo nomine lateret, quem vellet ignotum. Hinc tanta multitudo & copia apud eum fictorum nominum, quantam nunc videmus, ne verum nomen appareret, aut ullus reipſa noſceretur.

Atque utinam tam religioſus in declinandis obſcœnis, quàm in maledicis Epigrammatis Martialis extitiſſet. Fecit enim inſanabilis, qua laboraſſe viſus eſt, turpia quælibet & obſoleta ſcribendi libido, ut ipſius Epigrammatum Libri inoffenſo decurri pede ab iis non poſſint, quos pia tuendi pudoris cura remordeat, Sed quid in uno Martiale moror, qui Catullum & Græcos Epigrammatum conſcriptores pravitatis ejuſmodi auctores habuerit. Næ vitandi omnes tanquam infames pudicitiæ ſcopuli, quantumvis ſeſe apud nos excuſent inverecundi Poetæ, & proterviæ illius ſuæ cauſas obtendant. Scilicet illi caſtigatores morum habeantur, dum fœdiſſimis impuritatum omnium imaginibus inſanam libidinis pruriginem irritant potiùs; quam compeſcunt; aut quidquam juvet, quod mores ſuos alienos mentiuntur à ſordibus, dum inquinatis cœno verſiculis ineluctabiles pudicitiæ inſidias moliuntur? Sed quid proficimus? Furit hodieque lues tam mala, & quod in ipſis impuriſſimorum Numinum cultoribus dignum venia non cenſemus, non pudet id ipſum Poetas Chriſtianos æmulari.

Exulet multo æquiùs ab Epigrammate quidquid ſinceræ pietati & puræ religioni adverſatur. Piaculum eſt omni æſtimatione grandius in rebus tam verendis quærere materiam jocorum. Neque liceat in iis cenſuram exercere, quæ religioſum à nobis cultum atque obſervantiam exigunt.

ARTICULUS III.

De Epigrammate Simplici ac Compoſito.

Epigramma Simplex & uniuſmodi illud dicitur, quo breviter ab initio ad extremum uſque, res, aut perſona, aut factum, aut dictum pari cum venuſtate exponitur. Exemplum eſto hoc Martialis Epigramma. *Lib.* 1. *Epig.* 75.

Dimidium donare Lino, quàm credere totum,
Qui mavult, mavult perdere dimidium.

Aliud

Aliud Compoſitum & velut duplex, quo hæc eadem commodè quoque & concinnè tractata, etiam concludantur acutiùs & inferantur. Sit in exemplum illud Epigramma Catulli.

Quinctia formoſa eſt multis, mihi Candida longa,
Recta eſt; hæc ego ſic ſingula confiteor.
Totum illud, formoſa, nego; nam nulla venuſtas,
Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.
Lesbia formoſa eſt, quæ cum pulcherrima tota eſt,
Tum omnibus una omnes ſurripuit veneres.

Quod autem ita deducitur ex propoſito, aut majus eſt, aut minus, aut par, aut contrarium. Majus colligitur in primo Epigrammate de ſpectaculis ubi poſt memoratum Ægyptiorum laborem in ſtruendis Pyramidibus, Aſſyriorum in ædificanda Babylone, Jonum in Dianæ Epheſinæ templo, ita concludit. *L. 1. Epig. 1.*

Omnis Cæſareo cedat labor Amphiteatro,
Unum pro cunctis fama loquatur opus.

Minus deducitur in Epigrammate ad Gallicum *L. 9. Epig. 48.* ubi ſe ait ejus hereditati aliquando inhiaſſe, qui Martiali juraverat eum in quartam bonorum partem eſſe vocandum. Hac ſpe illectus cum aprum miſiſſet Gallico, is eo accepto vocavit ad cœnam plurimos, præterito Martiale: hinc colligit Poeta nihil ſibi ex hereditate ſperandum eſſe.

De Quadrante tuo quid ſperem, Gallice? nulla
De noſtro nobis uncia venit apro.

Minus enim veriſimile eſt, Martialem in Quadrantem hereditatis eſſe inſtituendum, quàm eundem non invitatum fuiſſe, ut apri, quem ipſe donaverat, partem aliquam ſumeret.

Par verò concludit ex pari, cum non inferiorem ſibi promittit ex ſcriptis gloriam, quàm cæteri Poetæ è ſuis meruiſſent. *L. 1. Epig. 53.*

Verona docti ſyllabas amat vatis,
Marone felix Mantua eſt.
Cenſetur Apona Livio ſuo tellus
Stellaque nec Flacco minus.
Apollodoro plaudit imbrifer Nilus:
Naſone Peligni ſonant.
Duoſque Senecas unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.
Gaudent jocoſæ Canio ſuo Gades,
Emerita Deciano meo.
Te, Liciniane, gloriabitur noſtra;
Nec me tacebit Bilbilis.

Contrarium è contrario ducitur in illo Catulli Epigrammate 50.

Gratias tibi maximas Catullus
Agit peſſimus omnium Poeta,
Tantò peſſimus omnium Poeta,
Quantò tu optimus omnium patronus.

Et in illo Martialis Epigrammate. *L. 12. Epig. 47.*

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus & idem,
Nec tecum poſſum vivere, nec ſine te.

ARTICULUS IV.

De Partibus Epigrammatis.

Duæ ſunt Epigrammatis partes, altera Expoſitio, altera Concluſio dicitur. Principio res ponenda ob oculos una & ſimplex, eaque non uberiore filo ſermonis explicanda, ut narratiuncula celeriter expediri, non hiſtoria inſtitui longior videatur. Tum verò tendendum ad finem expoſitione tota; quod ut fiat, ſpargenda quædam ſemina in decurſu, ex quibus Concluſio ſponte naſcatur. Imbuendus & informandus certis quibuſdam notionibus legentis animus, certis dictis & ſententiis præparandus; ut jam inde à primis verſibus ſuſpicione attingat interdùm & conjectura, quid ſcriptor intendat; quorſum ejus ſit evaſura, quemque exitum ſit habitura rei propoſitæ brevis declaratio.

Sit in exemplum iſtud Martialis Epigramma. *L. 9. Epig.* 71.

Ad cœnam ſi me diverſa vocaret in aſtra
Hinc invitator Cæſaris, inde Jovis.
Aſtra licet propiùs, palatia longiùs eſſent,
Reſponſa ad ſuperos hæc referenda darem.

Quatuor iſti priores verſus, qui Expoſitionis locum habent, rem ipſam, de qua agitur, ponunt in medio, & præparant lectoris animum ad concluſionem, quam ſubodorari non tam ægre poſſit, ſi modò non ſit obeſæ naris. Eſt enim illa.

Quærite, qui malit fieri conviva Tonantis;
Me meus in terris Jupiter ecce tenet.

Quamvis autem acumen reſervetur Concluſioni, nihil moræ eſt tamen, quominus illud antevertat Poeta, & acutula quædam admiſceat paſſim inculcetque diverſis locis; ut finis interdum ibi putetur eſſe Epigarammatis, ubi finis non eſt, cum reſtent adhuc meliora. Exemplum dabit iſtud Epigramma Martialis in Scævolam, cum dexteram manum exureret, quod erraſſet illa, ſcribam Porſenæ pro ipſo Porſena interficiendo. *L.* 1. *Epig.* 22.

Cum peteret Regem decepta Satellite dextra,
Injecit ſacris ſe peritura focis.
Sed tam ſæva pius miracula non tulit hoſtis,
Et raptum flammis juſſit abire virum.
Urere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.

Certe hoc Epigramma perfectum ſuiſque abſolutum partibus ita videri poſſit, nihil ut ad præſtantiam Epigrammatis & integritatem ſit expetendum. Tamen accedit quiddam aliud perfectum & abſolutum magis, nempe ipſa hæc Epigrammatis clauſula.

Major deceptæ fama eſt & gloria dextræ:
Si non erraſſet, fecerat illa minus.

Altera pars Epigrammatis Concluſio appellatur; quæ non eſt finis merus ac ſimplex ſermonis, aut quaſi Epiſtolæ clauſula, aut velut in Fabula Epimythion. Sed illa, ut cenſeri poſſit legitima, debet hæc tria potiſſimum, ſi non omnia, ſaltem unum aliquid ex tribus præſeferre.

Primum ſit, ut Concluſio diverſum quiddam habeat & aliud omninò ab Expoſitione compare ſua; neve recidat in idem, neve cum illa confundatur. Alioqui fruſtrari ſe Lector meritò expoſtulet, qui expectans aliquid in fine, quod ſit novum, nihil videat, niſi quod in Expoſitione jam ſenſerit. Deinde ut diverſum illud ſit illatum ex alio, non vagum aut ſolutum, aut affictum temere. Nam cum Expoſitio comparata ſit & referatur ad aliud, ita ducitur ex alio Concluſio, & nexa cum priori parte, indeque apta procedit. Poſtremo illatum hoc ſit ingenioſum præter cætera, ſolers & acutum, quod tertium ſi defuerit, omni lepore ac gratia deſtitui Epigramma neceſſe eſt.

Nunc de triplici Epigrammatis virtute nobis agendum eſt tribus ſeorſim articulis, ſcilicet de Brevitate, Venuſtate & Acumine.

ARTICULUS V.

De Brevitate Epigrammatis.

Quòd Brevitas dos ſit propria Epigrammatis, vel ex eo intelligitur, quòd à cæteris Poematis Brevitate diſtinguatur. Eſt enim Epigramma, uti diximus, Carmen breve. Hinc in eo conveniunt omnes, ut exiſtiment, paucis hoc opuſculum verſibus conſtare oportere: imo verſum vel unum Epigrammati ſatis eſſe. Talia ſunt illa Martialis Epigrammata.

Pauper videri Cinna vult, & eſt pauper. *L.* 1. *Epig.* 18.
Omnia Caſtor emis, ſic fiet ut omnia vendas. *L.* 7. *Epig.* 81.

Jam quæritur quatenus pergere por-

ro, quo uſque progredi liceat. Alii plures duobus verſibus vetant adhiberi: alii quatuor ſtatuunt; quod excurrit, non ſupervacaneum ſolum, ſed vitioſum putant. Ut ut eſt Epigrammatis ſcribendi Principes Catullus & Martialis, non tam anguſtis finibus ſe continent. Nam in Hendecaſyllabis & aliquot generibus numerorum, magna apud utrumque verſuum profuſio. In Elegiacis verò, ambo ſic moderati ac temperantes, ut Epigrammata ſua ultra quatuor ſexve Diſthica vulgò excurrere non patiantur. Cæterum Epigrammata illa longiora videri non debent, in quibus nihil eſt ſuperfluum, ut ajebat Martialis ſcribens ad Coſconium quemdam, qui exprobrabat ipſi, quòd prolixiora ſcriberet Epigrammata, cum ille ſua Diſthico concluderet. *L. 11. Epig. 55.*

Non ſunt longa quibus nihil eſt, quod demere poſſis;
Sed tu, Coſconi, Diſthica longa facis.

Articulus VI.

De Venuſtate Epigrammatis.

Venuſtas Epigrammatis eſt continua totius Poematis ab initio ad finem conformatio, & apta partium inter ſe convenientia, cum certa quadam ſuavitate, unde jucundum quiddam & amabile utrinque effloreſcat. Nam ad venuſtatem ſuavitas accedat oportet. *Nec ſatis eſt pulchra eſſe Poëmata, dulcia ſunto*, inquit Horatius.

Hæc verò ſuavitas tam rebus quàm dictione efficitur. Rebus quidem, ſi blanda, tenera, delicata materiam Epigrammati præbeant, eaque non incommodè tractentur. Item quidquid inviſum, aut inauditum, aut novum, aut quovis modo admirabile proponitur, rapit animos & grata quadam dulcedine perfundit.

In Dictione hoc præcavendum præſertim, ut lævis ſit & perpolitus tractus orationis; ut fluat æquabiliter ac ſine ullis ſalebris; ut non ſit aſper, non hiulcus, non ingratus dura colliſione ſyllabarum. Nam quantò brevius eſt Epigramma Poematis genus, tantò molliores ſectari debet ſermonis delicias, quæ ſi defuerint, vix aliud habeat unde commendetur. Quo enim pacto Epigramma deſtitutum Acumine, qualia ſunt pœne omnia Catulli & pleraque Martialis Epigrammata, placere poſſit, niſi ſuam à venuſtate laudem repetat?

Porro qui volet Venuſtatis illius exempla contemplari, adeat hæc inprimis Catulli Epigrammata quæ ſubindico tantùm. 4. *Phaſelus ille quem videtis hoſpites*, 14. *Ni te plus oculis meis amarem*. 22. *Suffenus iſte, Vare, quem probè noſti*. 32. *Peninſularum, Sirmio, Inſularumque*. 40. *Egnatius quòd candidos habeat dentes*. 45. *O Funde noſter, ſeu Sabine, ſeu Tibur*.

Apud Martialem conſule 19. *Epig.* de Spectaculis. *L.* I. 58. IV. *Epig.* I. VII. *Epig.* 5. & 6. IX. *Epig.* II. X. *Epig.* 32. XI. *Epig.* 5. & 6. XII. *Epig.* 15.

CAPUT VII.

De Acumine Epigrammatis.

Quod in Oratoribus contemnendum, aut certè nullo admodum in pretio ponendum eſſe exiſtimavit Tullius; quod Virgilius & Horatius ſuis in verſibus vix unquam admiſere; quod ſeneſcentibus poſt Ciceronis tempora Literis, & ab optima ſcribendi forma deficientibus, Declamatores ac Patroni, & ab eorum profecti diſciplina tam Poetæ quàm Hiſtorici conſectati ſunt argutum & acutum dicendi genus; hoc denique Scriptores Epigrammatum ſic arripuere, ut Acumen, tanquàm rem ſuam & proprium veluti patrimonium ſibi vindicaverint. *L. de Clar. Orat.*

Enim

Enim verò fuit hoc Acuminis fatum, poſtquam per ſingula Scriptorum genera erravisset, ut in Epigrammatis ſedem delegerit certam ſibi ac ſtabilem, ac fixerit in perpetuum; hos fines, & ditionem, & regnum, & domicilium obtinuerit. Aliis in operibus partem faciebat operum Acumen, in hoc opere, opus totum occupavit. Illic Acumen tanquam lumina quædam & ornatus inſignia, adhibebatur; hic ut ſolum ornamentum & fundamentum. Poſtremò ea res ſatietatem habuit, & datum eſt vitio, ſi tranſiliret modum. Imo & vileſcere Acumen cœpit cordatorum hominum judicio; neque tam commendandi deinceps viſi ſunt aut Senecæ, aut Plinii, aut Tacitus, aut Ovidius ipſe, qui vim acuminum & copiam affectaverant impenſiùs. Vix quidquam ejuſmodi in Epigrammate nimium eſſe poteſt, ubi in eo cardo rei, & totum fere conſiſtit, ut Epigramma ſit acutum.

Inveſtiganda igitur Acuminis natura, quòd in poſteriore Epigrammatis parte aut in Clauſula dominari ſolet, & ſuum illi decus confert ac ſplendorem. Duplex eſt Acuminis genus; Alterum à Rebus petitur, alterum à Verbis.

ARTICULUS VIII.

De Acumine quod eſt in Rebus poſitum.

Hæc inter Acumina quæ ſunt in Rebus poſita, locum habent primò quæ ſententiosè acuta dicuntur; hoc eſt, quæ ſententiam aliquam tam ingenioſam quàm veram offerunt. Tale eſt Acumen illius Epigrammatis. *L. 1. Epig.* 33.

Amiſſum non flet, cum ſola eſt, Gellia patrem:
Si quis adeſt, juſſæ proſiliunt lacrymæ.
Non luget quiſquis laudari, Gellia, quærit:
Ille dolet verè, qui ſine teſte dolet.

Idem puta de ſequentibus. *L. 5. Epig.* 42.

Extra fortunam eſt, quidquid donatur amicis;
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

L. 6. Epig. 70.

At noſtri bene computentur anni,
Et quæ cum tetricæ calore febres,
Aut languor gravis, aut mali dolores
A vita meliore ſeparentur.
Infantes ſumus, & ſenes videmur;
Ætatem Priamique Neſtoriſque
Longam qui putat eſſe, Martiane,
Multum decipiturque falliturque.
Non eſt vivere, ſed valere, vita.

L. 9. Epig. 34.

Rebus in anguſtis facile eſt contemnere vitam;
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

L. 11. Epig. 5.

Tanta tibi eſt recti reverentia, Cæſar, & æqui;
Quanta Numæ fuerat: Sed Numa pauper erat.
Ardua res eſt hæc, opibus non tradere mores:
Et, cum tot Cræſos viceris, eſſe Numam.

Secundò cenſetur illud ingenioſum Acuminis genus in Epigrammate, cum ratio rei latentis & occultæ, quæ propoſita ſit in medium, & prioribus verſibus explicata, poſterioribus verſibus in Clauſula ita redditur, ut ſit cum lepore ac ſale conjuncta. Hæc autem ratio vera eſſe poteſt ac germana; neque obſtat quidquam, quominus à Poeta verum audire liceat; dummodo id, quod verè dicitur, obvium ne ſit pervulgatumque omnibus, nec facilè cuivis veniat in mentem. Exemplo ſint quæ ſequuntur Epigrammata. *L. 9. Epig.* 12.

EARINUS.

* Nomen cum violis roſiſque natum,
Nomen nobile, molle, delicatum
Verſu dicere non rudi volebam.
Sed tu ſyllaba contumax repugnas.
Dicunt Earinon tamen Poetæ,
Sed Græci, quibus eſt nihil negatum,
Et queis, Ἄρες, Ἄρες, licet ſonare.
Nobis non licet eſſe tam diſertis,
Qui Muſas colimus ſeveriores.

L. I.

L. 1. Epig. 19.

Si memini fuerant tibi quattuor, Ælia, dentes:
Exſpuit una duos tuſſis, & una duos.
Jam ſecura potes totis tuſſire diebus;
Nil iſthic, quod agat, tertia tuſſis habet.

L. 1. Epig. 107.

Sæpe mihi dicis, Luci cariſſime Juli,
Scribe aliquid magnum, deſidioſus homo es.
Otia da nobis, ſed qualia fecerat olim
Mecœnas Flacco Virgilioque ſuo.
. . . .
In ſteriles campos nolunt juga ferre Juvenci
Pingue ſolum laſſat, ſed juvat iſte labor.

L. 3. Epig. 43.

Mentitis juvenem tinctis Lentine capillis
Tam ſubitò Corvus, qui modò Cygnus eras.
Non omnes fallis; ſcit te Proſerpina canum;
Perſonam capiti detrahet illa tuo.

L. 4. Epig. 85.

Nos bibimus vitro, Tu myrrha; Pontice: quare?
Prodat perſpicuus ne duo vina calix.

L. 5. Epig. 81.

Semper eris pauper, ſi pauper es, Æmiliane:
Dantur opes nullis nunc niſi divitibus.

L. 8. Epig. 26.

Munera qui tibi dat Locupleti, Gaure, Senique;
Si ſapis & ſentis, hic tibi ait, morere.

L. 8. Epig. 75.

Dic verum mihi, Marce, dic, amabo;
Nil eſt, quod magis audiam libenter.
Sic, & cum recitas tuos libellos,
Et cauſam quoties agis Clientis,
Oras, Gallice, me rogaſque ſemper.
Durum eſt me tibi, quod petis, negare.
Vero verius ergo, quid ſit, audi.
Verum, Gallice, non libenter audis.

L. 10. Epig. 23.

. . . .
Nulla recordanti lux eſt ingrata graviſque:
Nulla ſubit, cujus non meminiſſe velit.
Ampliat ætatis ſpatium ſibi vir bonus, hoc eſt
Vivere bis, vita poſſe priore frui.

L. 11. Epig. 45.

Orbus es & lucuples & Bruto Conſule natus:
Eſſe tibi veras credis amicitias?
Sunt veræ, ſed quas juvenis, quas pauper habebas:
Qui novus eſt, mortem diligit ille tuam.

Neque verò neceſſe eſt, cauſſam, quæcumque in Concluſione Epigrammatis affertur, veram eſſe, ſed ſatis ſuperque ducere debemus, ſi veriſimile id totum & probabile & ſpecioſum eſſe videatur, habeatque aliquid convenientiæ. Imo bella plerumque falſitas, plauſibile mendacium, ſi ſolerter & ingenioſè ſit excogitatum, nihilo minùs, pluſque adeo delectat ac placet, quàm quod revera geſtum eſt, & verè dicitur. Inhibita ſunt apud Martialem ejuſmodi Epigrammata; pauca ſubjicimus è multis.

De Spect. Epig. 16.

Quòd pius & ſupplex Elephas te, Cæſar, adorat,
Hic modò qui tauro tam metuendus erat.
Non facit hoc juſſus, nulloque docente Magiſtro:
Crede mihi, *Numen ſentit & ille tuum.*

L. 2. Epig. 3.

Sexte, nihil debes, nil debes Sexte, fatemur
Debet enim, ſi quis ſolvere, Sexte, poteſt.

Ibid. Epig. 20.

Carmina Paullus emit, recitat ſua Carmina Paullus;
Nam quod emas, poſſis dicere jure tuum.

Ibid. Epig. 48.

Abſciſſa ſervum quid fingis, Pontice, Lingua
Neſcis tu populum, quod tacet ille, loqui?

Ibid. Epig. 38.

Quid mihi reddat ager, quæris, Line, Nomentanus?
Hoc mihi reddit ager, Te, Line non video.

L. 2. Epig. 80.

Hoſtem cum fugeret, ſe Fannius ipſe peremit;
Hic rogo, non furor eſt, ne moriare, mori?

L. 3. Epig. 28.

Auriculam Mario graviter miraris olere?
Tu

L. 5. Epig. 90.

Tu facis hoc; garris, Neſtor, in auriculam.
Languebam, ſed tu comitatus protinus ad me
Veniſti centum, Symmache, Diſcipulis.
Centum me tetigere manus Aquilone gelatæ;
Non habui febrem, Symmache, *nunc habeo.*

L. 7. Epig. 77.

Exigis ut noſtros donem tibi, Tucca, Libellos:
Non faciam; *nam vis vendere, non legere.*

L. 8. Epig. 34.

Cum ſitis ſimiles pareſque vita,
Uxor peſſima, peſſimus maritus,
Miror non bene convenire vobis.

Ibid. Epig. 53.

Magna licet toties tribuas, majora daturus
Dona, ducum victor, victor & ipſe tui.
Diligeris populo non propter præmia, Cæſar:
Propter te populus præmia, Cæſar, amat.

L. 9. Epig. 99.

Vindemiarum non ubique proventus
Ceſſavit; Ovidi; pluvia profuit grandis.
Centum Ceranus amphoras aquæ fecit.

Sed ex his omnibus nihil tam movet approbationem legentium, aut eorum, qui ſcripſerint, ingenii aciem oſtentat, quam cum aliud expectamus, aliud dicitur. Adeo ut audientibus primos Epigrammatis verſus, & ex prioribus poſteriora pœne divinantibus ſuperveniat Clauſula ex improviſo, quæ licet fallat expectationem, probetur tamen ac delectet. Hoc ipſum evincent, quæ profero Epigrammata.

L. 1. Epig. 86.

Vicinus meus eſt, manuque tangi
De noſtris Novius poteſt feneſtris.
Quis non invideat mihi, putetque
Horis omnibus eſſe me beatum,
Juncto cui liceat frui ſodale!
Tam longè eſt mihi, quàm Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenem.
Non convivere, nec videre ſaltem;
Non audire licet, nec urbe tota
Quiſquam eſt tam prope, tam proculque nobis
Migrandum eſt mihi longiùs vel illi.
Vicinus Novio vel inquilinus
Sit, *ſi quis Novium videre non vult.*

Ibid. Epig. 72.

Ne gravis heſterno fragres, Feſcennia, vino,
Paſtillos Coſmi luxurioſa voras.
Iſta linunt dentes jentacula; ſed nihil obſtat,
Extremus ructus cum venit à barathro.
Quid quòd olet gravius miſtum diapaſmate virus,
Atque duplex animæ longiùs exit odor.
Notas ergo nimis fraudes, deprehenſaque furta
Jam tollas, *& ſis ebria ſimpliciter.*

L. 5. Epig. 49.

Nunquam ſe cœnaſſe domi Philo jurat; & hoc eſt;
Non cœnat, quoties nemo vocavit eum.

L. 6. Epig. 51.

Quid convivaris ſine me tam ſæpe, Luperce?
Inveni, noceam qua ratione tibi.
Iraſcor: licet uſque voces, mittaſque rogeſque,
Quid facies? inquis. Quid faciam? *veniam.*

Nihil iſta Clauſula magis improviſum eſt, cui contraria omnino expectabatur.

L. 7. Epig. 3.

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, Libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

L. 9. Epig. 19.

Laudas balnea verſibus trecentis
Cœnantis bene Pontici, Sabelle.
Vis cœnare, Sabelle, non lavari.

L. 10. Epig. 43.

Septima jam, Phileros, tibi conditur uxor in agro:
Plus nulli, Phileros, quàm tibi reddit ager.

Hactenus de Acumine, quod oritur à rebus ipſis; nunc agendum nobis hoc reſtat, ut de Acumine, quod in verbi vi ac ratione poſitum eſt, aliquid adjiciamus.

ARTICULUS IX.

De Acumine Epigrammatis quod eſt in Verbo poſitum.

Acumen omne, quod eſt in Verbo poſitum, ex ambiguè dictis pœne conficitur. Hæc autem, teſte Tullio, cenſentur inprimis acuta: *Res enim*, inquit ille, *ſubtilioris ingenii eſt, vim verbi in aliud, quàm cæteri accipiant, poſſe ducere*. Hinc quæ ſunt ex ambiguo dicta, ſingularem conferunt Epigrammati gratiam. Atque ea præſertim laude Martialis floruit, cui ſi concinnum ademeris in ancipiti verborum ſignificatu luſum, maximam Acute-dictorum partem ademeris. At quoniam Acumen Epigrammatis ejuſdem Concluſioni reſervari debet, ita quæ proferuntur ambiguè, Clauſulam Epigrammatis efficiunt. Id porro ex illuſtribus Epigrammatum exemplis licebit animadvertere.

De Spect. Epig. 3.

Quæ tam ſepoſita eſt, quæ gens tam barbara, Cæſar,
Ex qua ſpectator non ſit in Urbe tua?

Tum commemoratis variarum gentium populis, qui tunc Romæ verſabantur, ita concludit Epigramma.

Vox diverſa ſonat: populorum eſt vox tamen una,
Cum verus patriæ diceris eſſe pater.

Hìc primo loco *vocem* pro Lingua ſive pro idiomate: ſecundo loco pro ſermone, ſive pro ſententia ſermonis Martialis uſurpat. Alia, inquit, atque alia hoſpites ac peregrini, qui viſendi ſtudio Romam confluxerunt undique, utuntur Lingua; qui tamen ſonant & loquuntur idem, cum patrem te patriæ, ò Cæſar, omnes uno ore pronunciant.

L. 1. Epig. 79.

Semper agis cauſas, & res agis, Attale, ſemper;
Eſt, non eſt, quod agas, Attale, ſemper agis.
Si res & cauſæ deſunt, agis, Attale, mulas.
Attale, ne, quod agas, deſit, agas animam.

Facit Acumen illius Epigrammatis diverſa ſignificatio, quam patitur verbum *ago*, & illa inprimis quam habet in Clauſula, *agas animam*, hoc eſt moriare.

L. 2. Epig. 12.

Eſſe quid hoc dicam, quod olent tua baſia myrrham,
Quodque tibi eſt ſemper non alienus odor?
Hoc mihi ſuſpectum eſt, quòd oles bene, Poſthume, ſemper.
Poſthume, non bene olet, qui bene ſemper olet.

Acumen illius Epigrammatis oritur ex ambigua ſignificatione geminæ illius vocis, *bene olet*; quæ & in proprio ſenſu ſumitur, & ad alienum detorquetur; ſcilicet pro bene audire, ſeu bona frui fama.

Ibid. Epig. 65.

Cur triſtiorem cernimus Salejanum?
An cauſa levis eſt? Extuli, inquis, uxorem.
O grande fati crimen! ò gravem caſum!
Illa, illa dives mortua eſt Secundilla,
Centena decies quæ tibi dedit dotis?
Nollem accidiſſet hoc tibi, Salejane.

Ultimus verſus ambiguus eſt; nam incertum quid ſignificat. An nollem extuliſſes uxorem, Salejane? an nollem morte uxoris in tantam hereditatem creviſſes?

L. 3. Epig. 13.

Dum non vis piſcem, dum non vis carpere pullos,
Et plus quàm patri, Nævia, parcis apro.

Accuſas, rumpiſque coquum, tanquam omnia cruda
Attulerit; nunquam ſic ego crudus ero.

Vox *cruda* in penultimo verſu diverſæ ſignificationis eſt ab ea, quam habet crudus in ultimo, atque hinc Acumen Epigrammatis exſurgit.

L. 4. *Epig.* 33.

Plena laboratis habeas cum ſcrinia Libris
Emittis quare, Soſibiane, nihil?
Edent heredes, inquit, mea Carmina: quando?
Tempus erat jam te, Soſibiane, legi.

Hic dubites, utrum velit Martialis; edi-ne jam oportere ſcripta Soſibiani, non expectato herede, an ipſum jam mori, herede, ut facile fuit, invento?

L. 5. *Epig.* 75.

Quæ Legis cauſa nupſit tibi, Lælia, Quinćte;
Uxorem potes hanc dicere legitimam.

Acumen illius Epigrammatis vertitur in voce *Legitimam* quæ geminum hic ſenſum habet.

Alia ſunt verborum Acumina, quæ ex vocum pœne ſimilium aut oppoſitarum compoſitione naſcuntur. Sed quia ſexcenta ſunt ejuſmodi, parcam in iis referendis operam ludere, paucis contentus id demonſtrare.

L. 1. *Epig.* 29.

Si mea vis dici, gratis tibi Carmina mittam,
Si dici tua vis, hæc eme, ne mea ſint.

Ibid. Epig. 38.

Quem recitas, meus eſt, ò Fidentine, Libellus;
Sed male cum recitas, incipit eſſe tuus.

Ibid. Epig. 119.

Scribere me quereris, Velox, Epigrammata longa.
Ipſe nihil ſcribis, Tu breviora facis.

L. 2. *Epig.* 25.

Das nunquam, ſemper promittis, Galla, roganti;
Si ſemper fallis, jam rogo, Galla, nega.

Ibid. Epig. 54.

Argenti Libras Marius tibi quinque reliquit.
Cui nihil ipſe dabas, is tibi verba dedit.

L. 3. *Epig.* 61.

Eſſe nihil dicis, quidquid petis, improbe Cinna:
Si nil, Cinna, petis, nil tibi, Cinna, nego.

L. 12. *Epig.* 12.

Omnia promittis, cum tota nocte bibiſti;
Mane nihil præſtas, Poſthume, mane bibe.

L. 5. *Epig.* 77.

Inſequeris, fugio; fugis, inſequor; hæc mihi mens eſt:
Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

Articulus X.

De Scriptoribus Epigrammatum.

GRÆCI.

Cum infiniti ſint Græcorum Epigrammatum Scriptores, tum prolixioris operæ foret de ſingulis aut etiam de præcipuis velle quidpiam delibate. Quare ſatis habebo indicare fontes, quos curioſis rerum iſtarum adire liceat. Hoc eſt varios appellare collectores Græcorum Epigrammatum, qui variis temporibus hanc ſibi ſumpſere provinciam, ut ſparſa multis in locis Græca Epigrammata unum in corpus colligerent.

Primus fuit Meleager, homo natione Syrus, qui Seleuco VI. Syriæ Regiæ ultimo regnante vixiſſe fertur. Is ex diverſis totius antiquitatis, & ex quadraginta Scriptoribus Epigrammatum decerpſit flores, & inde Coronam texuit; atque ita inſcripſit, cum ſuum cuique florem Poetæ attribueret; ut ipſe pro parte ſua aliquid in Textum illud ſuave ac ſpecioſum conferret. Digeſtum eſt opus & diſpoſitum pro ordine Lite-

rarum, unde ſinguli Poetæ initium nominis ducerent.

Altera eſt à Philippo Theſſalonicenſi Corona contexta inſtituto & exemplo Meleagri; ſecutus eſt enim rectam ſeriem Literarum & ad Poetas ſingulos ſingulas vel plantas, vel flores, vel arbuſculas adjunxit. Vixit ille Julii Cæſaris aut Octaviani Auguſti temporibus, ut ex ipſius Epigrammatis, quibus Imperatori Cæſari victorias gratulatur, licet conjicere. Profitetur autem ſe recentiores ſui temporis Epigrammatum Scriptores collegiſſe, uti Meleager veteribus colligendis operam dederat.

Tertius Epigrammatum conquiſitor Agathias nomine, Aſianus & Myrinæus, qui ſimpliciter in unum aggregavit locum nova quædam Epigrammata, quibus aliquid ipſe de ſuo contulit. Hunc quingentis circiter poſt annis ætas vidit Juſtiniani. Quæ vel collegit vel ſcripſit, inferiora notæ debent videri, ut feriùs nata quodammodo, & non optimis adulta temporibus.

Poſtremus Epigrammatum collector Planudes, qui floruit anno ſupra milleſimum treceteſimo octogeſimo Romæ, Urbano VI. Pontifice Maximo; Vir Græcis ac Latinis Literis excultus. Librum ille ſuum diſtribuit in ſeptem volumina, habenturque quolibet volumine certa capita rerum, certæ per communes locos Inſcriptiones. Hæc autem inter cæteras habetur Planudi gratia; quòd ſedulam reſecandis turpibus quàm primis diligentiam adhibuerit.

ARTICULUS XI.

Latini Epigrammatum Conſcriptores.

Primus occurrit Catullus, ne quid de Cicerone dicam, qui aliquot Veterum Epigrammata de Græco in Latinum tranſtulit. Is Epigrammatum inter Scriptores principem habere locum meruit, ſi quibuſdam Catulli impenſis admiratoribus creditur. Rapit illos nimirum eximius quidam Latinitatis nitor, dignuſque fortunatis temporibus, quibus Romana Lingua ſupremum abſolutionis apicem viſa eſt attigiſſe. Quam ipſi gloriam etſi detrahendam non putem, ita non pariter ſentiam, eum ſic præcellere in cæteris, ut nemo venire laudis in contentionem poſſit. Equidem ſectatus non eſt Acumen in Epigrammatis, nativo lepore ac ſimplici venuſtate contentus. Verùm an continuò damnandi ſunt illi, qui nec Acumen neglexerunt, quæ dos eſt Epigrammatis non ultima? Quanquam eſt in Catullo venuſtas ac lepor? At ſi ſpurcitias omnes, quas affatim importunus obtrudit, ademeris, quam multa numeres Epigrammata, quæ venuſtate ſola ac lepore placeant? Jam ſtylus ejuſdem qui concinnus in Lyricis, elegans ac numeroſus eſt, quàm durus in Diſthicis, quàm plenus ſalebris & incomptus invenitur. Igitur ita commendetur Catullus in Epigrammatis, ut neminem habere parem aut etiam ſuperiorem non videatur.

MARTIALIS.

Marcus Valerius Martialis natus eſt Bilbili, quæ civitas eſt Hiſpaniæ in Celtiberia. Vixit ſub Domitiano. In Italia manſit 35. annis, quibus exactis rediit in Hiſpaniam ſuam, ubi deceſſit, Imperante Trajano, anno ætatis ſuæ 75.

Scripſit quatuordecim Epigrammatum Libros, præter illum, quem de Spectaculis inſcripſit, qui, pro contagione mala ſpurciſſimæ ætatis ſuæ, obſcœnis & infectis tam argumentis quàm verſibus non vacant. Verum

ſi ſingulis è Libris reſcindantur nonnulla, quæ pudori adverſantur, uti fecit pro pietate ſua Joſephus Juvencius è Societate Jeſu in ſuo, quem edidit & eruditiſſimis notis illuſtravit, Martiale, reſtabit adhuc amplum volumen, quod inoffenſo pede, nec ſine voluptate decurras.

Eſt enim in Epigrammatis Martialis magna rerum varietas, qua Lectorum faſtidiis ſolerter occurrit: accedit dignitas argumenti, quam præſertim commendat in Libro Spectaculorum, ubi dexter adulator multa ad captandam Imperatorum gratiam commentus eſt. Non abeſt ſententiarum copia, non venuſtas ac lepor, quæ ſola Epigrammatis plurimis laudem conciliant. Jocatur ingenioſè, aceto plenus ac ſale, ſed eodem innoxio, quia lædit neminem, nec quemquam nominatim appellat aut perſtringit. Quòd ſi qua Acuminum eſt gloria, uti revera eſt, dum Epigrammatis fines non excedit, horum pro jure ſuo princeps haberi meruit Martialis & omnibus Epigrammatum Scriptoribus tanquam abſolutum exemplar proponendus. At, quod vidi perpaucos advertere, & quod ſingulari admiratione dignum eſt, tanta eruditionis ſupellectile referta ſunt Martialis Epigrammata, ut totam antiquitatem Romanam, eadem probe intelligentibus, in breviſſimis illis Poematis comprehenſam exhibeant.

Conqueruntur quidam occurrere identidem Epigrammata rerum vacua, frigida nonnumquam & ſalis expertia. Hoccine adeo mirum eſt in tanta Epigrammatum multitudine irrepſiſſe nonnulla, quibus nervus aliquis adhæreſceret? Rem ipſam ſenſiſſe videtur Martialis & obtrectatorum querelas prævertere voluiſſe, qui ſeveriùs multò, quàm par erat, de ſuo ipſius Libro pronunciaverit.

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura,
Quæ legis hic: aliter non fit, Avite, Liber.

Quod ſpectat ad ſtylum Martialis, non incultus neque incomptus videri debet; cujus ſi Latinitas ad Catullianam non accedit, accuſa viciſſitudinem temporum, quæ, dum ſcriberet, à puritate ſermonis & elegantia multùm jam defecerant.

AUSONIUS.

Nihil hic moror Auſonii Epigrammata, in quibus occurrunt pauca, quæ velis tollere, multa paſſim inveniuntur, quæ propter turpiſſimam obſcœnitatem perenni ſilentio oblitterari mereantur.

Finis Poeticæ.

LIBER

LIBER DRAMATICUS

EUSTACHIUS MARTYR.

TRAGOEDIA.

ACTA LUDIS SOLEMNIBUS
Anno Dom. M.DC.XCIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

PRimum illud rudioris olim & nondum expertæ ſatis Muſæ ſpecimen edimus; paulò confidentiùs forte, quàm par eſſet, qui nobis ipſi ſumus conſcii, quam periculoſæ plenum opus aleæ ſit non tentatam adhuc rei Dramaticæ fortunam ſubire. Verum eſt hoc Scriptorum fatum, ut, quo parentes ferri ſolent in ſobolem primogenitam affectu, eodem illi primigenios ingenii fœtus deament: ac licet in poſterioribus plus leporis, gratiæ atque abſolutionis eſſe ultro fateantur, eos tamen hoc uno nomine, quod primùm editi ſunt, & impenſiùs foveant, & ſuaviùs deoſculentur.

Hæc Tragœdia, quæ cæteris præfigitur, quia priùs illis acta eſt, ſuum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ veteribuſque Numiſmatis argumentum debet. Eſt autem illud ejuſmodi. Superatis Dacis redux Euſtachius, cum ſolitos Jovi pro victoria honores reddere abnuiſſet, Hadriani Cæſaris juſſu, unà cum Trajana conjuge & duobus Liberis Agapito & Theopiſto, pro tuenda Chriſti fide mortem paſſus eſt.

Multa de Euſtachio præterea narrant Baronius, Surius, Damaſcenus & alii rerum Eccleſiaſticarum Scriptores: Eum vixiſſe gravibus ærumnis obnoxium, ſpoliatum bonis, exilio mulctatum, orbatum filiis ac conjuge, quos longo poſt tempore mirabiliter recepit. Varia iſthæc diverſi generis eventa ſic Theatri legibus accommodavimus, ut informarent Epiſodia, immutatis quibuſdam pro licentia Fabularum, aut etiam quibuſdam aliis præter veritatem hiſtoricam adjectis.

Statuimus igitur primò Agapitum & Theopiſtum Euſtachii filios, cum inter Dacos militarent, ab ipſo patre captos, neque agnitos priùs ab Euſtachio fuiſſe, quàm Chriſtianæ Religionis reus apud Hadrianum accuſatus eſſet.

Secundò. Ipſæ procurandæ Agnitionis modus etſi merè fictitius eſt, tamen laudabili temporum iſtorum conſuetudine nititur. Nam cum Chriſtiani, ſævientibus in Chriſti ſectatores Romanis Imperatoribus, quotidianum vel mortis, vel exilii periculum incurrerent, filioſque ſæpe relinquerent admodum parvulos; ipſos parte corporis aliqua teſſeris quibuſdam notabant, unde adultis

iiſdem ignorare non liceret, quam olim fidem ſuſcepiſſent. Sic Crux impreſſa Agapiti ac Theopiſti pectoribus, qua utrumque Euſtachius ipſe ſignaverat, facit, ut in iiſdem filios ſuos agnoſcat.

Tertiò fingimus Trajanam Euſtachii uxorem Trajani Imperatoris fuiſſe conſanguineam, ut vel ipſum nomen videtur innuere; atque adeo apud Hadrianum maximè gratioſam, qui à Trajano in imperium fuerat adoptatus.

Quartò Trajanam non niſi ſub ipſa conjugis morte Chriſto nomen dediſſe, neque cum ipſo ſtatim martyrium, ſed aliquantò poſt feciſſe; quod & minùs abhorret ab Hadriani moribus, quem natura ſua mitem & humanum, qualem fuiſſe hiſtorici referunt, non decebat ſine aliqua ingrati animi ſuſpicione, tam citò ſævire in Trajani conſanguineam: & ipſi Theatro conveniebat magis, quod nimium cruentari non debet.

Scena Romæ in Palatio Hadriani.

ACTORES.

TRAJANUS HADRIANUS CÆSAR.

EUSTACHIUS, Dux Romani Exercitus.

TRAJANA, Euſtachii Uxor.

AGAPITUS & THEOPISTUS. Euſtachii & Trajanæ Filii, non cogniti, ab ipſo Euſtachio patre in bello capti.

PROCULUS, Præfectus Prætorio.

THEODORUS, Magiſter Equitum.

MILITES.

EUSTACHIUS MARTYR. TRAGŒDIA.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

HADRIANUS, EUSTACHIUS, THEOPISTUS, AGAPITUS *vincti*, PROCULUS, THEODORUS, MILITES *cum Spoliis*.

EUSTACHIUS.

INVICTE Cæſar, Marte ſi genio potens
Infractus hoſtis, ſubditi rurſum jugo
Populi rebelles, quàque præcipites agis
Danubius undas, domita ſi dignum queat
Tibi munus eſſe Dacia, obſequii cape
Perenne pignus, parta Romulidum manu
Victoriarum decora. Felices nimis,
Si noſtra levibus Cæſari potuit fides
Conſtare factis! *HAD.* Grande præſidium Imperi,
Accede propiùs; Cæſarem amplexu pete.
Funeſta poſt tot bella & ancipites metus
Revocata per te rediit ex longo quies.
Gratare Superis, Roma, nil tumido ſuper
Metuendum ab hoſte; vincis! At per quem ſtetit
Sors læta belli, Roma, ne ignores Virum.
EUST. Quod ferre didicit hoſtis attritus jugum,
Tua illa, tua ſunt merita; Te facti auſpice
Redempta laurus; ſi quid hæc meruit manus
Tibi obſequendo meruit. *HAD.* O quantum decus

Manus

Manus iſta nobis peperit! In noſtrum involа
Iterum iterumque pectus; & noſter ſine
Per hæc amoris ſigna præludat favor.
EUST. Impendere animam liceat! Hæc, pro te hactenus
Quæcumque feci, levia, nec magno in loco
Numeranda, Cæſar. Si tamen factum probas,
Votum hoc ſuperſ mercedis hoc unum ambio,
Placuiſſe. *HAD.* Merces & ſua Euſtachium manet;
Meus ille labor eſt; vota quod ſuperet, paro.
EUST. Jam ſat repenſum eſt: ſumma votorum attigi:
Studium obſequendi placuit. *HAD.* Et totus velim,
Ut norit orbis, quo mihi ſteteris gradu.
Tot parta bello ſpolia, tot capti Duces
Tuæ trophæum gloriæ æternum erigent.
EUST. Illa, illa meliùs Cæſaris pompam inſtruent
Erepta Dacis ſpolia. Loricas vides,
Clypeos & arcus, tela, galearum jubas.
Hæc capta ſignant oppida: hæc miſſos probant
In jura Reges. At Tibi reliquos ſuper,
Quos varia belli fata & armorum exitus
Subjecit hoſtes, ſiſto par Fratrum decus,
Quibus hoc in ævo firma jam virtus dabat
Animos viriles. Vidi in hoſtiles globos,
Quàcumque plueret denſa telorum ſeges,
Lucem peroſos ruere, nec timidos mori
Laceſſere ultro fata. *HAD.* Proh! dignam indolem!
Adeſte, Juvenes inclyti; hos animos amat,
Vel in hoſte, Cæſar. *AGAP.* Adſumus, Cæſar; vides,
Quid iniqua poſſint arma; nequicquam hoſtium
Nudos per enſes, nobilem letho viam,
Pudenda fortes vincla ne premerent manus,
Quæſimus ambo: vota deſtituit Deus.
HAD. Romana ferre vincla ne fuerit pudor.
Non me eſſe, inani læta quem rerum efferant
Faſtu inſolentem, quem ſuperbifico juvet
Calcare greſſu, dura quos belli alea
Subegit; eritis ambo, cum tempus feret,
Locuſve, teſtes. *THEOP.* Qualis & quantus fores,
Quàm liberale pectus in victos geras,
Tui vel inter arma documentum Duces
Dedere; nec, ſi ferre victoris jugum
Debuimus, alio decuit infractos premi.
HAD. Accede, miles. Vincla de manibus cadant
* Ad Juvenes. Utrique; ſic jubeo. * Ite, regalis domus
Vobis patebit; carcerem haud alium impero.
* Ad Aulicos. * Abite pariter. Tota magnificos erat
In apparatus Roma; ſolemnem ocyus
* Ad Euſtachium. Inſtruite pompam. * Siſte, te paucis volo.

SCE-

SCENA II.

HADRIANUS, EUSTACHIUS.

HADRIANUS.

Tibi hæc paratur Pompa; Capitoli petes
Vectus Quadrigis ardua, & ſolitos Jovi
Reddes Honores. * Sentio; oblatum decus
Modeſta Virtus refugit: at nil promoves.
Quantùm ipſa ſeſe deprimit, tantò æquius
Conſulere memet, digna ne virtus ſua
Mercede careat. *EUST.* Iſta ſervantur Tibi
Auguſta Pompæ decora. Si læto exitu
Rerum ſuperbus noſtra degeneres manus
In vincla Dacus addidit, laus hæc tua eſt.
Plus Hadriani nomen injecit metus,
Quàm militum ardor, menſque Ductorum ſagax.
HAD. Laus illa fuerit noſtra; quodcumque eſt, lubens
In te refundo; Cæſaris partes age.
EUST. Ah! parce; honoris, Cæſar, hic cumulus nova
Me me in pericla rapiet. Expertus ſcio,
Quid odia poſſint; hæc mihi quondam fuit
Labes malorum prima: quot tantus favor
Rurſum excitabit æmulos? *HAD.* Nihil hinc time.
Spectata nimirum rebus in dubiis fides,
Et notus animus: vive ſecurus mei,
Et inſolentis deſpice invidiæ minas
Cæſaris in umbra tutus. *EUST.* Eſt tutus ſatis
Rebuſque per te, Cæſar, in miſeris opem
Inveniet uſque, ſceleris expertem mali
Quem dente cœcus invido livor premit.
At, ſi retecta mente jam liceat loqui,
Me prima revocant ſtudia, cum ſtrepitu procul
Fallacis Aulæ, ſorte contentus ſua
Curiſque liber animus, & placido fruens
Blandæ quietis otio exigeret dies.
Famoſa Romæ nomina; hanc dudum mihi
Serranus aperit & Coruncanus viam:
Exempla, princeps, illa da poſſim ſequi;
Hoc patere: longo ſi quid obſequia fides
Meruiſſe potuit, præmium hoc unum feram.
HAD. Nondum iſta ſapere pacis ignavæ otia
Te deceat; alias Imperi noſtri ſalus
Curas repoſcit. *EUST.* Sceptra dum Cæſar geret,
Secura tanto nomine, alterius manu
Non indigebit Roma: ſi gratum hæc tamen

* Turbatur Euſtachius.

Præſta-

Præſtare poſthac dextera officium valet,
Nullos labores abnuo: imparidus ruam,
Quocumque tua me juſſa, quò Romæ ſalus,
Honoſve repetet.

SCENA III.

HADRIANUS, EUSTACHIUS, TRAJANA.

TRAJANA.

Tota feſtivo inſonat
Dum Roma fremitu, gaudii in partem ſine,
Trajana, Cæſar veniat; & partum recens
Tibi ſecundo Marte gratetur decus.
HAD. Cui læta partum Roma gratatur decus,
Gratare pariter: conjugem hic feſtus manet
Pompæ apparatus. *TRAJ.* Sic amat Cæſar, novis
Sic vetera cumulat dona. *HAD.* Sic gratus bene
Se prodat animus! Dum mihi Imperium aſſerit
Tuus ille ſponſus, ſe ſupra victor nihil
Niſi ſceptra linquit: refugit oblatum tamen
Triumphi honorem pertinax, una ſatis
Virtute felix. Sit mihi tecum hic labor,
Trajana, ſponſum flectere, hunc vince, obſecro;
Blandumque per Te diſcat imperium pati. *

* *Abit Hadrianus.*

SCENA IV.

EUSTACHIUS, TRAJANA.

TRAJANA.

Quæ ratio, Conjux, quis novus mentem obſidet
Mutatque ſenſus? Nempe quem defert bonus
Cæſar Triumphum, ſpernis? *EUST.* Hoc, conjux, rogas
Animæ latentis conſcia, & noſtros diu
Jam docta cultus? Scilicet pompam hanc ferat
Supremus ille rector & mundi arbiter,
Cui ſe tot annos noſtra devovit fides.
Egone ut profanæ gentis inviſum trahens
Sacrilegus agmen, ludrico immeritas Jovi,
Dum Chriſtus hoſtem vicit ac ſtravit ſolo,
Palmas dicari patiar? An cultu impio,
Quos ſum execratus uſque, venerabor Deos?
TRAJ. Felicitati ſic meæ æternùm invidet
Tuus ille Chriſtus! Nil tamen, Conjux, moror,
Quem tacitus imo pectore obſerves Deum.

At

At Chriſtianum cum mihi junxit virum
Hymenæus olim, tam-ne difficiles tulit
Deus ille leges, obſecro; ut nullam ampliùs
Nobis recludi ſineret ad honores viam?
Romana licuit conjugem exoſum Sacra
Deſerere; patrium reſpuit conſtans amor
Audirem morem. Nunc ubi illuxit dies,
Cum Tu ſuperbus oſtro & exuviis Ducum
Regumque ſpoliis, colla depreſſum jugo
Hoſtem ante currus trahere, cum dominam Imperi
Romam intueri genibus affuſam potes;
Reſiſtis! Obices nempe vanos & metus
Faciat inane Numen? O probrum! ò pudor!
Ten' iſta ſapere? Non ego, incuſans Deos,
Tædas jugales horrui, aut dici Tuam
Puduit, avitis quando te exutum bonis
Sors dura patrio turpiter pepulit ſolo;
Triſteſque juſſit quærere errantem plagas.
Te fida conjux interim afflictum, exulem
Miſerumque amavi: neſcium inflecti malis
Servavit ultro pectus abſenti fidem.
At te pudendas generis oblitum inclyti
Captare latebras, ſpernere oblatum decus
Cum video, talem fateor ærumnam pati
Pudet pigetque... *EUST.* Parce non meritis Virum
Onerare probris: vota cumulabo hæc tua,
Confide: fragiles, quos petis tanto ambitu,
Agam Triumphos: ibo, nil, Conjux, moror;
Explebo vani decoris accenſam ſitim.
Populi frementis inter effuſas manus,
Abominandum laurea vinctus caput,
Captabo plauſus: celſa Capitoli atria
Superabo: inanes, quando ſic placuit, Deum
Larvas, quibus plebs credula & ficti tenax
Nil profuturis obſequi ſtudiis amat,
Spectabo. Non ut thure mentitis velim
Litare Superis; tetra dum fient Sacra,
Et ipſe facti teſtis ac vindex probri
Hadrianus aderit; tunc ergo affixum Cruci,
Hominumque cauſa ſponte morientem Deum,
Palam exhibebo: quoſque maleſanus Jovi
Populus honores reddit, infrendens licet
Suos furores vertat in noſtrum caput,
Damnabo, & uni debitos Chriſto canam.
TRAJ. Quid loqueris? heu! quis, Sponſe, tam dira injicit
Conſilia? Quod tu facinus immane, efferum
Meditaris animo? *EUST.* Meditor id tandem exequi,
Quod ratio, quod Tu, Sponſa, quod dudum admonet,

Cujus

Cujus ſubactus hoſtis auſpicio, Deus.
Nam quid morarum eſt? quandiu imbellis premo,
Reſerare quod jam debui. Heu! quantus labor!
Dum, Chriſtianus intus, in ſpeciem probo
Fictos, ſilendo, pœne ſacrilegus Deos!
Huc me tot annos adigis: hunc pro te fero,
Conjux, laborem. Nunc tibi indultum eſt ſatis.
Ignavus ut ſim? Ponere his finem juvat
Dum tempus & res aperit optaris locum....
Ratum eſt triumphos agere: nunc demum ſciat,
Vel ſi inde doleat Roma, quam colimus fidem:
I, Sponſa; perge ad Cæſarem; atque iſthæc refert
Reſponſa; dic me, dic tua victum prece....
Hoc ipſe meliùs.... *TRAJ*. Siſte; quò, Conjux, ruis?
Quò te impotentem cœcus impellit furor?
Quæ me in pericla mittis? ... Ah ſi quid meum
Charum eſſe potuit! .... Ergo ſic divellimur?....
Vix te reviſo miſera... Quid tantum, obſecro,
Peccavit in te, Sponſa, quod crimen luit,
Quam ſic relinquis? ..... *EUST*. Fare, quid omiſſum arguis,
Tibi ut placerem? Quas-ve nimis uxorias
Deſcendi ad artes, ne tibi gravior foret
Materia luctus? Non me ut impenſi tamen
Pigeat laboris; gratia aut, Conjux, tua,
Perferre quiddam gravius etiamnum abnuam.
At cur, amori dum tuo nimiùm obſequens
Recludere animum parco; ſceleratam jubes
Comitare pompam, cujus aſpectu nocens
Fit ille, nomen qui ſuum Chriſto dedit?
Abſiſte; fruſtra es, Sponſa: parendum eſt Deo.
Vocem monentis intus agnoſco: increpat
Imbelle pectus: forſan & ſegnes moras
Dudum peroſus, vindicem in noſtras opes,
In liberos, in te, Uxor, extendit manum,
Ne deinde gravius aliquid iratus paret,
Eamus.... *TRAJ*. Heu! miſera quid, Conjux, agam?
Cui me relinquis? Si tibi errantem viam
Ingreſſa videor, dum peris, quis deviam
Revocare ſtudeat? Noſtra quem moveat ſalus,
Si te haud movebit? Potius ah! vive, obſecro;
Simulare perge: lucis hoc tecum exigam,
Quodcumque ſupereſt: robur exemplo dabis
Animoſque. Quis ſcit lætus an veniat dies,
Virtute quando pectus excitum nova
Præſtare, quod jam refugit, id demum audeat,
Eumque pariter colere, quem ſequeris Deum?
Ne ferre pigeat interim afflictis opem:
Miſereſce, Conjux.... *EUST*. * Timida quo virtus abis?

* Con-ſum.

TRAJ.

TRAJ. Dum moreris, ah! ne ſtimulet hic animum dolor;
Relicta ſibimet ſponſa, nec facti innocens
Eſt ſponſus. *EUST.* * Heu! *TRAJ.* Non ego infelix peto, * Serſum.
Ut ames amantem, quando vel amantem piget
Redamare; ſed ama, ſi Deum, Conjux, amas.
EUST. Abſiſte; ſatis eſt; vincis; & ſponte obſequor.
Conſilia reprimo, quando ſpe dubium erigis
Firmaſque pectus. Detur hic utinam brevi
Tot expetitus precibus & lacrymis dies,
Oblita vivas quo mei, & ſolus tuos
Habeat amores ille, qui meruit, Deus!
Latebo: ſed Tu Cæſarem inviſe ocyus.
Aut me Triumpho ſubtrahe; aut quis ſim, palam,
Quantum reſiſtas cumque, compertum dabo.

Finis Actus primi.

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

EUSTACHIUS, AGAPITUS, THEOPISTUS.

EUSTACHIUS.

Tentata, Amici, cuncta, promiſſis fides
Servata: vidi Cæſarem, & longùm inſtiti
Rogando, ne vos mole vinclorum graves
Duci ad Triumphum vellet, & pompam ſequi.
AGAP. O læta demum fata! nil ultra piget
Iniquioris perpeti Martis vices,
Dum probro utrumque ſolvis! *THEOP.* An quiſquam putet
Tam placidum in hoſte pectus, ut victos amet,
Etiam tueri? *EUST.* Credu'um quid, ſpe irrita
Lactatis animum? Vanus heu! cecidit labor!
Fruſtra rogavi: nil ab auguſta finit
Abeſſe Pompa Cæſar; & honorem hunc gradu
Primo reponit, ſi triumphales ovans
Vos ante currus colla depreſſos trahat.
AGAP. Ergo Triumphi præda, poſt tergum manus
Nodis revincti gravibus, indecores jocos
Dabimus protervo militi, & noſtrum audiet,
Oculiſque cernet orbis opprobrium ultimus?
THEOP. O ſpes inanes! ſic datam ſervas fidem?
Sic perficis promiſſa? *EUST.* Promiſſam fidem

Licuiſ-

Licuiſſet unitam ſolvere! Hoc animus dolet,
Quòd non ſecundos vota ſucceſſus habent.
At quando nullas Cæſar admittit preces,
Flectique renuit, redeat in mentem, necis
Pericula inter media & hoſtiles globos
Quales ſtetiſtis! Pectus in domitum malis
Revocate. *AGAP.* Quem Tu, fare, virtuti facis
Locum exerendæ, mole dum turpi gemet
Attrita cervix? *EUST.* Plurimùm, ut conſtet ſibi
Afflicta virtus, laudis invito capit
Vel ab hoſte. Nam quid hic tot Heroum juvat
Memorare facta, clade quos ſimili obrutos
Opprobria nulla, nullus infregit dolor?
Illa, illa trepidum pectus exempla excitent.
AGAP. Exempla utrique ſi qua jam libeat ſequi,
Hæc ſola placeant; unde ſuccenſum nova
Virtute pectus dedecus morte occupet.
EUST. Tamne impotentes, creditis, ſenſus probet
Deus ille veſter? Sapere nil tumidum ſolent
Quicunque Chriſti nomen & leges colunt.
Videas ubique decòris oblitos ſui
Media inter alacres & triumphantes probra.
AGAP. Ah! ſimilis utinam cauſa vinclorum foret,
Idem & periclum! Non ego indigna prece,
Lacrymiſque madidus ora, ſervilem in modum
Vel deprecarer probra, vel fortis graves
Caſus dolerem. Conſcium teſtor Polum,
Graviora fuerit dulce pro Chriſto pati!
At me Triumphi Cæſar inviſi aſſeclam
Trahat ante currus; vinculis iterum manus
Mutatus oneret! Potius ah! mortem inferat!
Feram æquiùs; non abnuam.:.. Quò me invida
Sors adigis! Eheu! parce, maleſanus rapit
Dolor impotentem.... *THEOP.* Tantus huc recidet favor
Pietaſque, qua Tu, noſtra miſeratus mala,
Pollicitus ultro es rebus afflictis opem?
Promiſſa cur non perficis? vel cur dabas?
Ah! cœpta perage: ne piam rurſus manum
Tuliſſe pigeat. Nempe Victorem abnuat
Audire Cæſar? Quod potes, quod non potes,
Aggredere: magna forte ſi Victi audeant
Rogare, ſpes heu! credulas conſtans amor
Oſtentat: aut amare debueras minùs,
Aut non amaſti, utrumque niſi probro eximis.
EUST. Iterum reviſo Cæſarem; &, ſi me audiet,
Si quid valebit gratia, impendam,

SCE-

Digitized by Google

SCENA II.

AGAPITUS, THEOPISTUS.

AGAPITUS.

Vides,
Sic nos amabat, Frater? Hic demum exitus,
Hæc ſpes, Amicis quam dabat, ſortis bonæ!
THEOP. Malè ominari parce: cur animum abjicis?
Meliora, Frater: fortè placatus modò,
Quas repulit ante, Cæſar admittet preces.
AGAP. Ambos amicis, ſentio, illudit dolis:
Simulata loquitur. Scilicet turpem, putas,
Ferret repulſam, ſi, quod utique imminet,
Arcere precibus triſte voluiſſet malum?
Ad quæ reſervor? Siccine inviſæ caput
Subtrahere pompæ non queam? Heu! quantam ſinu
Plagam ſub alto ſævus infligit dolor!
THEOP. Agnoſco, Frater, quam ſit impatiens probri,
Cuicumque ſanguis melior in venis micat.
Pudet ſubire triſte Victoris jugum,
Et iniqua ferre vincla? Quas refugis vices,
Refugio & ipſe pariter: at gravior tamen
Animum remordet cura. *AGAP.* Dum victos parat
Nos pone currum trahere, num gravior poteſt
Materia luctus eſſe? *THEOP.* Chriſticolis poteſt,
Scis ipſe, Frater; ille quem teneris Deum
Colimus ab annis, impium ex æquo objicit,
Et qui profano polluit cultu fidem;
Et qui profanum, dum ſilet, cultum approbat.
Tun' ergo facinus iſtud à culpa eximis,
Inſanientis ambo ſi populi manum
Viles ſequamur aſſeclæ? An propiùs licet
Spectare pompam, monſtra quæ Superum colit,
Vetitoque fictum thure dignatur Jovem?
AGAP. Ritus nefandos, Frater, ò utinam procul
Fugiſſe liceat! ſed reluctantes Jovis
Trahimur ad aras. *THEOP.* Quid vetat ſaltem impia
Abominari Sacra, & infames Deos
Palam execrari? Sæpe Chriſtiadum manu
Simulacra templis eruta, & verſas Deum
Didicimus aras, dum timent viſu tenus
Maculare Chriſti in jura tranſmiſſum caput.
Exempla, Frater, iſta, ni pigeat mori,
Quid facere deceat cardine hoc rerum docent.
AGAP. An vita tanti eſt, Frater? Hanc Chriſtus dedit;

Digitized by Google

Litandum eadem. Sed age; dum collum graves
Prement catenæ, vincla dum ſtringent manus,
Denſuſque utrinque miles excubias aget,
Quid ipſa virtus audeat? *THEOP.* Segnes moras
Ergo amputemus: liberis quid non licet?
Pompæ apparatus impiæ, effigies Deum
Sternamus: Ipſe Jupiter ſolio cadat,
Spectante Roma. Noſtra cum ſe ſe palam
Odia explicabunt; cum laceſſemus Deos
Chriſtum profeſſi; Cæſar id veritus, Sacra
Ne ſimilis inter media prorumpat furor,
Et triſte feſtum turbet augurium diem;
Pompam vetabit nos triumphalem ſequi;
Spretique cultus ultor in nos ſæviens,
Pulchra paratum morte mutabit probrum.
Subit ecce Cæſar, inde referamus pedem.
AGAP. Quocumque tandem fata ſe vertant, lubens
Te ſequor. Ab alto, Chriſte conſiliis ſave.

SCENA III.

HADRIANUS, PROCULUS, THEODORUS, MILITES *cum Coronis in Præludium Triumphi.*

HADRIANUS.

ABſiſte, Procule; plura nequicquam afferas,
Reum unde tanti ſceleris Euſtachium probes.
Agnoſco veteres, nondum & extinctas bene,
Queis ſe impetitum doluit, odiorum faces.
At nota virtus: qui virum talem arguet,
Ne facere dubiam levibus indiciis fidem
Confidat. *PROC.* Et nos inclytum, ut par eſt, Virum
Duplicique palma nobilem, obſequio & fide
Colimus: & æſtus inter armorum graves
Dedimus amicam rebus in dubiis opem.
Si quando turmis fecit inviſum Ducem
Inimica ſuperis Sancta; ſi lævi ominis
Metuens negavit miles imperium ſequi;
Turbis premendis noſter incubuit labor,
Et ſolita per nos manſit in caſtris quies.
Hinc ſi qua fortè ſemina odiorum eruis,
Silere præſtat, Cæſar; & inultos pati,
Quos eſſe nullos credit Euſtachius Deos:
Sin victus hoſtis ſcelere Victorem eximit,
Tuoque jam ſons eſſe judicio nequit;
Tuum imperare eſt; nemo damnare audeat
Quem Cæſar eſſe ſalvum & incolumem velit.

HAD.

HAD. Quid Roma victrix debeat tanto Duci,
Scio, & rependam: non tamen ſcelus ut velim
Fovere, vel quam jurejurando dedi
Superis, inultus patiar abrumpi fidem.
At quo revincis teſte quod loqueris nefas?
PROC. Utinam lateret, quod reluctantes ſcelus
Arguimus! Urbe miles in tota ferit
Quod vidit ipſe; quodque deflevit malum.
Quas orbe toto vile Chriſtiadum in genus
Decernis æquus ultor, Euſtachius vetat
Exigere pœnas, imo & abſolvit reos.
Si quando Sectæ cultor infandæ nocens
Captivus ad nos trahitur, hunc blandè excipit,
Nec eſſe ritus impii hortator timet.
Non ille patrios thure venerari Deos,
Non templa obire noſtra, nec, ſi quid grave
Fors incidiſſet, operis incerti auſpices
Conſulere Superos. *HAD.* Hoccine ut verum rear,
Theodore? *THEOD.* In iſtis terere quid tempus juvat?
Sedere curru dum triumphali abnuit,
Palam revincit, quem Deum Euſtachius colat.
Nec enim modeſtus ſuaſit oblatos pudor
Reſpuere honores: Nempe, quos odit male
Obire cultus refugit, & partam Jovi
Referre palmam. Si tamen dubitas adhuc,
Totuſque nondum patuit Euſtachius ſatis;
Nunc experire Cæſar ingenium Viri,
Imoque tacitos corde quos ſenſus tegit.
Sacra Tonanti laurea frontem jube
Victor coronet; cumque perſolves Deis
Solitos honores, ipſe non abſit Sacris.
HAD. Affer Coronas, miles. * Euſtachium mone,
Mihi laureatus adſit ad pompam comes.
* Tu, dic & iſtis cæteri ornentur Duces.

* *Ad Theodorum.*

* *Ad Proculum.*

SCENA IV.

HADRIANUS.

ID eſſe credam? Patria deſpiciat Sacra
Euſtachius? hoſtes foveat Imperii & Deum?
Quid anime dubites? Video ſimulatus pudor
Quò pertineret, dum triumphales negat
Capitoli ad arcem ponere exuvias Jovi.
Quamquam innocentem temere damnamus virum
Plus forte juſto creduli. Illæſam hactenus
Diſcrimina inter varia ſervavit fidem:
Paulùm opperiri decuit.

SCENA V.

HADRIANUS, PROCULUS, THEODORUS, MILITES.

THEODORUS.

AH! Cæſar! *HAD.* Quid eſt,
Theodore? *PROC.* Superi! *HAD.* Fare; quas nectis moras
Abrumpe. *THEOD.* Dirum facinus, immane, efferum!
HAD. Quod facinus inquis? *THEOD.* Ambo præcipitem gradum,
Quò juſſa tua nos & amor obſequii vocant,
Dum ferimus; ecce vinculis per te eruti
Uterque Juvenis mente furiata advolant;
(Horreſco referens, Cæſar) &, facto impetu,
Rapiunt nefandis manibus, & ſacras terunt
Pedibus Coronas! *HAD.* Furere ſic Capti audeant?
THEOD. At non, teneri neſcia, hìc rabies ſtetit.
HAD. Etiamne, Superi, creſcat ulteriùs nefas?
THEOD. Fecere gravius aliquid: opprobriis petunt
Verenda Divum Numina: &, voce impia,
Abjicite vana decora; ſacrilego, inquiunt,
Cultu abſtinete: parcite imperitos Jovi
Tribuere honores, jure quos repetit ſuo,
Meruitque ſolus capere Chriſtiadum Deus.
HAD. Vincla eximebam, perfidi has reddunt vices!
Uterque jam jam ſceleris ultorem ſciet.
Sed unde ſubito tantus erupit furor?
PROC. Tanti furoris nempe, turbarum & caput
Euſtachius; hoſtes qui Deum impenſus fovet.
Scis ipſe, quanto viſus utrumque ambitu
Jactare ſolers: qua ſit enixus prece,
Devota turpi capita ut eximeret probro.
Sic furere Juvenes; ore ſic ſoliti impio
Appetere Superos, ſcelera dum tacitus probat
Exoſus ipſe pariter Euſtachius Deos.
HAD. Memorare plura deſine: obſcurum nihil,
Patuere cuncta ... Cur mihi victor redis
Vel cur ſceleſtus, Euſtachi? Ulciſci ratum eſt.
* *Secum.* * Tamen hæret animus, & viri aſpectum fugit,
Per quem ſubactus hoſtis, & Romæ ſalus
Aſſerta .... Nam quid cardine hoc rerum ſequar?
Sponſam evocemus; inde ſcrutari placet;
Fors ſi qua dabitur per tot ambages via.
Huc ocyus, Theodore, Trajanam voca.

SCENA VI.

HADRIANUS, PROCULUS, MILITES.

HADRIANUS.

* ONerate vinclis, carcere & cœco abdite ** Ad Milites.*
Scelerata capita. Procule, ſit tecum hic labor.
PROC. Mandata peragam. *HAD.* Non mihi ut Captos modo,
Sed ut rebelles, impios, hoſtes Deum
Ambos haberi placuit. *PROC.* His animis Deos,
Cæſar, tueri perge: quamprimum malo
Medere: latè gliſcit, offenſi trahens
In nos Tonantis odia. In inſontes cadit
Cives nocentum culpa, ſi pœna caret:
Iram anteverte Numinum. *HAD.* Hortatu nihil
Indigeo: patrios quiſquis haud metuit Deos,
Sceleris nefandi vindicem agnoſcet manum.

SCENA VII.

HADRIANUS, TRAJANA, PROCULUS, THEODORUS, MILITES.

THEODORUS.

QUod imperaſti, Cæſar, huc infert gradum
Trajana. *HAD.* * Fidas carceri excubias loca ** Ad Proculum.*
Mox aderit ultor. Interim quales decet
Statuere pœnas, morte quâ plectam reos,
Expendo. *PROC.* Ad omne promptus obſequium feror.
HAD. * Abſcede pariter, & procul remove arbitros. ** Ad Theodorum.*

SCENA VIII.

HADRIANUS, TRAJANA.

HADRIANUS.

QUo ſis mihi, quo ſemper & fueris loco,
Trajana, noſti. Merita te pridem inclyta,
Te ſanguis idem qui mihi tecum fluit,
Te generis olim ſplendor & columen tui
Trajanus, orbem paribus imperiis dedit
Qui regere, memet Cæſarum adciſſens gradu,
Faciunt verendam pariter & amandam. *TRAJ.* Scio:
Cur nota loqueris, Cæſar? Impenſus favor

Meritum omne vicit... Sed age, num memorem parum
Arguis? *HAD.* Amicam ſenſit & Sponſus manum;
Longaſque triſtis exili vidit moras
Per me amputari. Redditus tandem ſuis
Eundem in Aula, quem priùs, tenuit gradum:
Interque reliquos nactus imperium Duces,
Quos tacitus ægros interim urebat dolor,
Facilem recluſit laudis hodiernæ viam.
Sed vetera memoro. Vix triumphato redux
Ab hoſte, læto Marte pugnatum docet;
Excita per me Roma ſolemnem inſtruit
Ubique pompam, ruere Victori obviam
Parata, currus & triumphales ſequi.
Sprevit Triumphum pertinax; ſilui tamen,
Et adhuc ſilerem, dira Chriſtiadum Sacra
Ni coleret, eadem te niſi inficeret lues.
TRAJ. Et iſta credis, Cæſar? Atteſtor Deos;
Ut ſceleris expers animus, & conſtans ſibi
Peregrina refugit Numina, atque unum colit
Cœlo tremendum pariter ac terris Jovem.
HAD. Omitte plura: certa jutanti fides
Debetur. An tu conjugem culpa eximis?
Certamne faciet ipſe juratus fidem?
TRAJ. Fidelis uſque Cæſari, an Superis poteſt
Eſſe infidelis? *HAD.* Nil ego optarim magis,
Quàm ne qua cultus impii ſponſum lues
Afflarit: at non levia ſuſpectum arguunt
Indicia: Noſtros fertur exoſus Deos
Peregrina colere Numina, & Chriſti aſſeclas,
Cum luere pœnas decuit inviſum genus,
Opibus fovere, gratia, officiis.... *TRAJ.* Piget
Veteres querelas, Cæſar, & rurſum malas
Refellere artes, quæ mihi Sponſum invident.
Ergone levior hactenus miſeræ incidit
Materia luctus? An erit æterni ſeges
Doloris? *HAD.* Ecquem Tu mihi luctum occinis,
Trajana? Sponſus ſi tuus culpa vacat,
Falſi revincat ipſe rumores malos,
Litando Superis. *TRAJ.* Hoſtis attritus ſemel
Iterumque, Cæſar; Dacia imperio addita,
Domiti rebelles, parta Victoris manu
Populis ſalus, & orbe pacato quies,
An non refellunt iſta rumores ſatis,
Quos odia pariunt, livor odiorum comes
Incendit? *HAD.* Hoſtis ſacret exuvias Jovi;
Sic dira vincet odia, livorem premet.
TRAJ. Heu! quò ferar miſeranda? Nil ergo eſt ſuper?
Non pandit aliam Cæſar, aut monſtrat viam?

Ali-

Aliqua unde Sponſo veniat & Sponſæ ſalus?
HAD. Imo: Quadrigis arduus ſe ſe ferat
Sacras ad arces Victor; hinc probrum æmulis,
Sibi ſuiſque pariter æternum decus.
TRAJ. Spes blandus alias injice, aut nullas facis.
Nam quid jubes? .... Occidimus! ... Ah! per, ſi meum
Tibi dulce quondam quid fuit, per, te hos, precor,
Quos fletibus perfundo ſuppliciter pedes,
Miſereſce, Cæſar.... Conjugi veniam peto,
Veniam benignus annue: abſcondam nihil,
Scelus omne retegam... Tu mihi ſemper bonus,
(Nam cur viciſſim & ipſa non recolam, tuus
Quàm certus in me fuerit & conſtans amor?)
Tu ſpes mihi, Tu rebus everſis ſalus.
Heu! longiores exili increpitans moras,
Afflicta quoties in tuum effudi ſinum
Meos dolores? Sæpe ſolamen dabat
Noſtriſque, memini, Cæſar indoluit malis.
Nunc dum beato perfrui aſpectu licet,
Felicitatis auctor, an Sponſæ impius
Sponſum revellas? Qui meis lacrymis modum
Ponebat, ille flere me æternum velit?
Siles? ... Et ora flectis? .... An patiens feret?
Nihil dolebit Roma Victorem eripi?
Aut nil timebit deinde, ſi excutiens jugum
Rurſum Hoſtis arma moveat? At, ni te piget
Meminiſſe, Cæſar; cum rebelles perſequi
Bello pararet, dixit, incuſans Deos,
Trajanus olim; *Quæ mihi Euſtachium plaga*
Tenet exulantem? ... Sed quid inſipiens loquor?
Ignoſce: populos donec imperio reges,
Quid Roma, Cæſar, metuat? Hoc unum rogo,
Ecquid juvabit, quidve promoveas, Virum
Si perdis unum? Num Deum cultus perit,
Si creſcat uno turba Chriſtiadum Viro?
Parce ergo, vel ſi Conjugi mortem irrogas,
Et me jube perire. *HAD.* Quod Sponſo petis,
Utinam annuiſſe liceat! At notum eſt ſcelus
Ubique: Populus, Miles Euſtachium canunt
Proſcripta colere Sacra. Jam veniam dare
Non eſt meum: Nec Cæſar, ut multùm velit,
Subtrahere meritæ Conjugem poſſit neci;
Ni plebis ante murmur inviſum obruat,
Suoque inuſtum nomini abſtergat probrum.
TRAJ. Dum nec Triumphos imperes, nec thus Deis
Adolere jubeas; quod voles cumque, exige:
Præſto obſequentem. *HAD.* Quod petis per me obtines.
At cum tumultus cauſa turbarum & caput

Juvenis uterque fuerit, & noſtros palam
Contaminarit ore ſacrilego Deos:
Spectante Roma, Judicis partes agat,
Et ambo capite damnet Euſtachius, volo.
Parebit? *TRAJ.* Hinc me, Cæſar, ad Sponſum ſuo.

Finis Actus ſecundi.

ACTUS III.

SCENA PRIMA.

EUSTACHIUS, TRAJANA.

EUSTACHIUS.

QUid me fatigas tandiu indigna prece?
Abſiſte Conjux: nil agis ... Nam quid jubes?
In Chriſtianos ipſe, dum Chriſtum ſequor,
Ferar ut ſceleſtus? Ipſe ut addicam neſci,
Quos & decet fovere, cum quibus & mori
Deceret? An me crimen infandum aggredi
Patereris, æqui cultor ac vindex Deus?
Non ergo viſum eſt ſceleris admiſſum ſatis,
Sceleratus ut ſim, dum tibi nimium obſequens
Chriſtum latentem pectore ignavus premo,
Ni parricidæ nomen inviſum feram?
TRAJ. Quid monſtra fingis iſta? Quid inanes metus
Animum remordent? *EUST.* Superi! an inanes metus,
Et monſtra fingo, cum pium refugit manus
Fundere cruorem? *TRAJ.* Non ego, ut fundas pium
Peto cruorem. Conſcium atteſtor polum,
Tam dira in iſto pectore haud arſit ſitis!
Obſequere tantùm Cæſari; &, qui te malus
Urit nocentem, ſcrupulum populo exime.
Permitte nobis reliqua; quid poſſim, ſcio.
Aut me rogante Cæſar abſolvet reos;
Aut ſi repugnet durus, evadent necens,
Certamque per me ſoſpites capient fugam.
EUST. Quò, quò iſta vertant: turpis inficiet nota
Meum uſque nomen; ſtimulus hic animum fodet:
Tu, Chriſtianos, ne videreris nocens,
Per te ſtetiſſet, victus imbelli metu
Letho dediſſes! Dedecus nunquam feram
Tantum imputari, Sponſa. Tu parce, ah! precor,
Periculoſas tendere inſidias Viro.

Abſiſte

Abſcede. *TRAJ.* Cur ſic verba detorques mea?
Dum ſæva miſeros fata, quæ Juvenes manent
Arcere meditor, &, piam implorans opem
Te fida Conjux operis in partem voco,
Periculoſas, inquis, inſidias paro.
Ten' hæc decet ſentire, ten' decet & loqui?
EUST. * Stimulis utrinque paribus incertus feror!
Quid agam? *TRAJ.* Siles! Ah! ſi qua Te pietas movet,
Juveneſque letho proximos, Conjux, amas;
(Nec amare nequeas, quos fides eadem, & Deus
Tibi jungit idem) veniat in mentem, obſecro,
Nil eſſe miſeris unde contingat ſalus,
Ni Cognitoris ipſe fungaris vicem;
Et innocentem, quam ſtruo, fraudem adjuves.
Sic ego nocentum capita ſubducam neci:
Sic tu obſecutus Cæſari iras & metus,
Populique turbas, odia, livorem eruis.
Sic ſoſpes ipſe, poſt tot ærumnas graves,
Sponſam jacentem reficis, & luctus levas.
EUST. Adeſſe Proceres, Sponſa, cum Vinctis mone.

* *Seorſum.*

SCENA II.

EUSTACHIUS.

Miſeranda Conjux! Doleo quas pateris vices.
Miſeranda Conjux! Credulam nam cur amas
Lactare mentem? Credis infractum metu
Domuiſſe pectus? Pectus ah! notum eſt male,
Trajana! Chriſti cauſa quos ſontes facit,
Videbo: non ut facinus egregium exprobrem;
Vel iniquus ultor judicem dignum nece.
Ad quæ reſervor? Per quot ambages tego,
Prodire quod jam decuit arcanum palam?
Exſurge, Numen, rumpe latebrarum obices,
Dum tempus, & res ipſa conſiliis favet.
Mox teſtis aderit Aula .... Quò rapis, ò Deus!
Sequor! vel in me Cæſar iratus fremat;
Dilectæ Chriſto capita, nos eadem manent
Periculorum fata; vobiſcum ratum eſt
Idem ſubire mortis aut vitæ genus ....
Quanquam ſuine ſimilis & conſtans ſibi
Juvenilis animus ſtabit adverſum minas;
Nullumve pœnæ metuet aut lethi gradum?
Juventa fortes impetus primos habet:
Præſens periclum ſpiritus magnos premit.
Quo robur animi, quo ſit & pietas loco,
Juvat experiri. Dubia ſi virtus tremat,

Quovis

Quovis redemptam pignore ambobus fugam
Paremus. At ſi, quod Deus faxit, precor,
Intrepida pietas neſcit ignavos metus;
Adero pericli ſocius & mortis comes.
Subit ecce turba .... Chriſte, qui noſtra inſpicis
Conſilia, fer opem, & magna tentantem adjuva.

SCENA III.

EUSTACHIUS, AGAPITUS, THEOPISTUS *vincti*, PROCULUS, THEODORUS, AULICORUM TURBA, MILITES.

EUSTACHIUS.

ADeſte, Proceres. *PROC.* Jam tibi allatum puto,
Dux Magne, quantus arſerit Juvenum furor;
Contempta nam quid ſacra, quid memorem ſolo
Calcata Pompæ decora; quid (dirum nefas!)
Onerata probris Numina infandis loquar?
Quantum iſta per ſe ſceleris impietas trahat,
Contage quantùm noceat in vulgus, piget,
Quod me tacente cernis, incaſſum exequi.
THEOD. Sic ergo. Victis furere, ſic Sacra & Deos
Spreviſſe liceat? Hoc genus ſcelerum novum eſt;
At ſolita genti ſcelera, quæ ritu impio
Hominem pudendo ſtipiti affixum colit.
Ni prompta grande pœna flagitium arceat;
Serò venit medela, cum crevit malum.
Proin dignus ultor merita, quæ ſontes luant,
Supplicia ſtatue: Cæſar hoc repetit, jubent
Violata Superum jura. *EUST.* Quid tantum impulit
Audere facinus? Cæſar has meruit vices,
Devota turpi colla dum ſolvit jugo?
An ſic Triumphi lauream, egregium decus,
Calcare licuit? Ita-ne honoratis Deum,
Cui ſervit orbis, cujus auſpiciis potens
Stat Roma? Per quem Cæſares domitos tenent
Sub lege populos? Agite: num prohibet loqui
Pudor, dolorve ſceleris? *AGAP.* Haud facti pudet,
Dux Magne, nec dolere nos etiam decet.
Quod jura belli triſtia obſequium exigunt,
Deferimus ultro Cæſari; promptos habet
Facere imperata: quin nec ingratum arguat
In utroque pectus, fata ſi dederint locum.
At nil iniquum poſtulet; parcat Deos
Nobis inanes canere, qui toto unicum
Regnantem in orbe ſcimus ac Cœlo Deum.

THEOP.

THEOP. Hæc una ſontes cauſa me & fratrem gravat,
Dux Magne; quidquid objici ulteriùs poteſt,
Factum negamus. Si tamen meruit mori,
Qui veſtra ſpernit Numina & Chriſtum colit;
Nihil moramur: Te penes vitæ ac necis
Jus omne: quodvis ſtatue; diſcerpi jube,
Lacera, perure, diſtrahe, in partes ſeca;
Non aliud unquam pectore ex noſtro auferes.
PROC. Viden' ut ſuperbo deſpicit faſtu minas,
Noviſque primum ſceleribus cumulat nefas.
Exoſa Superis ſecta, ſceleratum genus?
Spreviſſe juſſa Cæſarum, indignis Deos
Maculaſſe probris; Jura violaſſe omnia
Parum eſt, niſi & tot facinorum laudem ambiant.
Quid deinde ſupereſt? Summa nequitiæ attigit,
Quem non pudor metuſve poſt culpam movet.
AGAP. Sit uſque pœna conſciæ mentis comes
Pudor, metuſve: ſcelere ſed quiſquis vacat,
Non hunc pudor, trepiduſve percellit metus.
THEOD. Etiam ſceleſtis umbra virtutis placet;
Et erudita fraude diſſimulant nefas
Male pertinaces! Gentis ingenium ferox,
Dux Magne; flecti ſi nequit, frangi poteſt.
Proin admonere deſine: incaſſum prece,
Vel ſaniori regere conſilio truces
Tentabis animos: alia jam tela admove.
Quod nec preces, nec ullus extorſit metus,
Inflictus altè meliùs excutiet dolor,
Tumidoſque reprimet ſpiritus. *THEOP.* Mortem inſuper
Adjice, nocentes perde: non refugit necem,
Quiſquis laceſſit. *EUST.* Sic timor nullus quatit?
Sic efferatos ruere in exitium placet?
Utriuſque ſorte moveor. Ah! vobis, precor,
Conſulite melius: certa, ſi facti piget,
Parata venia eſt. Cæſar hoc unum exigit,
Chriſtum exuatis. *AGAP.* Pectus ut noſtrum queat
Chriſtum exuiſſe, Cæſar hoc jubeat: priùs
Proprios in artus impiam armemus manum;
Laceremus ante pectora, ubi primo dedit
Geſtare ab ortu nobiles Chriſti notas
Pietas parentum. *EUST.* Quantus infauſtos manet
Luctus parentes, ſobolis opprobrium ſuæ
Triſteſque caſus orbe cum extremo audient!
THEOP. Fruſtra parentes obicis: heu! nunquam eſt datum
Vel noſſe, vel vidiſſe! Dilecti afforent
Utinam parentes! gaudii hoc ſummum, reor,
Decoriſque fuerit, ſponte ſi videant probrum
Chriſti ferentes ergo, & invictos malis

Invadere ultro funera haud pavidos mori.
Haud vana loquimur; mentis indicium ſuæ,
Gerimus uterque pectori impreſſam Crucem.
** Turbatur, ſurgit e Tribunali.* *EUST.* * Superi! Quis aures pepulit attonitas ſonus?
Oculoſne blandus ludit incautos ſopor?
Seorſum. Dubitare parce: frontis hæc ſpecies fuit:
Agnoſco vultus, & parem ætatis modum.
Ac ne ſuperſit ullus errori locus,
Hanc ipſe proli genitor impreſſi Crucem.
** Ad Proceres.* * Maturioris conſili poſcit moram,
Nec tam frequenti debet agitari loco
Res iſta, proceres. Spiritus altos facit
Conſpectus ille veſter, & robur novum
Inſpirat animis: cedere infractos piget,
Ubi tot ora, tot ſui metuunt probri
Habere teſtes. Pauca privatim loquar;
Si ſaniora forte conſilia audient.
Trajana veniat, Miles extemplo mone.

SCENA IV.

EUSTACHIUS, AGAPITUS, THEOPISTUS.

AGAPITUS.

Quid læta differs fata? Non patuit ſatis,
Quantùm execremur ambo, quos facitis, Deos?
Quid poſcis ultra? Statue, quam libitum eſt, necem,
Dux Magne. Noſtro fervet impatiens ſinu
Totus profundi ſanguis, & ſegnes moras
Incuſat .... Age: quid retinet ancipitem manum?
Petit ultionem Cæſar, & mortem imperat:
Obſequere, miſeros perde. Sic avidum bene
Pectus cruore ſatiet & diram ſitim,
Quemcumque ſtimulat dirus in Chriſtum furor!
** Seorſum.* *EUST.* * Generoſas ſoboles! *THEOP.* Affatim impenſus favor,
Dux Magne, amorque: ſcelere te noſtro implicas,
Dum deſtinatos, qua potes, letho eripis.
Abſiſte. Tuque ò, dum mori pro te juvat,
Si quid precari, Chriſte, morituris licet,
Repende, tantus quas amor meruit, vices.

SCE-

SCENA V.

EUSTACHIUS, TRAJANA, AGAPITUS, THEOPISTUS

EUSTACHIUS.

ADes huc: & ultra, parce ne incuſes Virum.
Quod poſtulare pergis, id tandem exequor;
Plectam nocentes. Sed age, quod lethi placet
Genus irrogari? Te velim cauſæ arbitram:
Eloquere. *TRAJ.* Quod tu cumque judicium feras,
Ne metue, Conjux: jam meam aſtrinxi fidem.
Utrumque ſalvum præſto: vel noſtrum in caput,
Si quam minantur fata, tempeſtas ruet.
EUST. Bene eſt: ſed ante vota quàm cumulem tua,
Tecum iſta perage, cogita, expende, & diu
Animo revolve. Quam reluctanti exprimis
Vocem nefandam, barbaram, immanem, impiam;
Illa, illa proprios, Uxor, in natos cadet.
TRAJ. Vigilone?.... Natos intueor?... Verum id rear,
O Sponſe? *AGAP.* Frater! *TRAJ.* Quas mihi ambages canis?
Aperta loquere ...., Nam quid .... *EUST.* Ambiguum hic nihil,
Comperta loquimur. Sunt mei, ſunt & tui,
Trajana: Chriſti teſſeram agnovi Crucem,
Hac utriuſque pectori impreſſam manu
Teneris ſub annis. Heu! mihi natos Deus
Poſtquam abſtuliſſet; illa reſtabat ſuper
Spes una luctus. Forte, dicebam in ſinu,
Lux illa veniet, quando Chriſtiadum fidem,
Ad iſta uterque ſigna, quæ membris gerunt,
Ultro ſequantur! Vota ſuperavit Deus!
Adeſte, Nati, junge complexus prior,
Tu, quem priorem lætus excepi pater,
Agapite. Tuque pariter in noſtum involaٍ.
Theopiſte, pectus. Nomina hæc genitor ſacro
Olim expiatis flumine ambobus dedit.
AGAP. O lux beata, Frater! ò noſtris diu
Petita lacrymis hora, quæ natis patrem,
Natos parenti reddit. *THEOP.* O ſortem bonam!
Fas intueri, fas & amplecti patrem,
Qui noſſe Chriſtum docuit, & Chriſtum ſequi!
EUST. Ut me iſte reficit animus! ut virtus placet!
Dilecta ſoboles, cordis interpres mei
Bene æſtimabas, gaudii hanc ſummam fore.
Laudiſque partem, ſi laceſſentes necem
Natos videret genitor, & fata aſpera
Pro te ſubire, Chriſte, nil timidos mori!

TRAJA. Cur dira memoras funera? An nondum ſatis
Hucuſque luctus? Ne malo lætam omine
Diem fatiga .... Sed quid; ò Nati, moræ eſt?
Num ſola veſtro careat amplexu parens?
Accedite ambo: noſtra nunc ſe ſe explicent,
Per tot dolores, per tot ærumnas graves
Redempta tandem gaudia! Heu! quis te malus
Ludebat error, & futuri neſciam
Mentem auferebat, miſera; cum triſtem fugam
Utriuſque dulci mater addebas lucro!
AGAP. Ne læta doleas fata: quos una arguit
Chriſti nocentes cauſa, nec triſtem fugam;
Nec triſtiorem mortis aſpectum timent.
THEOP. Tuus, ò pater, ſiviſſet indulgens amor,
Sibi jam haberet, Cæſare irato, Deus
Geminam in utroque victimam! *EUST.* O pulchram indolem!
Me tanta virtus, tantus exſtimulat vigor!
Pudet mei me! Num vacat, ne ſim reus,
Si fingere ultra libeat? .... Obſtrinxi fidem:
Juvat ire .... Nati, dedecus noſtrum eluet
Lux iſta. *AGAP.* Nam quo? *EUST.* Ad Cæſarem. *AGAP.* Ah! tecum ibimus,
Dilecte genitor. *THEOP.* Si mori votum eſt, pater,
Eadem ſequemur fata. *TRAJ.* Quo cœcus furor
Rapit impotentes?.... Conjugem afflictam aſpice,
Miſereſce, Conjux!.... Heu! fugit!.... Nati, obſecro,
Lacrymas parentis cernite!.... Incaſſum eſt, preces
Lacrymaſque temnunt!

SCENA VI.

TRAJANA.

Efferi, intractabiles!
At cur dolemus?.... Occidant! non ſunt mei.
Natos nego; Sponſum abdico, ejuro, execror....
Quanquam quid ajo? Sponſus & nati occidant?
Hoc mater, hoc ferat uxor! Ah! demens dolor
Meliora loquere! ...... Sceleris admiſſum eſt nihil,
Scelus anteverte, ſi potes; ſi non potes,
Veniam roganti Cæſar, aut mortem dabit.

Finis Actus tertii.

ACTUS

ACTUS IV.

SCENA PRIMA.

HADRIANUS, PROCULUS, THEODORUS, MILITES.

HADRIANUS.

Theodore, verum loqueris? *THEOD.* Heu! verum nimis,
Auguſte Cæſar! manibus ereptos habet
Servatque Juvenes: facinus indignum horruit
Accita Procerum turba; quin tota fremens
In Urbe miles poſcit ultricem manum.
HADR. Confide: mox, qua deceat, ulciſcar nefas.
Ratum nocentes perdere .... Ah! nimium hactenus
Datum eſt amori! Perfide, ingratum caput;
Sic merita penſas, Euſtachi? Infidum Deis
Et perduellem noveram: ſilui tamen.
Tacitum premebam ſcelus; & errori obſequens
Unum rogabam, vellet ut, ſpecie tenus,
Superis litare, moris admiſſi tenax
Suique ſimilis intus: obſequium abnuit.
Volui Triumphos ageret; hoc etiam obſtinat
Negare. Longa denique victus prece
Tantum exigebam, ſanguine ut Juvenum impio
Culpam expiaret, atque rumores malos,
Qui diſſipantur urbe turbaſque excitant,
Hac temperaret arte; nequicquam omnia.
En pertinaci mente, nil veritus Deos
Chriſtum ambit unum: gratiam, officium impiis,
Quos ad cruentas juſſeram pœnas trahi,
Impendere audet affatim! Hanc ſponſi fidem
Jactabat uxor? Sentio, indultum eſt nimis!
Urgenda res eſt .... Capite flagitium luat
Uterque Juvenis, Procule: nec juſſis moras
Confidat ullus addere. Ordiri hinc placet.
Tu perge, Miles, & mihi Euſtachium erue.
Unde, lateat. *PROC.* Portat huc celerem gradum
Trajana, lacrymis ora ſupplicibus rigat.
HADR. * Reſiſte, mea dum juſſa ſe rurſum explicent.

* *Ad Proculum.*

SCENA II.

HADRIANUS, TRAJANA, PROCULUS, THEODORUS, MILITES.

HADRIANUS.

Sic obſequentem ſe mihi demum exhibet
Euſtachius? Hanc ſpem dederat? addixit neci

Inviſa,

Inviſa, Juvenis, capita pollicitus? Siles!
Eloquere. *TRAJ.* Cæſar! *HADR.* Ingemis: largo genas
Video madentes imbre. Ne levibus malis
Impende fletus: mox erit tantò aptior
Materia lacrymis, morte cum merita cadet
Tuus ille toties Cæſarum imperio & Deum
Conjux rebellis. *TRAJ.* Sentio; nondum Tibi
Noſtri dolores, noſtra nec penitus mala
Patuere: pars heu! quanta Te, Cæſar, latet!
HADR. Utinam lateret! Falleris opertum nihil;
Patuere cuncta. Novimus quantùm obſtinet
Nolente me, vetante, Chriſticolum palam
Inimica colere Sacra: manifeſtus favor,
Quo perduelles, impios, nefarios
Juvat ac tuetur; Aula dum tota infremit,
Dum morte tantum poſcit extingui nefas.
TRAJ. Sunt perduelles, impii, nefarii,
Sunt morte digni, fateor! *HADR.* Et Conjux amet
Foveatque?.... *TRAJ.* Natos, heu! fovet, natos amat.
HADR. Quæ monſtra, quæ portenta! Nempe hoſtes Deum
Meique, natos dicis? *TRAJ.* Ah! parce, obſecro,
Uterque meus eſt, Cæſar: utrumque edidi,
Vel ſi nocentes: majus admiſi nefas,
Dum peperi utrumque mater! Heu! quanto ſtetit
Infauſta ſoboles, cujus aſpectum Deos
Toties rogavi! Stulta properavi nimis!
Nam quid rogabam? Triſte conſpectus datur
Pretium tui! Si matris in luctum redis;
Heu cur redibas? Solitus ex longo dolor
Jam ponere aliquem gravibus ærumnis modum
Duxerat; &, ſpes nulla cum deinceps foret,
Metus omnis aberat .... O mihi ſemper Deum,
Cum plectis, & cum parcis, ex æquo gravem!
Natos parenti reddis; at cur impios,
* Seorſum. Cur Cæſarum hoſtes reddis? *HADR.* * O rerum vices!
Utinam carerent ſcelere! *TRAJ.* Nil miſeræ ſuper
Quidquam relictum, Cæſar! En Conjux perit:
Periere nati: memet inviſam aſpicis!
Quis jam locus, quæ regio perfugium dabit?
Quem adibo ſupplex? cui feram indignas preces,
Exoſa, vidua conjuge, infelix parens
Orbata natis? Tu mihi quondam ſalus;
Tu certa dubiis, Cæſar, in rebus fides;
Cui me relinquis? *HADR.* Me tuus tangit dolor,
Trajana: miſeror ipſe quæ pateris mala.
TRAJ. Miſereſcis?.... Itane eſt? Ergo Te experiar pium;
Miſereſce, Cæſar. Tu meum ſolus potes
Finire luctum. *HADR.* Pone ſollicitos metus,

Traja-

Trajana: natis debitas, Chriſtum abdicent,
Pœnas remitto. Stabit hoc pretio ſalus.
TRAJ. Spes ò ſalutis irrita! Aut aliam injice
Aut nulla monſtrat perditis rebus viam,
HADR. Confide melius: matris afflictæ dolor
Natos movebit: flebis, & vinces: amor
Tibi militabit. *TRAJ*. Nulla ſum: novi indolem;
Non flectitur. Quoſcumque Chriſtiadum in gregem
Inſanus ardor rapuit; adverſum preces,
Lacrymas, amorem pectus inſtructum gerunt.
Movere natos miſera ſi nequeat parens,
Trajana moveat Cæſarem ?.... Veniam peto;
Ignoſce. *HADR*. Leges hoc vetant. *TRAJ*. Pietas jubet.
HADR. Deſpecta Divum jura vindictam exigunt.
TRAJ. Non tam Deorum pectus irarum eſt capax.
HAD. Impune abire ſcelera Superi non ferunt.
TRAJ. Impune ſcelera, dum tacent, Superi ferunt.
HAD. Noſtro loquuntur ore, ſi placeat loqui.
TRAJ. Placare, Cæſar, ipſe, placandos mihi
Relinque Superos. Si quod admiſſum eſt nefas,
Lacrymis piabo: lacrymæ exarmant Deos.
Vel ſi cruorem Numinum iratus furor
Repetit; cor iſtud confode; hinc inſons fluet.
Quid video, Superi! *PROC*. Cæſar, Euſtachius ſubit.

SCENA III.

HADRIANUS, TRAJANA, EUSTACHIUS, AGAPITUS, THEOPISTUS, PROCULUS, THEODORUS, MILITES.

HADRIANUS.

SPerare patrem melius an nati jubent
Fauſto recepti Numine? abſcedat ſtupor;
Jam cuncta didici, & lætor. An perſtant adhuc
Imperia noſtra ſpernere, & meritum Deis
Negare cultum? Loquere: num lethi prope
Poſitos ſub ictu cura ſollicitat patris,
Quem poſt tot annos Cœlitum reddit favor?
Num tu ipſe natos: qua potes; morti eripis?
EUST. Natos loqueris? Uterque genitorem arguit
Stimulatque, Cæſar. Quò Deus natos vocat,
Et agit volentes, non ego, ut libeat, retro
Revocare poſſum, nec mihi, ut poſſim, libet.
HADR. Etiamne prolis facinus Euſtachius probet,
Et amet furentes? *EUST*. Et amo natos, & ſequor.
Quid facere patrem deceat, exemplo docent.
Et iners ut ego ſim? Nunc juvat demum intimos

Retegere ſenſus; heu! potens nimium hactenus
Silere amor coegit, & turpes metus
Incuſſit animo. *TRAJ.* Dure, quid doleas, ſcio,
Amaſſe Sponſam te piget! Tanti fuit
Annuere faciles nempe, quas petimus, moras;
Ne miſera pereat Sponſa, quam tanto impotens
Furore perimis?.... Parce, non compos ſui
Veſana loquitur, Cæſar. *EUST.* Et compos mei,
Nihil hic furoris, Cæſar, & ſanus loquor.
Sum Chriſtianus. Unicum Cœlo Deum
Terriſque veneror, cuncta qui nutu regit
Servatque: reliquos odi, & ejuro Deos.
Haud alia, fateor, me tuos cauſa impulit
Subire vultus. *HADR.* Hæc meos cauſa impulit
Subire vultus, ut palam ingereres probra,
Noſtrique teſtis Aula dedecoris foret?
Gens perduellis, has mihi grates agit,
Dum facinus ultro premere, dum cunctos neci
Eripere meditor! *EUST.* Noſtra nil in te fides,
Nil peccat animus: qua licet, promptos habes
Obſequium ad omne Cæſar. Hoc Chriſtus docet
Jubetque. Quod me facinus infidum arguit?
Quæ me nocentem culpa? Si facta expetis,
Exempla dedimus: ſanguine hoſtili madet
Adhuc cruentus enſis. Aſt idem Deus,
Parere qui nos Cæſarum imperiis jubet,
Sacros honores Thuſve mentitis vetat
Adolere Superis. *HADR.* Ah! ſile tandem, impero.
Adſum: Deorum vindicem agnoſce, & time.
EUST. Nihil timemus. *HADR.* Fors tuo edoctus malo,
Quod facere ſponte renuis, invitus dabis.
Adhibenda vis eſt. *EUST.* Nulla vis Chriſtum auferet,
Occidere certum eſt. *HADR.* Miles ad mortem ocyus
Tanti execrandos ſceleris auctores rape:
Hinc ordiamur. *TRAJ.* Patere ut amplectar pedes:
Ignoſce, Cæſar. *AGAP.* Compotes voti facis;
Habeo expetitum tempus: ad pœnas vocor,
Pro te cupitas, Chriſte! *THEOP.* Proh! lætam diem!
Præſto ſum, eamus. Omne pœnarum genus
Conſume; flammas, vulnera & diras mali
Doloris artes; nulla confiſos Deo
Tormenta quatient, Cæſar. *HADR.* Haud idem malo
Urgente conſtat animus, & præſens dolor
Magnifica reprimet verba. *AGAP.* Si pectus labet,
Firmabit; & nos robore afflatos novo
Dabit ipſe Chriſtus mortis adverſus metum
Stare irretorta fronte. *HADR.* Quid tempus tero?
Hos rapere ceſſas, Miles? *THEOP.* Imperium exequi

Quid

Digitized by Google

Quid refugis? Ambos confode. *TRAJ.* * Ah! ſiſte impetum
Crudelis! Heu me! Cæſar! O gnati ad necem
Sic ergo ruitis?.... Interim ſiccis pater
Hæc cernit oculis, lentus & ſegnis jacet!
Hanc Chriſtiana nempe duritiem docet
Relligio; prolis funera immotos pati;
Sponſam, parentem ſpernere; & nullum ſcelus
Prorſus vereri? Nil ago; incaſſum queror,
Nihil moventur!... Tun' mihi gnatos ſinu,
Cæſar, jubebis abripi, & noſtrum impius
Tuumque fundes ſanguinem? Infelix parens,
Vix, longa poſt exilia & ærumnas graves,
Natos reviſo! Num mihi coram alloqui
Saltem licebit? Forſan indomita hactenus
Superabo lacrymis pectora, & vincam prece
Animos rebelles. Hoc mihi extremùm annue:
Inducias te, Cæſar, exiguas rogo.
HADR. Trajana, quem tu poſcis, affatum annuo.
Alloquere natos. Ponite in lucro moram,
Quam facio, vel timete. Colloquii arbiter,
Theodore, referes exitum. Abſcedo interim.
* Tu ſequere.

* Ad Militem.

* Ad Euſtathium.

SCENA IV.

TRAJANA, AGAPITUS, THEOPISTUS, THEODORUS.

TRAJANA.

Fixum eſt igitur, atque animo ſedet
Occidere, Nati? nulla vos pietas movet?
Non mœſta retinet mater? Incaſſum preces
Lacrymaſque fundam? Pectus intractabile
Dudum iſta retudit tela? Quid demum eſt ſuper?
Ad quem recurram?.... Num tamen duri abnuant
Miſerere matris?.... Stulta quid dubitem? Silent,
Et rigida vertunt ora! Naturam exuit
Uterque! *AGAP.* Noſter ſi Tibi totus bene
Animus pateret, talibus natos probris
Onerare mater parcat? O nimium potens
Blandumque matris nomen! At Chriſtus vocat,
Quo jubet, eundum eſt! *TRAJ.* Chriſtus an matri invidet
Meritos amores? *THEOP.* Luce plus ipſa parens
Dilecta natis! *TRAJ.* Luce dilectam magis
Credam parentem, veſtra dum ſe ſe explicant
Palamque monſtrant odia? dum fruſtra efferum
Mollire juſta pectus aggredior prece?

An ſic amatis perfidi? Ah! ſatius foret
Odiſſe! Nam quod gravius importet malum
Odium parentis?.... Amatis? At amorem juvat
Probare factis. Non ego infelix velim
Chriſtum exuatis: quod peto, nati, leve eſt.
Animi æſtuantis regite præcipitem impetum:
Protrahite tempus, donec irarum impotens
Ponat furores Cæſar. *THEOP.* Abrumpi jubet,
Dudum peroſus, quas petis, Chriſtus moras.
TRAJ. Et amatis?.... heu me! *THEOD.* Corda nequicquam aſpera
Mulcere precibus deinde pertentes. *TRAJ.* Vides
Theodore, qualem nacta ſim ſobolem parens.
Ut pulſa pietas; ut retro fas & pudor
Abiere! *THEOD.* Dirus iſte deluſos ſemel
Quos faſcinavit error; amentes ruunt
Per omne facinus: Principum, indociles regi,
Imperia, amicos, jura naturæ omnia
Violant, & iſtud laudis apponunt loco,
Si pertinaci mente defendant ſcelus.
Utinam liceret Cæſari lætos magis
Rerum exitus referre! Quicumque eſt, dolens
Reporto. *TRAJ.* Siſte; da brevem rurſus moram,
Theodore; natis vix adhuc nota eſt parens.
Ah! patere, totas exerat vires amor.
Nati, agite: Cæſar quale reſponſum audiet?
Quod aſperos, quod ſemper intractabiles
Flecti piget? Quod noſtra delectant mala?
Quod morte gravior matris aſpectus fuit?
THEOP. Quid immerentes, mater, objurgas? Nihil
Jubeat iniquum Cæſar; obſequium exigat,
Quod mancipata non vetet Chriſto fides.
Ad omne dociles ſuimus obſequium, parens;
Et Tu querelis triſtibus pones modum.
At execranda dum petet, nunquam Tibi,
Sibive Cæſar obſecuturos ſciat.
THEOD. Moneo. *TRAJ.* Quo præceps abis? Paulùm, obſecro,
Theodore.... *THEOD.* Cæſar urget, haud poſſum. *TRAJ.* Fugit!!
Ingrata ſors! Theodore, ne ſaltem meos.
Narrare luctus pigeat.

SCENA V.

TRAJANA, AGAPITUS, THEOPISTUS.

TRAJANA.

INfelix parens!
Eheu! ſiniſtras ſortis incuſans vices.

Abeſſe

Digitized by Google

Abeſſe longùm ſtulta flebilibus modis
Natos querebar; ſurgeret quantus mihi,
Ignara, natos ſi recepiſſem dolor!
AGAP. Et dura noſmet fata nil meritos premunt.
Spes alia de Te fuerat: ò utinam afforet
Dilecta genitrix, tacitus ajebam modo,
Dum fureret in nos Cæſar; obſeſſum malis
Firmaret illa pectus, & mortis metu
Invicta, ſoboli robur exemplo daret!
O ſpes inanes! vota deſtituit Deus.
Chriſtum execraris, mater, &, qua vi potes,
Eripere utrique tendis. *THEOP*. O utinam parens
Meliora ſaperet! Si qua morituros tenet
Jam cura, Tu nos una ſollicitos facis;
Dum te profanis perditè addictam Deis
Videmus.

SCENA VI.

TRAJANA, AGAPITUS, THEOPISTUS, PROCULUS, THEODORUS.

THEODORUS.

Ecce læta referentem audies,
Trajana, Proculum. *TRAJ*. Rebus afflictis opem
Si quam reportas, Procule, quamprimum edoce.
PROC. Lugere natos abſtine: eſt aliquis locus
Adhuc ſaluti. Cæſar iratus licet,
Te colere tamen; & iſta, quæ pateris, bonus
Tecum dolere. Si quid in nobis fuit,
Eritve deinceps, gratiæ impenſum puta.
TRAJ. An noſtra quiſquam fata reſpiciat Deus?
PROC. Nec pro Te inanis noſter evaſit labor.
Viſus moveri Cæſar. Hinc animum orbitas
Parentis, inde Cæſarum flexit genus;
Quod ipſa, quodque gemina progenies refert,
Inſtitimus; & minuere quæ culpam ſolent,
Juvenilis ætas, ritibus dudum exteris
Imbuta mens, noſtroſque nil metuens Deos;
Virtus repulſæ neſcia, impatiens probri;
Et ſervitutis atque vinclorum metus;
Allata per nos cuncta. Quod reliquum eſt ſuper,
Confide, lacrymis ipſa perfectum dabis.
TRAJ. Ut me omine iſto reficis; Ah! ſi quis polo
Deus eſt, rependat veſtra quod meruit fides.
Urgenda res eſt, Procule; tentabo viam,
Quam mitior jam Cæſar afflictis facit.

THEOP. O Chriſte, quæ nos culpa degeneres premit;
Ne cadere pro te liceat? *PROC.* Aſt unum dolens
Præmoneo, non ut liberis, ſic tu æſtimes
Placare Sponſo Cæſarem ut poſſis; feram
Viri indolem, nullaque placatam prece,
Vel imperatæ mortis infractam metu
Expertus, iræ Cæſar impatiens fremit;
Factique teſtes vocat & ultores Deos.
Præſtare ſalvos proinde ſi natos voles;
Paulùm opperire, Cæſaris donec furor
Ponat, nec ante Conjugi veniam pete.
TRAJ. Lex dura! lex iniqua! Properato eſt opus;
Abſcedo; amicum, Procule, conſilium ſequar.
Matrem, adjuvate, Liberi; ah! tantus labor
Dum utrique veſtrum penditur, ſaltem hoc feram
* *Abit.* Solamen. * *THEOP.* Ah! ſi potius, heu! feriam nimis
Celerare mortem liceat! Hanc in ſpem advolo,
Frater. *AGAP.* Sequamur: vota cumulabit Deus.

SCENA VII.

PROCULUS, THEODORUS.

PROCULUS.

SIc eſt, Amice; Cæſaris lentus dolor
Ponebat, & jam liberos ſimul & Patrem
Merita eximebat morte nil veritus Deos.
Tantùm in ſceleſtis uſque Trajani genus
Cenſet verendum! *THEOD.* Cauſa quæ reſidem aſperat?
Novaſque lento ſubjicit rurſum faces?
PROC. Per me incitatus ſummus Antiſtes Deum
Polluta queritur Sacra, contemptum Jovem
Clamat; nefanda, dira, metuenda, horrida
Minatur Urbi, ni manum ultricem exerat;
Niſi nocentum ſanguine abluerit nefas.
THEOD. Tandemne victus damnat Euſtachium nece?
PROC. Pendebat animi dubius, atque iterum Viri
Nimium inſolentes plurima voluit prece
Superare faſtus: aſt ubi ſenſit nihil
Procedere, iras acuit, & teſtem polum
Juratus, Erebo perfidum addixit caput.
THEOD. At unde natos pœna non ſimilis manet?
PROC. Obſcura Juvenum vita quid noſtris poteſt
Obeſſe cœptis? Vivere in latebris licet,
Dum nil nocebunt. Si modò pereat pater,
Fuſoque Superis ſanguine iratis litet,
Nihil moramur, liberos morte eximat;

Matris

Matriſque generi parcitum auguſto velit.
THEOD. At ſi parentis Cæſar admittat preces,
Sobolique parcat facilis; indecoram putas,
Ferret repulſam, denuo ſi quid roget?
Noſti, quid illa poſſit. *PROC.* At parcet Viro
Rogare veniam, quandiu iratus fremet
Cæſar; precari quidpiam vel ſi audeat;
Obſtabit uſque ſummus Antiſtes Jovis,
Trajana Sponſo ne quid exoret prius;
Quàm colere noſtros diſcat Euſtachius Deos.
THEOD. Res tota porro rite procedat, cave.

Finis Actus quarti.

ACTUS V.

SCENA PRIMA.

EUSTACHIUS, AGAPITUS, THEOPISTUS.

EUSTACHIUS.

ETiam beatos jungere amplexus poteſt,
Natoſque moriens genitor extremùm alloqui?
Felicitatis, fateor, hic cumulus. Tamen
Quid eſſe dicam, quod patri tantum licet;
Dum veſtra gravibus petitur inſidiis fides?
THEOP. Id lacrymis, id precibus exorat parens,
Dilecte genitor; Cæſaris rurſum ad pedes
Affuſa, ſoboles, dixit, inflectet patrem;
Largire, ſupplex quod peto, alloquium breve.
Sic glorioſæ mortis oblatum decus
Nobis Tibique pariter ereptum velit.
EUST. Taleſne miſero ponere inſidias patri,
Gnati, paratis? dicite. *THEOP.* Id credis, pater?
Id metuis? id Tu ſeria mente objicis?
Non credis; aliud cogitas; aliud Tibi
Dedimus uterque ſpecimen. Ah! ſi quid potes,
Solare miſeros potiùs. En ſoboli pater,
Et mortis, unà cum patre, eripitur decus!
AGAP. Huc vota recidant! Patris aſpectu frui,
Mortemque pro ſe perpeti optatam Deus
Miſertus ultro dederat; utrumque abſtulit!
Lex dura, Genitor! vivere haud tecum datur!
Lex durior, negatur & tecum mori!
O Chriſte, gravibus dulce ſolamen malis;

An Tu paratam præripi palmam feres?
An noſtra ſpernes vota? Tu melius jubes
Sperare! Geminam reſpice, & ſponte efferos
Devotam in ictus victimam! Emoritur pater;
Tibi litabit ſanguine; ah! felix nimis
Pater eſt; nihil dolemus; at natis quoque
Profundere animas liceat! *EUST.* Ut ſenſus placet!
Ut me iſta virtus recreat! An quiſquam fuit
Felicior me patre? Nil veteres queror
Pro ſobole luctus: patrio avulſam ſinu
Dolui: dolorem gravior excepit metus;
Ne quando gens profana, Chriſtiadum ſacros
Peroſa ritus noxiam afflaret luem,
Teneroque verum pectore excuteret Deum.
Quantum repenſum eſt! Quas Tibi grates agam,
O Chriſte! Natos reddis, inſontes, pios,
Et dura pro te fata non timidos pati!
Quid reſtat ultra quod precer? *AGAP.* Tecum mori
Ut detur! *EUST.* Ah! nec iſtud abnuerit Deus:
Spes certa; Nati, credite; eſt ſpatium breve,
Quodcumque ſupereſt. Nomen inviſum eſt Dei,
Quem colitis: ira ſervet, ac dirùm fremens
In Chriſtianos generis inſueta horridi
Supplicia renovat. Interim Chriſti aſſeclas
Dubiuſne poſſit uſque tutari favor?
AGAP. Pudet pigetque trahere degeneres moras,
Quas ipſe Chriſtus non probet: docuit ſatis,
Quid facere utrumque deceat; & natos patri
Cum reddit, & perire cum patrem jubet.
Sin Hadriani lentus urgendus furor:
Si Sacra rurſus impia & fictos juvat
Impetere ſuperos; inclytam hoc pretio necem
Redimemus. *EUST.* Imo vivite in gentis piæ
Decus ac levamen; vivite: hoc Chriſtus velit;
Hoc ipſa matris poſcat errantis ſalus.
Heu! gaudia inter media, cum certas mihi
Vobiſque rebar mortis optatæ vices;
Me ſi qua, Nati, cura, ſi premeret metus,
Erroris uſque pertinax curam & metum
Trajana faceret?.... Quis metus deinceps queat
Supereſſe? Nati, vivitis: matris ſalus
Utriuſque labor eſt; quodque non meruit pater;
Totum hoc reſervat ſobolis in laudem Deus.
THEOP. Liceret utinam, genitor! ô natis bene
Redempta pretio quolibet matris ſalus!
At noſtra numquid hoc ſtatu rerum adjuvent
Impenſa matri ſtudia? Quin per te æſtimas,
Ut rigida flecti ſemper, ut vinci aſpera!

Am

Expende fructum quem tot annorum feras;
Dum pertinacem dedoces, atque aviam
Revocare tendis? *EUST*. Lætus hic veniet dies;
Mutata quando mater in melius, patrem
Natoſque demum compotes voti dabit.
Hic vos laborum fructus, hæc merces manet.
THEOP. Anima litare potiùs & fuſo placet
Cruore, genitor: mater hunc olim dedit,
Hunc jam repoſcit. Mille per plagas eat
Meus ille ſanguis, Chriſte; dum pravi tenax
Hucuſque, falſos mater abjuret Deos.
EUST. Mea illa cura eſt, Nate; qui venis micat,
Jam ſpes in iſtas ſanguis impenſus fluet.
Vos hunc parenti, dum licet; proprium date
Nati laborem: facite veſanum abdicet
Dedocta cultum: vincat errorem fides.
Memorate, quantus regnet in Cœlo Deus,
Quem profitemur: dicite, ut dignus coli eſt,
Dignus & amari: quanta Chriſticolis bona
Arces receptis inter æthereas paret.
AGAP. Hæc Aula, Genitor, ipſe dicebas modò,
Exoſa quavis omne Chriſtiadum genus,
Chriſto fideles aſſeclas multos habet.
Erit, erit aliquis, qui piam erranti manum
Ultro parenti commodet: vel, ſi velit,
Chriſtus recludet ipſe meliorem viam.
Cur noſtra differs gaudia ulteriùs, pater?
Ire ardet animus, ipſe quò properas; ratum hoc,
Quod petimus, eſſe patere. Sic erit, ò Deus!
Natos patremque, quam rogant, ſimili dabis
Gaudere ſorte. *THEOP*. Frater, en mater ſubit.

SÇENA II.

EUSTACHIUS, TRAJANA, AGAPITUS, THEOPISTUS.

TRAJANA.

NAti ſecundos vota ſucceſſus habent.
Salvum parentem dabimus: Evictus prece eſt,
Poſuitque Cæſar odia. Nunc tandem poteſt
Gaudere ſobole mater & conjux viro.
EUST. Heu me! quid affers, Sponſa? Quo miſerum gravas
Perdiſque ſponſum nuntio! ò demens amor!
Qualem ille natis, conjugi palmam invidet!
Ah! læta quando fata ſe tandem explicant:
Quando expetita ferre pro Chriſto licet
Supplicia; noſtram rite ſi ſortem æſtimas;

Male

Malè collocatas ipſa damnabis preces;
Et, quæ peroſa metuis, accerſes mala.
TRAJ. Ut ipſa vobis funus accerſam, aut preces
Malè collocatas ut putem; exitium imminens,
Et ſola dirum arcere cum poſſum nefas?
Talem æſtimaſtis? Ibo: vel ſi me aſpernum,
Merces laboris unica, expectet probrum;
Se media conjux, media ſe opponet parens;
Vulnuſque vobis debitum excipiet ſinu?
Sed quò feror? Tun', Sponſe, quam placidus facit
Veniam roganti Cæſar abnuere obſtines?
EUST. Si tam remiſsè Cæſar indulgens Tibi
Impune Sacra perfici ut Chriſto ſinat,
Vivemus ultro; quos & ulteriùs dabit,
Tibi in ſalutem, Sponſa, pendemus dies.
TRAJ. Vive ergo: quod jam petimus, id factu leve eſt,
Ne metue: nullam veſter offenſam Deus
Hinc capiet; imo, ſponſe, quo res ſunt loco;
Noſtri miſertus ni te ad obſequium paras,
Summi Tonantis odia, dum refugis, time.
EUST. Quo juſſa porro Cæſaris ſpectant? Doce.
TRAJ. Animo æſtuanti frœna tantiſper date.
Silete: Roma donec inſano fremens
Per vos tumultu ponat iras & metus,
Motuque pulſo prima reddatur quies.
EUST. Hoc ſi redemptam Cæſar obſequio velit,
Quam dat ſalutem; teneo quod votis diu
Lacrymiſque petii: ſanguis hic pro te fluet;
Oppetere dabitur, Chriſte. *THEOP.* Quam Cæſar facit
Utrique, pretio venia ſi conſtet pari;
Bene eſt, abunde eſt; fata nos eadem manent;
Tecum occidemus! *AGAP.* Mortis oblatæ decus
Dolebam ademptum; genitor & ſineret, Deum
Larvas parabam rurſus ultrici manu
Appetere. *TRAJ.* Sic, ſic pergite, & pulchram indolem
Probate factis: [illegible]us haud ſatis eſt pater,
Genitricem & ipſi petite, conficite .... Effra
Soboles, propago degener, durum genus!
Mihine propria ſemper exſurgat domo
Materia luctus! Noſter alienos dolor
Pepulit, amicam commodant ultro manum;
Dum ſponſus & me gemina progenies petit!
Quo pulſa pietas? ... Sed quid aggredior prece
Animos feroces? ... Ruite in exitium, in neces;
Ite, ite, quos vos dirus impellit furor,
Non jam moratur ſponſa, non retinet parens;
Occidite ... Veſtrum funus intrepida hauriam:
Nihil dolebo ... Veſtra me exempla excitant:

Nox

Nec dura verear eſſe ... Sed nondum ſatis
Sceleris peractum eſt; majus aggreſſi nefas
Hoc fodite pectus ... agite ... quid torpet manus?
Hìc dabitur unde veſtra ſatietur ſitis.
Ceſſatis? ... Ad quid poſtulo alterius manum?
Hoc ipſa peragam... Nam quid in vita eſt ſuper,
Cur ipſa lethum verear? *AGAP.* O utinam, parens,
Te noſter iſta ſapere docuiſſet Deus!
Et quam peroſa projicis, Chriſto pares
Animam immolare! Matris impenſus bene
Tibi, Chriſte, ſanguis flueret! *TRAJ.* Ut Chriſto fluat
Meus ille ſanguis, dum mihi ſponſum eripit,
Dum liberos trucidat? ... *THEOP.* Ah! neſcis, parens,
Quantos amores ille mereatur Deus,
Quem ſic laceſſis! Si tibi notus foret,
Nec amare nequeas. *TRAJ.* Ergo, crudeles, date,
Id unde liceat. Vivite, hunc per vos Deum
Ut noſſe diſcam, & amare! *EUST.* Momento id poteſt
Præſtare Chriſtus ipſe, ſi lubeat; fera
Mollire corda novit; hæc facere ut queat,
Nec conjugis, nec prolis auxilio indiget.
TRAJ. Ubi illa lex? Ubi ille tam dura imperans
Tam rigida Deus eſt; funeris pretio ut velit
Penſari amores? ... Ergo moriendum mihi,
Ut amare liceat! *AGAP.* Melior extinctos manet
Cum Rege Chriſto vita, nec lethi capax,
Tranquilla, felix! Mater hanc amplectere:
Exempla ſequere noſtra; nec Regum minas
Iraſque metue: ſævit ad tempus furor.
Mortalis, & nil corpus hoc extra poteſt.
THEOP. Si nos amas, imitare morituros parens,
Nobiſcum ut unà vivere æternùm queas!
TRAJ. Quis me agitat intus? ... *AGAP.* Ingemis! fare, obſecro;
Unde ille gemitus, mater? O Chriſte, an tuum
Jam ſentit illa Numen? *TRAJ.* Heu! *EUST.* Quæ par ſatis
Donis rependi gratia acceptis queat,
O Chriſte; ſi poſt ſortis ambiguas vices,
Poſt longa tandem exilia, nos eadem Tibi
Lux ſociet? Ecce jam patrem & natos habes,
Per quidquid atrox, barbarum, immane, horridum
Ultro obſequentes; an Tibi meritum abnuat
Genitrix amorem ſola? *TRAJ.* Quid refugis? ... *EUST.* Piam
Et ipſa miſeris, ſentio, in rebus manum
Probabit: hoc tu precibus, hoc lacrymis dabis.
TRAJ. Quam dura patior! *TEOP.* Eſt Deus, certe eſt Deus;
Et innocenti corde conceptas preces
Non lævus audit ... Quàm bene impenſus labor!
Quàm non inanis noſter hic pro te fuit

Gemi

Digitized by Google

Gemitus dolorque! Chriſte, qua cœptum eſt opus,
Abſolve! noſtrum quiſque dum pro te parat
Profundere animam; morte ſi quidquam poteſt
Meruiſſe; matris conſtet hoc pretio ſalus.
TRAJ. Actum eſt, ſequor; quemcumque me in caſum trahis!

SCENA III.

HADRIANUS, EUSTACHIUS, TRAJANA, AGAPITUS, THEOPISTUS, PROCULUS, THEODORUS, MILITES.

HADRIANUS.

Quo res loco, Trajana? Quam demum facit
Sponſus ſaluti rurſus oblatæ viam?
Abſterge lacrymas; me tuus tangit dolor,
Et luctus ingens enecat: totam domum,
Confide, Cæſar ſi poteſt, ſalvam dabit.
Age ergo, fare? ... Quid ſiles? unde hic ſtupor?
Adeone ſobolis cura ſponſique excidit?
TRAJ. Me cura gravior, Numen è Cœlo premit,
Novaque trepidum pectus accendit face!
Actum eſt; volenti cedo; viciſti, ò Deus!
Ah! perime ſponſum ſi lubet, Cæſar; patri
Adjunge ſobolem: perge, da matrem inſuper
Eadem ſubire fata. Si ſponſus nocens,
Si ſunt nocentes liberi, nec ſum innocens.
Quem liberi, quem ſponſus agnoſcunt Deum,
Deum negare nequeo: quos illi Deos
Vel morte in ipſa pernegant, ultra piget
Deos fateri. *HAD.* Quid ais? ... *AGAP.* O matris bene
Mutata demum pectora! *THEOP.* O lætam diem!
O ſoſpitalem! *EUST.* Quas tibi grates feram,
O Chriſte! *HAD.* Surgit alius ex alio labor;
Creſcit medendo virus! ... An Chriſtum pari
Furore ſequeris? *TRAJ.* Mentis eſt certè furor,
Sed ille cœlo miſſus, & caſto ſacer
In pectore arſit. *AGAP.* Liberis iram ſine
Bacchari habenis: timida nil obſtat parens;
Non lacrymis fera corda, non mulcet prece
Animos feroces. Trepida quid torpet manus?
Unam petebas victimam; en ſeſe Tibi
Jam ſiſtit ultro multiplex. Ergo elige:
Seu patere eodem potiùs unanimes cadant
Omnes ſub ictu. *THEOP.* Teneo votorum caput:
Tranſlata Chriſti in jura ſacrilegos parens
Cultus Deorum refugii: hoc unum eſt ſuper,
Occidere: votis, Cæſar hunc cumulum adjice.

Occi-

Digitized by Google

Occidere liceat. *EUST*. Nulla morientes habet
Jam cura; nullus angit afflictos dolor:
Quando relicta fraude fallacis viæ,
Trajana Chriſto devovet ſeſe, & mori
Non trepidat. Iras advoca; totum genus
Excide; ſontes perde: quid dubitas adhuc?
HAD. Etiam laceſſant impii, & mortem ambiant?
Cumulabo vota. Merita quamprimum inſtrue
Supplicia, Miles. Carceri interea patrem
Natoſque trade. *AGAP*. Læta vox! Pro te ratum eſt,
Chriſte, occidemus. *THEOP*. Mater extremum vale.
TRAJ. Sequar. *HAD*. Maneto. *EUST*. Perſtet hic animus, precor
Acer, ſuique ſimilis, & victus malis
Nullis fatiſcat!

SCENA IV.

HADRIANUS, TRAJANA, PROCULUS, THEODORUS.

TRAJANA.

Quid reluctantem tenes?
HAD. Paulùm recedant arbitri; huc quantocyus
Vos revoco. *TRAJ*. Sobolis, obſecro, & ſponſi vices
Subire liceat.

SCENA V.

HADRIANUS, TRAJANA.

HADRIANUS.

Fallit incautum ſopor?
Vigilemne larva ludit? Hic ſenſus placet,
Trajana? Nihil hic fingis? An fraudum artifex
Inviſa Superis ſecta dementem rapit?
TRAJ. Nil fingo, nil diſſimulo; da natos ſequar
Sponſumque. *HAD*. Pereant mortis auctores ſuæ.
Quæ te in ruinam vis mala amentem rapit?
Miſera eſſe mavis, eſſe dum felix potes.
TRAJ. Malè æſtimaſti, Cæſar: hæc mihi ſors placet,
Qua me eſſe miſeram fingis. Abſcedat ſtupor
Non me mala, ut Tu reris, amentem rapit
Vis in ruinam: lucis inſolitum novæ
Affulſit animo jubar, & offuſas diu
Diſcuſſit umbras. Pectus erudiit Deus,
Deus ille, quem Tu, parce ſi dico, impia
Deluſus, eheu! fraude contemtum abjicis.

Melio-

Meliora video: vita quam fallax bonum,
Agnoſco; honores abdico, errorum piget.
Nunc illa mea ſunt vota: nunc unum ambio
Fuſo expiare ſanguine antiquum ſcelus.
HAD. Forſan repreſſus tempore hic ardor brevi
Remittet. *TRAJ.* Erras, nulla me Chriſto dies,
Mihi nulla Chriſtum rapiet. Ah! comitem, precor,
Me redde ſoboli; redde me ſponſo ocyùs.
HAD. Agnoſco, quæ te cura ſolicitam premat,
Trajana. Sponſum diligis, natos amas.
Vivere ſuperſtes Conjugi & ſoboli abnuis.
Dolus eſt amantis; mortis eximiæ decus
Amor ambit ultro. Vincor, & durum eſt quidem,
Sed vincor! Ergo Cæſari, ut pridem, & Deis
Addicta vive: vivere ut porro velis,
Tecum eſſe ſalvum conjugem & natos volo.
Parcat Deorum rector atque hominum, tua
Si Cœlitum hoſtes gratia, luce hac frui
Impune patior! *TRAJ.* Non mihi, ut ſervem meos
Mentita lethi, Cæſar, exarſit ſitis.
Nec ut queam ſervare, ſi Chriſtum abdicem;
Chriſtum abdicare, morti ut eripiam, velim.
Mitte iſta. Conjux vivere hac lege abnuant
Soboleſque. Eaſdem potiùs ad pœnas rapi
Natos, parentes impera: hoc unum precor.
HAD. Dabimus quod optas. Huc ades, Procule, advola,
Theodore.

SCENA VI.

HADRIANUS, TRAJANA, PROCULUS, THEODORUS.

THEODORUS.

CÆſar. *HAD.* Capite ſupplicium luant
Nati paterque. Sobolis exitium & Viri
Parens & uxor propiùs infandum hauriat.
* Ni ſapere diſcas, & Tibi pariter time.

* *Ad Trajanam.*

SCENA VII.

HADRIANUS, PROCULUS.

HADRIANUS.

QUid eſſe dicam, Procule, quòd miſeri in necem
Ruunt volentes? Nec prece edomitus furor,
Noſtriſve rabies victa pollicitis ſtetit!

Hic

Hic ſenſus hominis? *PROC.* Indoles Gentis ferox
Et dura, Cæſar; patria quæ ſpernit Sacra,
Et pervicaci mente Galilæum colit.
Non illa amores novit, aut ſentit metus.
Ama ſceleſtos; nempe quod amentur dolent
Blandire precibus, lædis: intenta minas,
Faves: trucida, gratiæ cumulum adjicis.
Hoſtes, amicos, munera, & vitam & necem
Statuunt in æquo. *HAD.* Siccine in gentem impiam
Quidquid cruentum, barbarum exprompſit dolor,
Caſſum omne cedat? Alitur, & creſcit malum;
Suiſque majus robur è damnis capit.
Huc Chriſtianos uſque per nemorum abdita,
Per antra, per deſerta, & æternis loca
Damnata tenebris, orbe quid toto inſequor?
Dum quæro longe monſtra, conſurgunt prope.
En media in Aula tutus, & noſtro in ſinu
Latebat hoſtis: ſanguinem noſtrum inficit
Fœdatque dira peſtis! Ergo unum malis
Reſtabat illud, ſceleris ut tanti capax
Trajana fieret! *PROC.* Ne malo huic cedas tamen;
Neve in rebelles ſolitus abſiſtat rigor.
Confide Superis, Cæſar; optatum dabunt
Finem malorum. *HAD.* Scilicet, reſides Dei!
Tuque ò, ſupremum quem Deum regem ferunt
Hominumque, tantum cernis & pateris nefas,
Jupiter! Ubi illa, fontium in pœnas, manu
Vibrata quondam fulmina?

SCENA VIII.

HADRIANUS, TRAJANA, PROCULUS, THEODORUS.

TRAJANA.

En reducem aſpicis,
Crudelis; age jam, perge; qua cœptum eſt, opus
Abſolve: Sponſus cecidit & nati jacent;
Sponſam & parentem perime. Debetur tuo
Et hæc furori victima. Impavidus feret,
Ne metue, pœnas animus. Hic Sponſi cruor
Soboliſque, quo me nobilem & tinctam vides,
Stimulabit ægrum pectus, & vires dabit.
Mori ergo per Te liceat! En Sponſum audio
Natoſque: memet gaudii in partem vocant,
Quo jam fruuntur, Cœlitum æthereas ſuper
Domos recepti. Dulcibus tandem annue
Fatis potiri. *HAD.* Quæ petis tanto ambitu,

Cele-

Celerare poſſem fata; nec rigidam minùs
Deſpecta Superum jura vindictam petant.
At ille, qui me Cæſarum aſcivit gradu
Trajanus, in Te cujus auguſtum genus
Nomenque veneror, retinet ultricem manum.
Vive ergo; noſtri pignus extremum hoc cape,
Trajana amoris. *TRAJ.* Tun' mihi mortem abnuas?

SCENA IX. & ultima.

TRAJANA.

Tibi, Chriſte, donec immoler tota; en mei
Pars magna, Nati; ſumma pars, conjux periit:
Totam perire quando Trajanam haud placet;
Tibi, Chriſte, vivet tota. Vos ſancti, precor,
Manes meorum, ſi qua ſollicitos habet
Jam cura; veſtrum liceat exemplum ſequi.

Finis Actus quinti & ultimi.

ADMO-

ADMONITIO.

QUæ Tria Joſephi vitam inprimis commendant, triplici Dramate complexi ſumus. Primum Joſephum à Fratribus venditum, & in Ægyptum abductum exhibet. Alterum eundem Ægypto toti Præfectum repræſentat. Tertium Fratres agnoſcentem ſuos, & ab iis viciſſim agnitum, cunctamque ejus familiam exceptam Ægypto ac locatam exponit.

Poſtulabat Hiſtoriæ ſeries, ut hæc Eventa, quo contigerunt ordine, eodem Tragœdiæ, quibus ſufficiunt argumentum, collocarentur. Verùm maluimus ſequi rationem temporum, quibus illæ datæ ſunt in Theatrum, & in lucem editæ; maximè cum Lectoris arbitrium penes ſit ſingula reſtituere in integrum, &, quod poſtremo aut medio poſitum ſit loco, id ſi voluerit, primo perlegere.

An Tu paratam præripi palmam feres?
An noſtra ſpernes vota? Tu melius jubes
Sperare! Geminam reſpice, & ſponte efferos
Devotam in ictus victimam! Emoritur pater;
Tibi litabit ſanguine; ah! felix nimis
Pater eſt; nihil dolemus; at natis quoque
Profundere animas liceat! *EUST*. Ut ſenſus placet!
Ut me iſta virtus recreat! An quiſquam fuit
Felicior me patre? Nil veteres queror
Pro ſobole luctus: patrio avulſam ſinu
Dolui: dolorem gravior excepit metus;
Ne quando gens profana, Chriſtiadum ſacros
Peroſa ritus noxiam afflaret luem,
Teneroque verum pectore excuteret Deum.
Quantum repenſum eſt! Quas Tibi grates agam,
O Chriſte! Natos reddis, inſontes, pios,
Et dura pro te fata non timidos pati!
Quid reſtat ultra quod precer? *AGAP*. Tecum mori
Ut detur! *EUST*. Ah! nec iſtud abnuerit Deus:
Spes certa; Nati, credite; eſt ſpatium breve,
Quodcumque ſupereſt. Nomen inviſum eſt Dei,
Quem colitis: ira ferveſ, ac dirùm fremens
In Chriſtianos generis inſueta horridi
Supplicia renovat. Interim Chriſti aſſeclas
Dubiuſne poſſit uſque tutari favor?
AGAP. Pudet pigetque trahere degeneres moras,
Quas ipſe Chriſtus non probet: docuit ſatis,
Quid facere utrumque deceat; & natos patri
Cum reddit, & perire cum patrem jubet.
Sin Hadriani lentus urgendus furor:
Si Sacra rurſus impia & fictos juvat
Impetere ſuperos; inclytam hoc pretio necem
Redimemus. *EUST*. Imo vivite in gentis piæ
Decus ac levamen; vivite: hoc Chriſtus velit;
Hoc ipſa matris poſcat errantis ſalus.
Heu! gaudia inter media, cum certas mihi
Vobiſque rebar mortis optatæ vices;
Me ſi qua, Nati, cura, ſi premeret metus,
Erroris uſque pertinax curam & metum
Trajana faceret?.... Quis metus deinceps queat
Supereſſe? Nati, vivitis: matris ſalus
Utriuſque labor eſt; quodque non meruit pater;
Totum hoc reſervat ſobolis in laudem Deus.
THEOP. Liceret utinam, genitor! ò natis bene
Redempta pretio quolibet matris ſalus!
At noſtra numquid hoc ſtatu rerum adjuvent
Impenſa matri ſtudia? Quin per te æſtimas,
Ut rigida flecti ſemper, ut vinci aſpera!

An

Expende fructum quem tot annorum feras;
Dum pertinacem dedoces, atque aviam
Revocare tendis? *EUST.* Lætus hic veniet dies;
Mutata quando mater in melius, patrem
Natoſque demum compotes voti dabit.
Hic vos laborum fructus, hæc merces manet.
THEOP. Anima litare potiùs & fuſo placet
Cruore, genitor: mater hunc olim dedit,
Hunc jam repoſcit. Mille per plagas eat
Meus ille ſanguis, Chriſte; dum pravi tenax
Hucuſque, falſos mater abjuret Deos.
EUST. Mea illa cura eſt, Nate; qui venis micat,
Jam ſpes in iſtas ſanguis impenſus fluet.
Vos hunc parenti, dum licet; proprium date
Nati laborem: facite veſanum abdicet
Dedocta cultum: vincat errorem fides.
Memorate, quantus regnet in Cœlo Deus,
Quem profitemur: dicite, ut dignus coli eſt,
Dignus & amari: quanta Chriſticolis bona
Arces receptis inter æthereas paret.
AGAP. Hæc Aula, Genitor, ipſe dicebas modò,
Exoſa quavis omne Chriſtiadum genus,
Chriſto fideles aſſeclas multos habet.
Erit, erit aliquis, qui piam erranti manum
Ultro parenti commodet: vel, ſi velit,
Chriſtus recludet ipſe meliorem viam.
Cur noſtra differs gaudia ulteriùs, pater?
Ire ardet animus, ipſe quò properas; ratum hoc,
Quod petimus, eſſe patere. Sic erit, ò Deus!
Natos patremque, quam rogant, ſimili dabis
Gaudere ſorte. *THEOP.* Frater, en mater ſubit.

SCENA II.

EUSTACHIUS, TRAJANA, AGAPITUS, THEOPISTUS.

TRAJANA.

Nati ſecundos vota ſucceſſus habent.
Salvum parentem dabimus: Evictus prece eſt,
Poſuitque Cæſar odia. Nunc tandem poteſt
Gaudere ſobole mater & conjux viro.
EUST. Heu me! quid affers, Sponſa? Quo miſerum gravas
Perdiſque ſponſum nuntio! ò demens amor!
Qualem ille natis, conjugi palmam invidet!
Ah! læta quando fata ſe tandem explicant:
Quando expetita ferre pro Chriſto licet
Supplicia; noſtram rite ſi ſortem æſtimas;

Male

Malè collocatas ipſa damnabis preces;
Et, quæ peroſa metuis, accerſes mala.
TRAJ. Ut ipſæ vobis funus accerſam, aut preces
Malè collocatas ut putem; exitium imminens,
Et ſola dirum arcere cum poſſum nefas?
Talem æſtimaſtis? Ibo: vel ſi me aſperum,
Merces laboris unica, expectet probrum;
Se media conjux, media ſe opponet parens;
Vulnuſque vobis debitum excipiet ſinu?
Sed quò feror? Tun', Sponſe, quam placidus facit
Veniam roganti Cæſar abnuere obſtines?
EUST. Si tam remiſsè Cæſar indulgens Tibi
Impune Sacra perfici ut Chriſto ſinat,
Vivemus ultro; quos & ulteriùs dabit,
Tibi in ſalutem, Sponſa, pendemus dies.
TRAJ. Vive ergo: quod jam petimus, id factu leve eſt,
Ne metue: nullam veſter offenſam Deus
Hinc capiet; imo, ſponſe, quo res ſunt loco;
Noſtri miſertus ni te ad obſequium paras,
Summi Tonantis odia, dum refugis, time.
EUST. Quo juſſa porro Cæſaris ſpectant? Doce.
TRAJ. Animo æſtuanti frœna tantiſper date.
Silete: Roma donec inſano fremens
Per vos tumultu ponat iras & metus,
Motuque pulſo prima reddatur quies.
EUST. Hoc ſi redemptam Cæſar obſequio velit,
Quam dat ſalutem; teneo quod votis diu
Lacrymiſque petii: ſanguis hic pro te fluet;
Oppetere dabitur, Chriſte. *THEOP.* Quam Cæſar facit
Utrique, pretio venia ſi conſtet pari;
Bene eſt, abunde eſt; fata nos eadem manent;
Tecum occidemus! *AGAP.* Mortis oblatæ decus
Dolebam ademptum; genitor & ſineret, Deum
Larvas parabam rurſus ultrici manu
Appetere. *TRAJ.* Sic, ſic pergite, & pulchram indolem
Probate factis: [illegible]us haud ſatis eſt pater,
Genitricem & ipſi petite, conficite .... Effra
Soboles, propago degener, durum genus!
Mihine propria ſemper exſurgat domo
Materia luctus! Noſter alienos dolor
Pepulit, amicam commodant ultro manum;
Dum ſponſus & me gemina progenies petit!
Quo pulſa pietas? ... Sed quid aggredior prece
Animos feroces? ... Ruite in exitium, in neces;
Ite, ite, quos vos dirus impellit furor,
Non jam moratur ſponſa, non retinet parens;
Occidite ... Veſtrum funus intrepida hauriam:
Nihil dolebo ... Veſtra me exempla excitant:

Nec

Nec dura verear eſſe ... Sed nondum ſatis
Sceleris peractum eſt; majus aggreſſi nefas
Hoc fodite pectus ... agite ... quid torpet manus?
Hìc dabitur unde veſtra ſatietur ſitis.
Ceſſatis? ... Ad quid poſtulo alterius manum?
Hoc ipſa peragam... Nam quid in vita eſt ſuper,
Cur ipſa lethum verear? *AGAP.* O utinam, parens,
Te noſter iſta ſapere docuiſſet Deus!
Et quam peroſa projicis, Chriſto pares
Animam immolare! Matris impenſus bene
Tibi, Chriſte, ſanguis flueret! *TRAJ.* Ut Chriſto fluat
Meus ille ſanguis, dum mihi ſponſum eripit,
Dum liberos trucidat? ... *THEOP.* Ah! neſcis, parens,
Quantos amores ille mereatur Deus,
Quem ſic laceſſis! Si tibi notus foret,
Nec amare nequeas. *TRAJ.* Ergo, crudeles, date,
Id unde liceat. Vivite, hunc per vos Deum
Ut noſſe diſcam, & amare! *EUST.* Momento id poteſt
Præſtare Chriſtus ipſe, ſi jubeat; fera
Mollire corda novit; hæc facere ut queat,
Nec conjugis, nec prolis auxilio indiget.
TRAJ. Ubi illa lex? Ubi ille tam dura imperans
Tam rigida Deus eſt; funeris pretio ut velit
Penſari amores? ... Ergo moriendum mihi,
Ut amare liceat! *AGAP.* Melior extinctos manet
Cum Rege Chriſto vita, nec lethi capax,
Tranquilla, felix! Mater hanc amplectere:
Exempla ſequere noſtra; nec Regum minas
Iraſque metue: ſævit ad tempus furor.
Mortalis, & nil corpus hoc extra poteſt.
THEOP. Si nos amas, imitare morituros parens,
Nobiſcum ut unà vivere æternùm queas!
TRAJ. Quis me agitat intus? ... *AGAP.* Ingemis! fare, obſecro;
Unde ille gemitus, mater? O Chriſte, an tuum
Jam ſentit illa Numen? *TRAJ.* Heu! *EUST.* Quæ par ſatis
Donis rependi gratia acceptis queat,
O Chriſte; ſi poſt ſortis ambiguas vices,
Poſt longa tandem exilia, nos eadem Tibi
Lux ſociet? Ecce jam patrem & natos habes,
Per quidquid atrox, barbarum, immane, horridum
Ultro obſequentes; an Tibi meritum abnuat
Genitrix amorem ſola? *TRAJ.* Quid refugis? ... *EUST.* Piam
Et ipſa miſeris, ſentio, in rebus manum
Probabit: hoc tu precibus, hoc lacrymis dabis.
TRAJ. Quam dura patior! *TEOP.* Eſt Deus, certe eſt Deus;
Et innocenti corde conceptas preces
Non lævus audit ... Quàm bene impenſus labor!
Quàm non inanis noſter hic pro te fuit

Gemi-

Gemitus dolorque! Chriſte, qua cœptum eſt opus,
Abſolve! noſtrum quiſque dum pro te parat
Profundere animam; morte ſi quidquam poteſt
Meruiſſe; matris conſtet hoc pretio ſalus.
TRAJ. Actum eſt, ſequor; quemcumque me in caſum trahis!

SCENA III.

HADRIANUS, EUSTACHIUS, TRAJANA, AGAPITUS, THEOPISTUS, PROCULUS, THEODORUS, MILITES.

HADRIANUS.

Quo res loco, Trajana? Quam demum facit
Sponſus ſaluti rurſus oblatæ viam?
Abſterge lacrymas; me tuus tangit dolor,
Et luctus ingens enecat: totam domum,
Confide, Cæſar ſi poteſt, ſalvam dabit.
Age ergo, fare? ... Quid ſiles? unde hic ſtupor?
Adeone ſobolis cura ſponſique excidit?
TRAJ. Me cura gravior, Numen è Cœlo premit,
Novaque trepidum pectus accendit face!
Actum eſt; volenti cedo; viciſti, ò Deus!
Ah! perime ſponſum ſi lubet, Cæſar; patri
Adjunge ſobolem: perge, da matrem inſuper
Eadem ſubire fata. Si ſponſus nocens,
Si ſunt nocentes liberi, nec ſum innocens.
Quem liberi, quem ſponſus agnoſcunt Deum,
Deum negare nequeo: quos illi Deos
Vel morte in ipſa pernegant, ultra piget
Deos fateri. *HAD.* Quid ais? ... *AGAP.* O matris bene
Mutata demum pectora! *THEOP.* O lætam diem!
O ſoſpitalem! *EUST.* Quas tibi grates feram,
O Chriſte! *HAD.* Surgit alius ex alio labor;
Creſcit medendo virus! ... An Chriſtum pari
Furore ſequeris? *TRAJ.* Mentis eſt certè furor,
Sed ille cœlo miſſus, & caſto ſacer
In pectore arſit. *AGAP.* Liberis iram ſine
Bacchari habenis: timida nil obſtat parens;
Non lacrymis fera corda, non mulcet prece
Animos feroces. Trepida quid torpet manus?
Unam petebas victimam; en ſeſe Tibi
Jam ſiſtit ultro multiplex. Ergo elige:
Seu patere eodem potiùs unanimes cadant
Omnes ſub ictu. *THEOP.* Teneo votorum caput:
Tranſlata Chriſti in jura ſacrilegos parens
Cultus Deorum refugii; hoc unum eſt ſuper,
Occidere: votis, Cæſar hunc cumulum adjice.

Occi-

Occidere liceat. *EUST*. Nulla morientes habet
Jam cura; nullus angit afflictos dolor:
Quando relicta fraude fallacis viæ,
Trajana Chriſto devovet ſeſe, & mori
Non trepidat. Iras advoca; totum genus
Excide; fontes perde: quid dubitas adhuc?
HAD. Etiam laceſſant impii, & mortem ambiant?
Cumulabo vota. Merita quamprimum inſtrue
Supplicia, Miles. Carceri interea patrem
Natoſque trade. *AGAP*. Læta vox! Pro te ratum eſt,
Chriſte, occidemus. *THEOP*. Mater extremum vale.
TRAJ. Sequar. *HAD*. Maneto. *EUST*. Perſtet hic animus, precor
Acer, ſuique ſimilis, & victus malis
Nullis fatiſcat!

SCENA IV.

HADRIANUS, TRAJANA, PROCULUS, THEODORUS.

TRAJANA.

QUid reluctantem tenes?
HAD. Paulùm recedant arbitri; huc quantocyus
Vos revoco. *TRAJ*. Sobolis, obſecro, & ſponſi vices
Subire liceat.

SCENA V.

HADRIANUS, TRAJANA.

HADRIANUS.

FAllit incautum ſopor?
Vigilemne larva ludit? Hic ſenſus placet,
Trajana? Nihil hìc fingis? An fraudum artifex
Inviſa Superis ſecta dementem rapit?
TRAJ. Nil fingo, nil diſſimulo; da natos ſequar
Sponſumque. *HAD*. Pereant mortis auctores ſuæ.
Quæ te in ruinam vis mala amentem rapit?
Miſera eſſe mavis, eſſe dum felix potes.
TRAJ. Malè æſtimaſti, Cæſar: hæc mihi ſors placet,
Qua me eſſe miſeram fingis. Abſcedat ſtupor
Non me mala, ut Tu reris, amentem rapit
Vis in ruinam: lucis inſolitum novæ
Affulſit animo jubar, & offuſas diu
Diſcuſſit umbras. Pectus erudiit Deus,
Deus ille, quem Tu, parce ſi dico, impia
Deluſus, eheu! fraude contemtum abjicis.

Melio-

Meliora video: vita quam fallax bonum,
Agnoſco; honores abdico, errorum piget.
Nunc illa mea ſunt vota: nunc unum ambio
Fuſo expiare ſanguine antiquum ſcelus.
HAD. Forſan repreſſus tempore hic ardor brevi
Remittet. *TRAJ.* Erras, nulla me Chriſto dies,
Mihi nulla Chriſtum rapiet. Ah! comitem, precor,
Me redde ſoboli; redde me ſponſo ocyùs.
HAD. Agnoſco, quæ te cura ſolicitam premat,
Trajana. Sponſum diligis, natos amas.
Vivere ſuperſtes Conjugi & ſoboli abnuis.
Dolus eſt amantis; mortis eximiæ decus
Amor ambit ultro. Vincor, & durum eſt quidem,
Sed vincor! Ergo Cæſari, ut pridem, & Deis
Addicta vive: vivere ut porro velis,
Tecum eſſe ſalvum conjugem & natos volo.
Parcat Deorum rector atque hominum, tua
Si Cœlitum hoſtes gratia, luce hac frui
Impune patior! *TRAJ.* Non mihi, ut ſervem meos
Mentita lethi, Cæſar, exarſit ſitis.
Nec ut queam ſervare, ſi Chriſtum abdicem;
Chriſtum abdicare, morti ut eripiam, velim.
Mitte iſta. Conjux vivere hac lege abnuant
Sobolesque. Eaſdem potiùs ad pœnas rapi
Natos, parentes impera: hoc unum precor.
HAD. Dabimus quod optas. Huc ades, Procule, advola,
Theodore.

SCENA VI.

HADRIANUS, TRAJANA, PROCULUS, THEODORUS.

THEODORUS.

CÆſar. *HAD.* Capite ſupplicium luant
Nati paterque. Sobolis exitium & Viri
Parens & uxor propiùs infandum hauriat.
* Ad Trajanam. * Ni ſapere diſcas, & Tibi pariter time.

SCENA VII.

HADRIANUS, PROCULUS.

HADRIANUS.

QUid eſſe dicam, Procule, quòd miſeri in necem
Ruunt volentes? Nec prece edomitus furor,
Noſtriſve rabies victa pollicitis ſtetit!

Hic

Hic ſenſus hominis? *PROC.* Indoles Gentis ferox
Et dura, Cæſar; patria quæ ſpernit Sacra,
Et pervicaci mente Galilæum colit.
Non illa amores novit, aut ſentit metus.
Ama ſceleſtos; nempe quod amentur dolent
Blandire precibus, lædis: intenta minas,
Faves: trucida, gratiæ cumulum adjicis.
Hoſtes, amicos, munera, & vitam & necem
Statuunt in æquo. *HAD.* Siccine in gentem impiam
Quidquid cruentum, barbarum exprompſit dolor,
Caſſum omne cedat? Alitur, & creſcit malum;
Suiſque majus robur è damnis capit.
Huc Chriſtianos uſque per nemorum abdita,
Per antra, per deſerta, & æternis loca
Damnata tenebris, orbe quid toto inſequor?
Dum quæro longe monſtra, conſurgunt prope.
En media in Aula tutus, & noſtro in ſinu
Latebat hoſtis: ſanguinem noſtrum inficit
Fœdatque dira peſtis! Ergo unum malis
Reſtabat illud, ſceleris ut tanti capax
Trajana fieret! *PROC.* Ne malo huic cedas tamen;
Neve in rebelles ſolitus abſiſtat rigor.
Confide Superis, Cæſar; optatum dabunt
Finem malorum. *HAD.* Scilicet, reſides Dei!
Tuque ò, ſupremum quem Deum regem ferunt
Hominumque, tantum cernis & pateris nefas,
Jupiter! Ubi illa, ſontium in pœnas, manu
Vibrata quondam fulmina?

SCENA VIII.

HADRIANUS, TRAJANA, PROCULUS, THEODORUS.

TRAJANA.

En reducem aſpicis,
Crudelis; age jam, perge; qua cœptum eſt, opus
Abſolve: Sponſus cecidit & nati jacent;
Sponſam & parentem perime. Debetur tuo
Et hæc furori victima. Impavidus feret,
Ne metue, pœnas animus. Hic Sponſi cruor
Soboliſque, quo me nobilem & tinctam vides,
Stimulabit ægrum pectus, & vires dabit.
Mori ergo per Te liceat! En Sponſum audio
Natoſque: memet gaudii in partem vocant,
Quo jam fruuntur, Cœlitum æthereas ſuper
Domos recepti. Dulcibus tandem annue
Fatis potiri. *HAD.* Quæ petis tanto ambitu,

Celerare poſſem fata; nec rigidam minùs
Deſpecta Superum jura vindictam petant.
At ille, qui me Cæſarum aſcivit gradu
Trajanus, in Te cujus auguſtum genus
Nomenque veneror, retinet ultricem manum.
Vive ergo; noſtri pignus extremum hoc cape,
Trajana amoris. *TRAJ.* Tun' mihi mortem abnuas?

SCENA IX. & ultima.

TRAJANA.

Tibi, Chriſte, donec immoler tota; en mei
Pars magna, Nati; ſumma pars, conjux perit:
Totam perire quando Trajanam haud placet;
Tibi, Chriſte, vivet tota. Vos ſancti, precor,
Manes meorum, ſi qua ſollicitos habet
Jam cura; veſtrum liceat exemplum ſequi.

Finis Actus quinti & ultimi.

ADMO-

ADMONITIO.

QUæ Tria Joſephi vitam inprimis commendant, triplici Dramate complexi ſumus. Primum Joſephum à Fratribus venditum, & in Ægyptum abductum exhibet. Alterum eundem Ægypto toti Præfectum repræſentat. Tertium Fratres agnoſcentem ſuos, & ab iis viciſſim agnitum, cunctamque ejus familiam exceptam Ægypto ac locatam exponit.

Poſtulabat Hiſtoriæ ſeries, ut hæc Eventa, quo contigerunt ordine, eodem Tragœdiæ, quibus ſufficiunt argumentum, collocarentur. Verùm maluimus ſequi rationem temporum, quibus illæ datæ ſunt in Theatrum, & in lucem editæ; maximè cum Lectoris arbitrium penes ſit ſingula reſtituere in integrum, &, quod poſtremo aut medio poſitum ſit loco, id ſi voluerit, primo perlegere.

Digitized by Google

JOSEPHUS
FRATRES AGNOSCENS.

TRAGOEDIA.

ACTA LUDIS SOLEMNIBUS
Anno Dom. M.DC.XCV.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO VIRO
HENRICO FEYDEAU
IN SUPREMA
INQUISITIONUM
CURIA
PRÆSIDI INTEGERRIMO.

Non erit, opinor, Præses Illustrissime, *qui miretur, nomen hic tuum à me præfigi, qui, præter te neminem habeam, nec ſanguinis, nec amicitiæ neceſſitudine conjunctiorem: quod utrumque, quanti ducendum putem, & ſcis ipſe, & certiori teſtimonio probatum velim. Quanquam videri poſſim tibi forte confidentior, cæteriſque adeò qui te noverint lepidis pro more ſalibus indulgentem, nec mihi, nec ipſi* Joſepho *perperciſſe, quaſi auſteris Theatri legibus accommodari feliciter hiſtoria ejuſmodi non poſſet.*

Tamen nihil vereor jam provocare ad te ipſum; & quam reliquis in rebus tanta cum integritatis laude & ſapientiæ famæ æquitatem impertis, eandem Dramati qualicumque noſtro poſtulare. Equidem memini non improbatum tibi, dum ageretur in Scena: at non erat integrum parenti optimo iis Actoribus non plaudere, quos inter Henricus *ille tuus Regias partes nec ignobiliter ſuſtinebat.*

Ut ut eſt: de Joſepho *noſtro quodcumque judicium feras,* Præses Illustrissime, *hoc ero contentus ſatis, ſi vel hoc levi obſervantiæ & amoris erga te mei pignore exiſtimari poſſim.*

Devotiſſimus tibi, Gabriel Franciscus le Jay, è Societate Jesu.

PRÆFATIO.

SUnt hac ætate noſtra non pauci, qui ſtare bellè Tragœdiam poſſe non putant, niſi ſuum à Fabula hiſtoriiſve profanis argumentum, venuſtatem à mollibus Amorum illecebris totam habeat: adeoque Tragœdias in Collegiis agi ſolitas idcirco aſpernatur, quòd illæ vel careant Amore tenero, vel argumentum Sacris Literis aut Chriſtianis Annalibus plerumque acceptum debeant.

Horum ergo ſi ſervire ſtudiis voluiſſem, non jam obſequerer amicorum conſiliis, qui reddendam luci cenſuere *Joſephi Fratres agnoſcentis* Tragœdiam actam nuper in Scena, non infelici, ut ajebant, exitu, nec ſine piis ſpectatorum lacrymis.

At quoniam vidi vix ullo eos niti fundamento qui jactitant, rejiciendas à Theatro ſacras hiſtorias, nec profanas etiam placere, niſi amoris mutui ſpe intricatam habeant Fabulam; putavi errorem illum evelli ex animis poſſe: præſertim ex quo viam ſternere viſus eſt Tragicorum apud nos Poetarum nobiliſſimus; qui Dramata duo, quæ poſtrema omnium edidit, & à Literis Sacris mutuatus eſt, & amatoriis omnino ſpoliavit ornamentis.

Equidem ſcio quid objiciant ſtatim amatoriæ Fabulæ acres illi fautores. Hunc ipſum, quem laudavi modò, proferunt, reliquoſque adeò temporum noſtrorum probatiſſimos Poetas, qui potiores in ſcribendis Tragœdiis, aut aliquas ſaltem Amaſiorum partes eſſe voluerunt: quaſi Amorem præter, tragicum nihil agnoſcerent.

Tragicis Legibus Amorem vix accommodari.

Tamen nihil ejuſmodi novimus factitatum, neque à Sophocle, neque ab Euripide, quos primos Tragœdiæ parentes tam vetus quàm recens ætas agnoſcit. Imo Sophoclis Ajacem, Oepidum, Antigonem: Euripidis Iphigeniam, Tragœdias, ut reliquas omittam, uno omnium ore celebratas qui legerit, is fateri cogatur Poetas illos veteres in tractandis univerſis penè affectibus ita fuiſſe verſatos, ut Amorem unum mollem intactum reliquerint; ſive nihil deprehenderent in illo motu animi quod ſaperet majeſtatem heroicam, ſive in reliquis pleniorem quamdam uberioremque tragicæ laudis ineſſe materiem arbitrarentur.

Quod ſi à Poetis Græcis ad Latinos veniamus, occurret Seneca, quem etſi tanquam abſolutum aliquod Dramaticæ artis exemplar non propono, nemo tamen æquus rerum æſtimator negaverit, ſcripſiſſe eum plurima, quæ, ſi è ſeverioribus Theatri regulis paulisper immutentur, non ultimum inter nobiliſſimas Tragœdias habere locum poſſint; At quaſnam ille Amori, quem rejicimus, mandavit partes tot inter eximia Dramata, quæ penè integra noſtrates Poetæ ſuos in uſus exſcripſerunt? Video pertractatam ab eo diligenter in Thebaide Iram nobilem, generoſam in Thyeſte Vindictam, heroicam in Troade Dolorem, ferocem in Medea Zelotypiam, rigidam in Agamemnone Ambitionem: altum ubique molli de amore ſilentium, præterquam in Hippolyto; cujus deſiderio dum ſuccenſam Phædram exhibet Poeta, tam modeſtè id facit, tam verecundè, ut non ſua ſponte, ſed argumenti quod tractabat, neceſſitate coactus huc deſcendiſſe videatur.

Digitized by Google

Ad quid de ipſis Poetis recentioribus dicemus? Quid de magno illo Cornelio, quem detritæ jam diu ac corruptæ Tragœdiæ reſtitutorem Gallia noſtra veneratur? Is enim quanquam Epiſodia quædam amatoria, pleriſque Dramatum inſeruit: Amoris ne, an cæterorum potius affectuum tractatione ad eos, quos conſecutus eſt, plauſus pervenit? Quas illuſtriores uſquam in Scena Fœminarum perſonas adhibuit, quàm vel Corneliæ in Pompejo, vel Cleopatræ ſua in Rodaguna; quarum altera Vindictam, Ambitionem altera, alieniſſimos ab amore tenero motus præſeferunt?

Jam verò in ipſis Amantum perſonis quas elucubravit accuratiùs, quid ita demulcet ac pellicit animos, uti vel Phocas in Heraclio, dum geminos inter Principes, qui ambo ipſum dedignantur Patrem, Filium ab Extraneo nequit agnoſcere; vel Nicomedes in Tragœdia ejuſdem nominis, quem inimicorum furor extrema quæque minitantium non commovet? Eſt aliqua uſpiam Scena aut illuſtrior aut admirabilior, quàm quæ Auguſtum de abdicando imperio deliberantem in Cinnæ Fabula, vel Pompejum ac Sertorium, in Sertoriano Dramate colloquentes inducit?

Illum verò qui in exhibendis Amantum perſonis placere viſus eſt præter cæteros & feliciùs etiam proceſſiſſe, tanti non facerem, niſi amatoriis Scenis alias multò pulchriores Tragica ipſius opera ſufficerent. Ego certè Andromachen infortunatam, Hectoris ſui deſiderio nunc ſuſpirantem, modò periclitantis Aſtyanactis metu ingemiſcentem, mox utriuſque vindicandi ſtudio inflammatam, faſtidioſis Hermiones vel Oreſtis næniis prætulerim. Confectum curis ac mœrore Agamemnonem, dum filiam immolare cogitur, lamentantem ac deſperantem Clytemneſtram, cujus è ſinu abripitur Iphigenia; Iphigeniam ipſam inter parentum lacrymas pro communi bono devoventem ſe ſe, & ultra ſortem ætatis ac ſexus fortem ac conſtantem, magnis Theatra plauſibus exceperunt. Achillem maluiſſent impigrum, iracundum, ferocem, quàm amatorem. Invictum acciſis in rebus Pori animum, dignam victore ipſo majeſtatem nemo non ſuſpexit: indolentem præter modum amore Arianes Alexandrum vidimus qui minùs approbarent.

Jam ſi quæritur proprius Tragœdiæ finis, cujus eſt miſericordiam & metum in ſpectatorum animis excitare: liquet quàm parum inſit in Amore tenero roboris ad ejuſmodi motus commovendos.

Exhibetur in Scena vir Princeps, quem Patriæ charitas, ſtudium Libertatis, Propinquitatis aut Amicitiæ jura, Fides, Religio in extremum fortunarum ac capitis diſcrimen adduxere; commovetur ſtatim ſpectatoris animus, & innato piæ voluntatis ſenſu talem in virum ultro propendet. Eundem ſi ſenſerit ad graviores deveniſſe anguſtias, Amori indulgentem molliùs, aut indignabitur tam ignavum ac ſocordem heroa repræſentari, aut certè redactam ad Soccum Tragœdiam irridebit. Nam quis ferat Alexandrum, Mithridatem, Pompejum, & alios ejuſmodi viros, à quibus nihil niſi grande atque heroicum expectes, in Pamphilos, Clinias, & Clitiphones repentè commutatos?

Hinc etiam facilè quivis intelligat, quàm parum aptus hic Amor ad incutiendum animis metum, qui Tragœdiæ alter ſcopus eſt id certè multò breviùs feliciùſque confecerit, qui Tyranni impotentis furias, qui Odium,

 Iram,

Iram, Vindictam, Ambitionem, Invidiam, & alios vehementiores animi motus in Scenam protulerit.

Sacros eventus Theatro poſſe accommodari.

Nunc eximendus & eorum ſcrupulus, qui depromptam è Sacris Literis vel Chriſtianis Annalibus hiſtoriam nolunt in Theatrum dari.

Enim verò quid habet Chriſtiana vel Judaica magnanimitas, quod vel Græcæ, vel Romanæ fortitudini cedat? Commovebit nimirum ad miſericordiam ſui junior Manlius, quem rigidus plus æquo diſciplinæ militaris obſervator pater etiam victorem obtruncat: duros interim ac ferreos ſpectatores inveniet Hermenegildus, cujus eximia in tuenda Chriſti fide conſtantia patrem amantiſſimum mutavit in tortorem? Exprimet tibi Iphigenia lacrymas, dum incertis Oraculorum vocibus obſecuta morti ultro ſe devovet: Suſannam imperatoriæ dignitatis inſignia conculcantem, & Virginitatis ac Religionis ſtudio ad ſupplicium properantem ſiccis oculis aſpicies? Auguſto nullus in Theatro non applauſit dum Cinnæ cæteriſque adeo conjurantibus in caput ſuum condonat inimicitias: parem, imò illuſtriorem Joſephi in fratres ſuos magnanimitatem faſtidioſa reſpueret multitudo, ſi dignitati talis argumenti par in Scriptore nobilitas reſponderet?

Sed non convenit, inquies, Sacrorum Annalium majeſtati cum illis Poetarum figmentis, quibus quaſi totidem luminibus Actio Dramatica illuſtratur. Sit illud ſanè: numquid mirabiles ſatis eventus Hiſtoria Sacra non ſuppeditat ex ſeſe, ut fabuloſis inventis facilè careat? Quanquam cur in ipſis etiam, quæ ex ſanctioribus monumentis decerpta ſunt, Tragœdiarum argumentis, aliquatenus adornandi facultas adimatur; Si modo nihil affinxeris, quod veritatem ſacram impugnet aut labefactet, non video cur tam in ſacris quàm in profanis æqua Poetarum inventioni poteſtas non relinquatur?

Saltem Heroa ſacrum non decet illis obnoxium repræſentari cupiditatibus, quæ, dum profanis Heroibus impunè permittuntur, miram afferunt Tragœdiæ venuſtatem. Dum molles amatorioſque ſenſus exemeris, quos Heroi turpe eſt affingere, ſeu profanos ille mores ſeu ſacros colat; non peccabis contra debitam Religioni reverentiam, ſi quem ejuſmodi variis animi motibus conflictatum exhibeas.

Hominem effinge, ut voles, odio concitatum, vindictæ appetentem, gloriæ & honoris ſtudio ſtimulatum: illum nobiliſſima quæque meditantem ac molientem retineant ac morentur afflictæ conjugis orbitas, ſobolis amor, labantis ac ruentis caſu ſuo domus commiſeratio: ſcrupulum etiam injiciant ratio deſertæ propinquitatis, amicitiæ jura, fides legitimo Principi mancipata; non elevabis vel ſic neque imminues Religionis majeſtatem, ſed extolles & augebis. Quid enim ad ipſius commendationem poteſt eſſe illuſtrius, quam ſi tales viros oſtentare poſſit, qui inter varias affectuum omnis generis obluctantium moras totos ſe, & quod erat ipſis in vita chariſſimum, Religioni immolare non dubitent?

Atque utinam qui profanas amatoriaſque hiſtorias tractaſſe feliciter ſibi gratulantur, ſuam in adumbrando Heroe ſacro induſtriam collocatam vellent! Haberent illi profectò digniorem laboris ſui materiam & fructus etiam, quantumvis diffidant, uberiores! erunt certò futuris deinceps ætatibus Polyeuctus, Eſther, Athalia, perenne monumentum, quanta cum laude perſonæ ſacræ locum habere in Tragœdia poſſint.

Evul-

Digitized by Google

Evulſis, ut nobis quidem videtur, tam inanibus præjudiciis, reſtat ut de ipſius, quam edimus, Tragœdiæ argumento, etſi notiſſimum eſt, pauca præmittamus.

Venditus, Fratrum invidia, Joſephus in Ægyptum venerat. Interim Pharao turbatur ſomniis, quæ dum ſolers interpretatur Joſephus, ex felici augure factus eſt regni totius adminiſter. Cum fertilitatem ſterilitas ſubſequeretur, quod utrumque ille prædixerat; qui Chananæam incolebant Joſephi fratres, coacti fame venere in Ægyptum. Cognovit ſtatim fratres ſuos Joſephus ipſe non cognitus: at re diſſimulata, dum Benjaminum fratrem natu minimum adducerent, agnovit demum, & veteres oblitus injurias cunctos excepit Ægypto ac commodè locavit. *Quid habeat ſingulare Joſephi hiſtoria.*

Quæ ſufficit huic Tragœdiæ argumentum Joſephi fratres agnoſcentis hiſtoria, non eſt ejuſmodi, ut tanquam unius tantùm hominis, aut etiam familiæ negotium ſpectari debeat. Ea re veluti præparare viſus eſt Deus eventus illos mirabiles, quibus ab Ægypto in alias terras toti, quem elegerat, populo aditum aperiret.

Hinc divino afflatus Numine eventura olim Joſephus jam præſentiſcit, & ſe non tam ſtabiliendæ in Ægypto gentis ſuæ, quàm propagandi in aliena terra divini imperii cupidum exhibet.

Etſi autem de Ægyptiorum in Joſephum invidia nihil apertum Hiſtoria Sacra loquitur: tamen ſubſecutæ populi hujus ſuſpiciones atque odia id ſatis innuunt: quæ ſi deſint, ſufficeret vel ipſum peregrini & advenæ nomen.

Rameſſes verò apud Pharaonem Pincernis præpoſitus, qui inſtaurandum ſe brevi in gradum priſtinum, olim dum eſſet in vinculis, à Joſepho didicerat, eidem Joſepho in arcanis omnibus conſcius non temere fingitur, cum in eam ſententiam ipſi Sacrarum Literarum Interpretes ierint.

Porro quàm referant bellè magnanimitatem heroïcam, quàm varios & moratos rectè ſenſus præbeant, quæ ſacris è Codicibus erui poſſunt Tragœdiarum argumenta, licebit vel ex hac una Joſephi hiſtoria facere conjecturam.

Hinc enim oſtentat in Joſepho Heroem nullis adverſi fati caſibus fractum: quem nec iniqua ſuorum odia, nec acerba paratæ quondam mortis recordatio, nec faſtidioſa plerumque ſublimioris fortunæ gloria prohibent, quin hominum genus ignobile & Ægyptiis inviſum pro ſuis agnoſcat, & acceptas olim injurias ultro condonet.

Inde afflictam exhibet in Benjamino innocentiam, ſed erectam tamen, & præter ſortem ætatis animoſam & conſtantem.

Jam in reliquis Joſephi fratribus juſtus admiſſi in fratrem ſceleris pudor ac dolor ſe prodit, & in ſincera Joſephi probitate certa quædam fiducia.

Habes in Pharaone Virum Principem non elatum rebus proſperis, ut Proregem, cujus ſolertia fluunt ad votum omnia, parum memor aut gratus deſpiciat: non ſuſpicacem aut credulum præter modum, ut incertis rumoribus ſtatim adjiciat fidem: non captum mollibus adulantis Aulæ lenociniis, ut oppreſſæ per malas artes innocentiæ opitulari negligat.

Dum prælatum ſibi in rebus adminiſtrandis Joſephum iniquiùs patitur Amaſis, ſuam homini peregrino, quem deſtinarat perdere, ſalutem ac fortunam debere cogitur.

Denique Rameſſes docet non eſſe certiorem aut diuturnam magis amicitiam, quam quæ ſimili infelicitate parta ſit.

Atque in illa Perſonarum varietate tanta, quantam Actores hujus Dramatis ſuppeditant, non poteſt non eſſe locus ingens & tractandis affectibus nobiliſſimis, & moribus, quod in omni Fabula præcipuum eſt, diligenter erudiendis.

Felicem me! hunc ſi laboris mei fructum habere poſſim; ut qui in ſcribendis Tragœdiis primas tenent, amatoriis Epiſodiis velint abſtinere, & ſuam in re ſacra induſtriam interdum experiri.

ACTORES.

JOSEPHUS, Ægypti Prorex, Jacobi ex Rachele Filius.

BENJAMINUS, Joſephi ex Jacobo & Rachele Frater.

Joſephi ex Jacobo Fratres.

RUBENUS, Servator Joſephi, & Benjamini Defenſor.

SIMEON, Obſes pro Benjamini adventu.

JUDAS, Sponſor pro Benjamini reditu.

CÆTERORUM EX JACOBO FRATRUM TURBA.

PHARAO, Rex Ægypti.

AMASIS, Regii Palatii Magiſter.

RAMESSES, Joſephi Amicus, & in vinculis olim Socius.

MILITES.

Scena Memphi in Palatio Pharaonis.

JOSE-

J O S E P H U S
FRATRES AGNOSCENS.
T R A G Œ D I A.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

JOSEPHUS; RAMESSES.

RAMESSES.

QUÆ te in latebris tandiu incertum tenent
Agitantque curæ? geminus effluxit dies;
Ex quo alloquendi capto ſollicitus locum,
Tuoque vix dum perfrui aſpectu licet,
Quid eſſe dicam? Tene ſic totum occupet
Jam Benjaminus, nullus ut amicis locus
Deinceps ſuperſit? *JOS.* Parce; quid miſerum aſperas?
Miſereſce potiùs, & meam mecum dole
Amice, ſortem. *RAM.* Sortis adverſas vices
Joſephus inter fratris amplexus dolet?
JOS. Ah! quanta luctus inde naſcatur ſeges
Neſcis, Rameſſe .... Sed quid ulteriùs moror
Animi receſſus ultro & arcanos ſinus
Recludere? Ex quo vincla nos eadem pari
Junxere fato, quidquid abſtruſum hic fuit,
Volui tibi patere. Tu ſeriem aſperam
Solus malorum noſſe: tu ſpes & metus,
Ac, ſi quid animus rite prævidit boni,
Reſcire: latebris mox ubi per te erutus
Meliora ſenſi fata, quà licuit, memor
Penſavi amica munus acceptum fide.
RAM. Quin me nocentem potiùs & iniquum arguis?
Hæc probra merui, fateor, heu! qui te nimis
Oblivioſus carceris longo ſitu
Marcentem, & ægra mole depreſſum tuli.
JOS. Cur iſta memoras? ne tuam culpes fidem:
Impenſa abunde eſt: ſi quid injectum eſt moræ,
Ille, ille cœli rector, & mundi arbiter,

Digitized by Google

Qui librat æquis cuncta momentis Deus,
Mea ſtaret illo voluit ut pretio ſalus.
Quanquam quid iſtis tempus incaſſum tero?
Res inſtat alia; diſce jam ut dolor & metus
Amorque, varias pectus in partes trahant!
Meminiſti, Amice, fratris aſpectus mihi
Quanto cupitus ambitu, quanto datus?
RAM. Audita cœlo vota: jam fratrem tenes:
Hoc fruere longùm: fratris in gremio licet
Explere amorem. *JOS.* Quid ais? infelix amor!
Utinam, Rameſſe, liceat! in fratris ſinum
Vix irruebam, & prima tentabam oſcula
Præripere: ſubitò pueri ad aſpectum incipit
Trepidare pectus: vocis officium negat,
Torpenſque medios lingua deſtituit ſonos.
Moventur intus viſcera: injuſſi cadunt
Per ora fletus, meque, ni facerem modum
Protinùs amori, prodere invitum parant.
Avellor: heu! vis dura!.... Vidiſti hunc ſatis?
Eloquere: quantus frontis ingenuæ pudor!
Quis fulgor oculis! ut decens toto nitet,
Spiratque in ore gratia, in verbis lepos!
Ah! Benjaminus frater ut non ſit, tamen,
Nec amare puerum non queam. Quanquam eſt mihi
Etiam carendum hoc fratre: properato eſt opus,
Graviora patior: patrias cuncti ocyùs
Cedant in oras, provide. *RAM.* Hoc animo ſedet?
Et Benjamino dicis extremum vale?
JOS. Ah! ne cruentam jam ſatis plagam aſpera;
Amice, juſſa perage. *RAM.* Cur placito juvat
Pugnare amori? Pande nunc rerum abditam
Seriem: tuique tandiu fati inſcios
Agnoſce fratres. *JOS.* Quod mones utinam exequi
Liceat, vel iſtis eſſe conſiliis modus,
Adituſve poſſit! *RAM.* Quæ mora ancipitem tenet?
JOS. Quæ tenuit uſque: lubricus Regis favor:
Invidia Procerum: ſuſpicax populi metus:
Exoſa Memphis exteros, ex quo undique
Jam ſævientem ſola non ſentit famem.
Proin fluctuanti parce ſpes animo irritas
Injicere. Sortis cumulus hic demum aſperæ
Reſtabat unus! Quiſquis eſt tamen hunc feram;
Majora didici ferre: tu, ſi nos amas,
Ne Benjaminus ſubeat aſpectum cave.
RAM. Parebo: priùs at pauca dicentem, precor,
Benignus audi. *JOS.* Fare. *RAM.* Non equidem velim
Quidquam augurari triſte: ſed puero nihil
Cenſes timendum, quem tuus reliquos ſuper

Natos,

Natos, amare blandiùs fertur parens?
Qui propiùs epulas inter aſſidens tibi
Opima per te fercula ante alios tulit?
JOS. Nam quo iſta tendunt? *RAM.* Proprio expertus malo es,
Quid cæca fratrum invidia, quid demens furor
Odiumve poſſit. *JOS.* Heu! Quibus miſerum incitas
Stimulis amorem! Rurſus in fratrem audeant
Peccare? Quanquam, pone ſollicitos metus,
Funeſtum & omen: potiùs hæc tecum memor
Animo revolve, ſceleris ut puduit ſui,
Miſeraſque flerunt fratris amiſſi vices;
Cùm ſuſpicari viſus hoſtiles dolos,
Immerita in omnes durus ingererem probra.
Has ipſe, taciti voce quas patria dabant,
Hauſi querelas. *Ultor eſt cælo Deus,*
Fratres, nec iſta patimur inſontes mala;
Quos immerentem cæcus in fratrem furor
Egit nocentes: nulla quos pietas, preces,
Nec deprecantis ullus inflexit dolor.
Tamen, heu! Rameſſe, quos ſibi fingit metus
Animus amantis! haud mihi, ſi fas foret,
Puerum avocari paterer. *RAM.* Inveni modum,
Prorex: latebis, & tuo dabitur frui
Tibi Benjamino. *JOS.* Quid ais? hoc facies? fidem
Præſtabis? Ah! ſi .... *RAM.* Tu modò factum approba,
Et innocentem patere, quem meditor, dolum.
JOS. Age ergo. *RAM.* Saccum ſinguli ſecum auferunt
Refertum opima fruge: qui minimo obtigit,
In ore ſacci dexter abſcondam ſcyphum:
Quo, dum futura certus interpres canis
Solemnia inter Sacra libare aſſoles.
Vix urbe fratrum turba protulerit gradum,
Patriamque repetet læta, confeſtim inſequar:
Proculque fœdi ſceleris inclamans reos,
Siſtam fugaces. Facinus indignum abnuent:
At Benjamini poſitus in ſacco ſcyphus
Factum revincet: interim reliquos patri
Natos remittes: minimus ut furtum expiet,
Servum tenebis. *JOS.* Cuncta moderare ut lubet,
Nil moror, Amice: me tibi totum & meos
Permitto amores. Ocyùs fratres mone
Omnes ut adſint: liberam abeundi moram
Dum facio, tu rem confice.

SCE.

SCENA II.

JOSEPHUS.

ABrahamidum Deus:
Qui me beato patriæ avulſum ſinu,
Per tot labores, per tot ancipites vias,
Terris dediſti grande peregrinis decus:
Ritus profanos inter & inanes Deum
Larvas, quibus plebs credula & ficti tenax
Nil profuturis obſequi ſtudiis amat,
Meliora tibi ſi Sacra perſolvi placet;
Adeſto cœptis, & piam fraudem adjuva.
Si frater ipſa luce dilectus magis
Mihi paratur, hinc tibi cultor novus
Exſurget. Utinam læta poſteritas eat
Olim in nepotes, unicum qui te Deum
Toti & tremendum Numen Ægypto colant!

SCENA III.

JOSEPHUS, RUBENUS, JUDAS, SIMEON, BENJAMINUS, LEVI, ISSACHAR, ZABULON, DAN, NEPHTALI, GAD, ASER.

JOSEPHUS.

SPectata toti patuit Ægypto fides,
Dilecta cœlo capita: jam patrios licet
Repetere fines: ire, quas ultro dedit
Volenſque vobis Pharao Niliacas opes
Auferte. Si quid contigit durum pati,
Veſterque ſi quem fecit acceſſus metum,
Æqui bonique ducite. Ægypti ſalus,
Et læta regni fata moliri hæc jubent.
Nunc quando virtus nota, conſumptis cibis,
Noſtram licebit rebus anguſtis fidem
Probare: moneo, rurſus in quinos fames
Durabit annos. *RUB.* Quas tibi meritis pares
Grates feremus? *JUD.* Providam Ægyptus memor
Altrique mentem conſili cœlo ferat,
Quæ ſola per te fertili gaudet ſolo.
At terra Chanaan, cujus in gremium bonus
Opes refundis, uſque munificam manum
Celebrabit. *LEVI.* Hic tu publicæ æternùm audies
Vindex ſalutis. *ISSAC.* Nam quis, infelix ſeges
Per arva latè cuncta dum victum negat,

Illum

Illum tacebit, qui famem diram amovet
Noſtri miſertus? *ZAB.* Quandiu Iſacidum genus
Stabit ſuperſtes, tota poſteritas memor
Tuum uſque recolet nomen. *DAN.* O quales dabit
Tuum ore populi nomen iteratum ſonos!
NEPHT. O ter beatum nomen! Hoc pecudes agens
Mox paſtor omnis fiſtula nomen canet.
GAD. Hoc ripa diſcet omnis, hoc rupes cavæ,
Et pulſa circum nemora, valleſque & lacus
Nomen remittent. *ASER.* Gaudii cauſam novi
Si quis laboret noſſe, reſponſum hoc feret.
Quem canimus, ille fecit ærumnis modum.
SIM. Me ſervitutis pigeat haud unquam meæ:
Quin & beatos inter adſcribam dies,
Quos te jubente, fratrum ut aſſererem fidem,
Captivus egi. *BENJ.* Num mihi & ſenſus palam
Efferre per te liceat? Ah! ſi quas iit,
Magnamine Prorex, juſtus in lacrymas dolor,
Cum me ſenili genitor ereptum ſinu,
Invitus iſtas ingredi juſſit plagas:
Quantum repenſum eſt! Vidimus toti caput
Orbi verendum; vidimus per quem ſtetit,
Per quem & redempta Patriæ ſtabit ſalus.
JOS. I, cara ſoboles; repete complexus patris;
Triſteſque luctus ſoſpes aſpectu leva.

SCENA IV.

JOSEPHUS, RAMESSES, FRATRUM TURBA.

RAMESSES.

PEracta, Prorex, juſſa. *JOS.* Proviſum eſt ſatis,
Ne longiori deforet quidquam viæ?
RAM. Feci obſecutus cuncta. *JOS.* Nil ego vos moror,
Properate; veſter adſit è cœlo Deus,
Totamque ſobolem reddat incolumem patri!
RUB. Et ille, juſtas ſi preces audit Deus,
Quas tanta pietas meruit, exolvat vices!
JUD. Deus ille, decora quæ ſacrum Pharao in caput
Congeſſit, aliis cumulet! *SIM.* Et longos dies
Addat! *LEVI.* Serenos atque tranquillos dies,
Quos nullus angat, nullus obſcuret dolor!
ISSAC. Te, te ille faciat prole multiplici patrem!
Et avo nepotes aggerat ſeros Deus!
BENJ. Et ille votis cumulus accedat, precor;
Ne lucis ante munus ereptum querar,
Quam rurſum amico detur aſpectu frui!

Digitized by Google

SCENA V.

JOSEPHUS, RAMESSES.

JOSEPHUS.

QUid me jubes ſperare? vel qualem, obſecro,
Pia fraus amantis exitum tandem feret?
RAM. Confide, Prorex; rite proviſum eſt tuo
Deinceps amori. Conditus medio latet
In Benjamini myſticus facco ſcyphus.
JOS. Nunc ergo meus es! nemo te eripiet mihi,
Dilecte frater! Creſcit impatiens amor,
Meramque quanto propior optatam tenet,
Tanto invaleſcit major. *RAM.* Actutum nihil,
Tua quo ferantur vota, reſtabit ſuper.
JOS. Utinam, Rameſſe! ſed age, quod reliquum eſt, precor,
Abſolve; Fratres urbe digreſſi ocyùs
Campos tenebunt, ſequere, fugientes preme;
Et Benjaminum, quem reum furti ſcyphus
Palam arguet, mihi ſiſte. *RAM.* Mandata exequor.

Finis Actus primi.

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

PHARAO, AMASIS, MILITES.

PHARAO.

ABſiſte, fruſtra es, Amaſi; quid inanem objicis
Rumoris auram? Sentio qualem ſibi
Paucorum haberi poſtulet livor fidem.
AMAS. Livoris animo ſuſpicax abſit metus,
Invicte Princeps: quod loquor facinus palam eſt.
Vidit ſuperbas extrui indignans dapes,
Nec tacuit Aula: vidit ignotum genus
Tetroque nuper carceris clauſum ſpecu,
Fas omne præter, regio cultu excipi.
Quin ipſe medios inter accumbens, nihil
Erubuit unà capere Joſephus cibos.
PHAR. Quid iſta memoras? Ergo ſuſpectum hunc, reor,
Amaſi, facies, cujus in dubiis fides

Spect...

Spectata rebus? cui, malis præſentibus
Servata, partam retulit Ægyptus memor
Felicitatem? Plura ne incaſſum adjice:
Quidquid reponas, ſceleris inſontem mihi
Fidum & miniſtrum cuncta Joſephum occinunt.
AMAS. Quid mens futuri præſcia atque animus ſagax
Præſtiterit, ultro fateor; haud laudem viro
Detrahere meritam, facere vel dubiam fidem
Eſt animus: at ſi pauca .... *PHAR*. Nil opus eſt; ſcio
Proceres quid angat: exterus regno præeſt
Miniſter uno Rege Joſephus minor:
Aliena nam quid fingis? Hoc illis dolet:
Caput hoc malorum: nil tamen facti piget,
Nec me pigebit, Amaſi, dum tali auſpice
Optata toti ſurget Ægypto ſalus.
AMAS. Quemcumque noſtro vertici impoſitum velis,
Feremus ultro: nemo Regnantum audeat
Damnare facta: quiſquis hic fuerit tamen,
Si quidquam ab alto, magne Rex, peccet loco,
Conſulere noſtrum eſt. *PHAR*. Hanc mihi totam, obſecro,
Permitte curam: nota Joſephi indoles,
Et notus animus. *AMAS*. Nil quidem contra obloqui
Auſim: ſed unde, ſi tamen pateris, rogem
Tam charus ille, cujus ignotum genus,
Incerta patria, ſtirpis auctores latent?
His profugus olim forte conſtiterat plagis:
Mox in latebras carceris cœci abditus
Latuit pudendæ ſortis expectans vices.
Emerſus inde, ſe ſupra deinceps nihil
Niſi ſceptra liquit. Dii, precor, numquam Imperi
Olim in ruinam tantus evadat favor!
Oracla ſed enim multa Niliacis procul
Arcere terris hoſpitem externum jubent.
Plebs inde (inanis fuerit hic etiam metus)
Ex quo ſuperbum fecit hoſpitium Exteris
Joſephus, iſtum, quo ſtat elatus, locum
Animis apertè viſa non æquis pati.
PHAR. Id eſſe credam? Quidquid eſt, jam jam eruam.
Confide: Miles huc mihi actutum mone
Joſephus adſit. Men' peti inſidiis rear,
Spes unde fuerat major? *AMAS*. En infert gradum
Joſephus, abeo: melius hæc abſque arbitris
Perages. *PHAR*. Maneto.

SCE-

SCENA II.

PHARAO, JOSEPHUS, AMASIS, MILITES.

PHARAO.

Quis mihi tota calet,
Joſephe, in Aula rumor? Aut quid tam tibi
Commune poſſit eſſe cum gente extera,
Ut, ante meritis premere quos viſum eſt modis,
Tantus in eoſdem poſtmodum erumpat favor?
Priora certam merita ni facerent fidem,
Quid ſuſpicari liceat, ut ſileam, vides.
JOS. Quid iniqua poſſint odia, quas livor furens
Extundere artes ſoleat, ut perdat malè
Quotquot nocentes fecit; hoc magni potens
Per te adminiſter Imperi noram ſatis.
Aſt inſolentes ſpreveram invidiæ minas
Principis in umbra tutus. Heu! quo me impulit
Spes vana, ſi me jam reum & ſontem arguis!
PHAR. Non ille ſontem credit, aut damnat reum,
Quemcumque propria judicem in cauſa facit.
Age ergo; falſi quidquid objectum eſt, leva.
JOS. Non urit animum tanta dominandi fames,
Ut, quem obſequendi cupidus aſcendi gradum,
Illo excidiſſe verear: at caderem æquiùs,
Fateor, cadendi cauſa ſi melior foret.
PHAR. Quid monſtra fingis? Sceleris expertem puto,
Iterum iterumque teſtor; at quoniam malus
Error per urbem crevit, actutum exime.
JOS. Quando inſtitutæ poſtulor vitæ modum
Purgare culpa, quod jubes ultro exequar,
Rex magne. Non me lubricæ fallax nitor
Aulæ, negata flexit ad honores via.
Depreſſus alto carcere alienum ſcelus
Inſons luebam victima, hoc unum ambiens,
Iniqua dum quis vincula eximeret dies.
Tum varia tibi ſe monſtra ſopito offerunt:
Heu! monſtra veri nuncia! Interpres vocor,
Accedo. Coram ut adſtiti & fari datum eſt,
Rem pando: triſtes refero portendi minas:
Tamen haud ſalutis nulla ſpes aderat. Jubes
Ut imminenti promptus occurram malo,
Totaque grande nomen Ægypto facis.
Quos demum in uſus, magne Rex, vel quo exitu?
Dum fœda ſterilis vaſtitas ſqualet ſoli,
Et nulla campis ſurgit effœtis ſeges;

Digitized by Google

Tibi redundant plena frumento horrea.
Jam tota gazas mutat Ægyptus cibis,
Ultroque mox ſubibit, ut vivat, jugum.
Quin & remotis exteræ gentes plagis,
Quas dira laribus egit è patriis fames,
Properant, tuiſque pedibus affundunt opes.
Quid multa? vitæ munus, alienis, tuis,
Fati arbiter utriuſque diſpenſas: meum
Hoc porro ſcelus eſt: ſi minùs felix fores,
Rex magne, tunc & eſſe deſinerem nocens.
PHAR. Quàm læta nobis fata contulerit ſagax
Animus, & alta, qua vales, prudentia,
Joſephe, novi: quaſque promeruit vices,
Gratus rependam. Nunc age illatam tibi
Labem æmulis refunde, livorem obrue:
Ipſe, ipſe mox qua deceat, ulciſcar probrum.
JOS. Non me ultionis cœcus inſtigat furor.
At ſi libido pectus infidum mala
Stimulaſſet unquam, tempus ah! tempus fuit!
Impunè cladem cum tibi & regno ultimam
Parare licuit. Finge me juſſum loqui,
Triſteſque cœli pandere irati minas,
Tacuiſſe: tu jam fata, quæ reliquos premunt,
Eadem doleres. Nunc ubi cunctos ſuper
Altum ſuperbo vertice attingis polum,
Conſilia moveam noxia! Hic in me ſtupor
Cecidiſſet!.... *PHAR.* Ah! ne pluribus certam ſatis
Fidem approbes, Joſephe: nil quidquam ampliùs
Perquiro. *JOS.* Miſeros ergo ſolari nefas,
Quos immerentes ſuſpicax falsò metus
Vexare adegit, ipſe ni videar nocens?
PHAR. Piget ah! piget, Joſephe: tu, ſi nos amas,
Obliterari, ſi quid erratum eſt, ſine.
Injurioſum, Amaſi, rumorem labor
Sit premere, quaque commodum id fiat, ſimul
Conſulite.

SCENA III.

JOSEPHUS, AMASIS.

AMASIS.

Nil te pigeat: errorem exuit,
Vir magne, Regis animus, & meritam malè
Contaminata veritas reperit fidem.
Equidem augurabar, vera ubi virtus nitet,
Quàm fruſtra inanes livor intentet minas.

Gratare ſuperis, & tui in partem ſine
Veniat Amaſis gaudii. *JOS.* Hoc ſi debui
Redimere pretio gaudium, ſatius foret
Caruiſſe. *AMAS.* Mores gentis, averſam indolem.
Ingenium & Aulæ ſuſpicax noris modò,
Vir magne, quidquid illa jactarit, parum
Te moveat. *JOS.* Eſt, Amaſi, ſpectatum ſatis
Quid illa poſſit: nec mihi pariter latet,
Hæc Aula quantam præſtet in amicos fidem.
AMAS. Quò ſpectet, aut quem ſermo perplexus petat,
Excutere non eſt animus: at, quo res loco,
Juvare ſi quid Amaſis obſequio poteſt,
Fidum uſque pectus, & tibi addictum gero.
JOS. Permitte mihimet: nil ego alienæ indigens
Opis; nec ipſa, ſpero, cum rerum ſtatus
Poſcet, ſilebunt facta. *AMAS.* Non equidem ambigam;
At animus in te noſter exquirit locum
Aditumve, quà ſe prodat. *JOS.* Hoc unum velim,
Petamque; rebus, Amaſi, ut attentus tuis,
De me quieſcas. *AMAS.* Mene ſuſpectum æſtimas?
Egive quidquam invitus? Atteſtor polum ....
JOS. Satis ſuperque eſt: plura ſcitari abſtine:
Tot, luce in una, ſolvere ambages piget.
AMAS. Parco moleſtus eſſe: Qui profert gradum,
Tibi lætiorem, video, conſpectum offeret.
* *Seorſum.* * Et inultus ego ſim?

S C E N A IV.

JOSEPHUS, RAMESSES.

R A M E S S E S.

Vota cumulavit Deus:
Et innocentem cœlitus fraudem approbans
Tibi Benjaminum reddit: inventus loco,
Quo poſitus ante, conſcium furti ſcyphus
Devincit: ingens urget attonitos ſtupor
Fratres, ſuumque vix adhuc credunt malum.
JOS. Eheu! Rameſſe, quas mihi curas paris!
RAM. Quid quereris? *JOS.* Utinam patrio affixus ſolo
Caruiſſet iſtis Frater æternùm plagis!
RAM. Hæc vota facias? Tene jam Fratris piget,
Quem ſic amaſti? Nam quid .... *JOS.* Infelix amor!
Quæ me in pericla mittis! *RAM.* An ſubiti licet
Cauſam doloris noſſe? *JOS.* Suſpectam, putes,
Toti quod Aulæ fecerim ac Regi fidem;
Dum liberalis videor in fratres nimis,

Quos

Quos ipſe, nam me mihimet objiciunt, priùs
Tractaram ut hoſtes? *RAM.* Nam quid alienos malo
Facinore cunctos vindicas? *JOS.* Feci hoc quidem:
At quando eoſdem noverint furti reos;
Quis, Amice, Regis ſenſus, aut Procerum? *RAM.* Scelus
In Benjamino plecte, ſervitium impera:
Sic conticeſcet livor, & Fratre interim
Potieris. *JOS.* Aſt hoc nomini hærebit probrum.
Peregrina quod me turba deluſum dedit.
RAM. Dum fertur unus particeps facti puer,
Et labe reliquos ſolvis; in quemvis cadat
Tam pronus error. *JOS.* Major hinc ſurgit metus.
RAM. Quis ille? *JOS.* Ne quid forſan in pueri caput
Statuere Pharao gravius iratus paret.
RAM. Confide melius: judicem cauſa unicum
Te ſpectat; aut rem noſſe ſi Pharao velit,
Fratrem tuus præſtabit incolumem favor.
JOS. Abſcedo; tu, res tota quem teneat modum,
Scrutare: Procerum ſtudia, rumores, fidem,
Et cuncta Regis ſedulò dicta excipe.
Ego interim neſcire quod geſtum rei eſt,
Simulabo, mihi dum quidpiam certi feras.

Finis Actus ſecundi.

ACTUS III.

SCENA PRIMA.

RUBENUS, JUDAS, SIMEON, BENJAMINUS.

BENJAMINUS.

QUid vultis ultra? vel quid incaſſum loquar,
Fratres, amicam quando juranti fidem
Negatis. Iterum teſtor æthereas faces,
Imaſque cordis qui videt cœlo Deus
Latebras ab alto; ſceleris admiſſi nihil,
Animuſque furto purus inflicto vacat.
JUD. Tu ſcelere purus nempe, dum crimen palam eſt;
Tuuſque raptum ſaccus effundit ſcyphum?
BENJ. Heu! *RUB.* Quanta miſeros in mala, infelix puer,
Fratres vocaſti! *BENJ.* Pone ſollicitos metus,
Rubene: Fratrum ſalva res; unum cadit
In Benjaminum facinus; &, ſi quam Deus
Minatur, in me tota tempeſtas ruet.
SIM. At te quis egit in ſcelus tantum furor,

Eloquere? Quò non dira mortales rapis
Auri libido! *BENJ.* Pectus ut avarum fames
Stimularit auri? Credis hoc de me nefas,
Dilecte Simeon? hoc mihi verè objicis?
Non credis, aliud cogitas, aliud dedit
Huc uſque vita ſpecimen. *JUD.* Ah! larvam, puer,
Depone; fictæ novimus mentis dolos;
Fucumque deinceps facere nequicquam obſtinas:
Fatere crimen. *BENJ.* Sortis ò cumulum aſperæ!
O ſæva nimiùm fata! Men' duras pati
Non poſſe, vel dum plector immeritus, vices,
Niſi proditor, perjurus, infamis, niſi
Abominandæ fraudis incurram probrum?
Vos, ah! per iſthæc genua quæ teneo, & meis
Perfundo ſupplex lacrymis, tales, precor,
Exuite ſenſus: quidquid Ægyptus paret,
Quodcumque miſero mortis intentet genus,
Nil deprecabor: hoc mihi ſaltem date;
Ut morte in ipſa, quam peto, inveniam fidem.
Siletis! Ecquid hic ſtupor miſero occinit?
Et amica, Fratres, ora ſubtrahitis? Piget
Fratrem intueri, ſentio, & flecti piget.
RUB. Abſiſte, vincis: nam quid ulteriùs fidem,
Juda, negemus?

SCENA II.

RUBENUS, JUDAS, SIMEON, BENJAMINUS, RAMESSES.

RAMESSES.

Plectere inſontes nefas,
Dum perpetrati conſcius ſceleris palam eſt.
Ergo paternos cæteri repetant lares,
Unum manebit pœna qui reus eſt. *RUB.* Reus
Nec ille, quem tu credis. *RAM.* Hic non eſt reus,
Qui fraude ſacrum peſſima rapuit ſcyphum?
RUB. Ah! cuncta, fateor, ni quid indulges, probant
Puerum nocentem. Probra quot Fratrum tulit,
Dum nimiùm & ipſi creduli arguimus reum?
At vita ſceleris pura, fucique indoles
Inimica, mores candidi, ingenuo pudor
Natans in ore, certa verborum fides,
Et quæ modeſtas lacrymæ irrorant genas;
Vel Benjaminum reliqua ſi ſontem gravent,
Satis iſta culpa vindicant. Puerum inſpice;
Taleſne vultus pravitas unquam induit?
RAM. Quis ergo, fare, ſceleris admiſſi reus;

Si

Si Benjaminum conſcium facti negas?
Fratrumne latitat alius in turba nocens,
Suum periclo Fratris occultans nefas?
JUD. Tam turpe facinus, credis, in Fratres cadat;
Aut affatim Proregis impenſus favor
Exciderit animo? potiùs ah! tecum æſtima,
Quam non avaræ mentis incurrant notam,
Qui, ne ſolutum pro cibis pretium ambigant,
Jam duplicatam ſponte mercedem ferunt.
RUB. Quid inane, Frater, diluis fruſtra ſcelus?
Si Benjaminus crimine abſolvi nequit,
Vir magne: nos & pariter abſolvi piget.
Nihil moramur; quidquid in puerum paras,
Refunde in omnes: nemo reus eſt, aut reum
Si quem æſtimaſti, nemo jam culpa vacat.
BENJ. O Frater! ò amor! iſta te inflectant cave.
Vox hæc amantis ſcilicet, jubet hoc loqui
Fraterna pietas. Haud ego ſum equidem nocens;
Cœlum hoc, Deumque fraudis ultorem impiæ
Teſtor: ſed in me quando ſors cecidit mala
Vel immerentem; quidquid immite, aſperum
Atroxque ſecum traxerit, totum hoc feram.
Hoc finite, Fratres: forſan ultrices Deus
Pœnas repoſcit; morte dum merita cadam,
Miteſcet ira Numinis, ponet furor,
Veſtroque dira capite depellam mala.
RUB. Meliora loquere: fata quæcumque incidant
Tecum feremus, Frater; hoc ſaltem annuas,
Vir magne; & iſtam, nulla ſi ſupereſt ſalus,
Ne ferre pigeat rebus in miſeris opem.
RAM. Me veſtra pietas, veſter incendit dolor:
Proregem adibo, credite: & ſi quid preces,
Si quid valebit gratia, impendam. Interim
Tu ſequere. * *RUB.* Noſtras itane miſeraris vices?
BENJ. Valete: vitæ ponet hic finem dies;
At non amori.

* *Ad Benjaminum.*

SCENA III.

RUBENUS, JUDAS, SIMEON.

JUDAS.

Fata quò miſeros agunt,
Fratres, quid ultra plectit immeritos Deus?
SIM. Quid loqueris? ah! ne vindicem irrites Deum,
Quem ſic laceſſis. Potiùs hoc tecum exige:
Ut iſta meritos, Frater, exagitant mala:

Quos efferatas vertere in Fratrem manus
Non puduit. Etſi lentus in pœnas Deus
Quandoque, nunquam juſta deſeruit tamen
Ultio nocentes. *RUB.* Quidquid adverſum incidit,
Quodcumque patimur, verus interpres nimis
Prædixi, iniquus quando flectique impotens
Vos innocentem raperet in puerum furor.
Ipſe execrandi ſceleris ultorem Deum
Teſtatus, iras vincere incaſſum, & fera
Humili domare corda tentavi prece.
Heu! dum jaceret ad pedes noſtros puer
Joſephus, imbre plurimo irrorans genas,
Triſteſque caſus deprecans: ah! ne pias
Maculate, dixi, cæde fraterna manus!
Fruſtra omnia: preces, lacrymas, gemitus, minas,
Et vota, duri, ferrei, intractabiles
Spreviſtis. En jam manibus è noſtris Deus
Fratrem requirit! *JUD.* Sentio, agnoſco, pudet,
Frater, pigetque. Cæca quo nos impulit
Invidia! *RUB.* Sed dum querimur, ærata interim
Jam forte puerum vincula immeritum premunt,
Jam mors paratur dira. *SIM.* Cur animum abjicis,
Rubene? nondum penitus abſumpta eſt ſalus,
Ut reris: alias ſpes mihi Prorex facit.
Nil ominare triſtius; novi indolem
Expertus ipſe, frater. Ah! quoties Viri
Amicam in ipſis vinculis ſenſi manum!
Eamus ergo: flemus abjecti ad pedes
Suppliciter; aure non preces ſurda audiet.
JUD. Dilecte Simeon, ſponte, quò impellis, ſequor:
Eamus. *RUB.* O ſi facere placatum hunc Deus
Placatus ipſe vellet! *JUD.* En Prorex ſubit,
Fratres. *SIM.* Ruamus obviam. *RUB.* I, Simeon, præi.

SCENA IV.

JOSEPHUS, AMASIS, RUBENUS, JUDAS, SIMEON.

SIMEON.

Magnanime Prorex.... *JOS.* Nam quid etiamnum volunt?
Aut quid morantes video? Num cautum eſt ſatis,
Quas imperavi, ſecum ut efferrent dapes?
Eloquere. *AMAS.* Nullam fecimus juſſis moram,
Vir magne: nec quid deeſſe jam poſſit, ſcio.
Aſt impotentem gentis inviſæ ſitim
Non Pharia, totas ſi dabit tellus opes,
Exſatior. *SIM.* Ah! nil querimur; impenſus favor
Meritum omne ſuper; at .... *JOS.* Ergo quid retinet? Lares

Repe-

Repetite patrios, ſolvite Ægyptum metu.
SIM. Utinam liceret! *JOS.* Quid moræ eſt? *SIM.* In vinculis,
Heu! Frater eſt! Duraſque ni placidus vices
Miſerare .!.. *JOS.* Cur, Amaſi? *AMAS.* Compertum nihil,
Generoſe Prorex. *JOS.* Quid ſit, ut norim, edite.
SIM. Jam mœnia urbis ultima emenſus procul,
Votique per te compos, & te unum inſonans,
Seſe paternam quiſque referebat domum.
Cùm ſubitò ab urbe miles armatus ruit:
Juſſiſque celeres premere confeſtim gradus,
Abominandi dedecus furti exprobrat.
Conſtitimus: & dum nullus objectum nefas
Veretur, ultro ſinguli ſaccum explicant.
At ecce, dolus hoſtilis, an caſus fuit ....
JOS. Abſolve. *SIM.* Vocem, parce, præcludit dolor.
AMAS. Ut erudita fraude diſſimulant ſcelus!
Effare. *SIM.* Furti nulla ſuſpicio incidat:
Minimi auguralem ſaccus expromſit ſcyphum.
AMAS. Sic merita penſat noſtra maleſidum genus!
Suſpecta falsò gentis ingratæ fides?
JOS. Quiſquamne Fratrum particeps facti fuit?
JUD. O qui tremenda fontium in pœnas manu
Jaculatur alto fulmen è cœlo Deus,
Inviſa feriat capita: vel pandens ſinum
Tellus ſub umbras obruat, ſi quid .... *JOS.* Bene eſt:
Abite, nil vos teneo. *RUB.* Nec pariter nocens
Eſt ipſe Benjaminus. *AMAS.* O frontem æream
Et pervicacem! vel reluctantes ſcelus
Fatentur, & ſe conſcios facti negant!
SIM. Sic eſt tamen: per quidquid in cœlo pium eſt;
Sanctumque, teſtor. Genibus affuſos vides,
Miſereſce: Te, te gentis afflictæ dolor
Lacrymæque moveant: perdere unum non potes,
Ni tota eodem concidat fato domus.
JOS. Quid ſonte diſtet innocens, notum brevi
Palamque dabitur: interim monitos volo;
His ſi morantes rurſus inveniam locis,
Debita nocenti pœna vos pariter manet. * *Egreditur.*
SIM. Ah! patere ....

SCENA V.

RUBENUS, JUDAS, SIMEON.

JUDAS.

VIden' ut fugit! Hanc ſpem tu dabas,
Sic flectitur? *SIM.* Ne, Frater, incuſes Virum:

Equidem benignam vix ego agnovi indolem.
Sed uſitatam, crede, pietatem aſperat,
Rigidoſque mores Numen iratum facit.
JUD. At inde, fratres, pellimur, nec jam vacat
Ultra immorari: dicite, hoc rerum ſtatu,
Quid agere porro deceat? an gnati aſperum
Caſum Patri feremus? *RUB.* Ah! miſerum obruet
Luctus parentem! nam quot in lacrymas iit,
Cum Benjaminum plurima victus prece,
Suos amores, traderet Fratrum in manus?
Heu! dura jam tum viſus infelix ſenex
Timere nato funera! *SIM.* Et patrium audeas
Subire vultum, Frater? aut ſperas notam
Vitare facti, dum caret nato pater?
Dilecte Juda, ſcelere cum noſtro perit
Joſephus olim, credulo illuſum eſt Patri.
Jam Benjaminus fraude cum aliena occidit,
Vel innocentes cauſa dicemur necis.
JUD. Certam parenti veritas faciet fidem.
SIM. Nullam parentis luctus admittet fidem.
JUD. Saltem probabit omnium inſontes dolor.
SIM. Unius æger arguet ſontes dolor.
RUB. Et Benjaminus interim mortem oppetet
Deſertus, indefenſus? Hoc fratres ferant?
Non ſi cruentæ mortis incutiat metus
Prorex; & in me totus exundet furor;
Tamen hinc revellar. *JUD.* Fratris hoc ſtaret ſalus.
Rubene! lucis non ego tantùm appetens;
Aut emori tam grande crediderim malum.
Sed quid juvabit? credis, hoc pueri caput
Servare pretio liceat? *RUB.* At ſaltem emori
Dabitur. *JUD.* Nil repugno, te, Frater, ſequar,
Quemcumque tandem memet in caſum trahis.
SIM. Nec reliqua Fratrum turba conſilium improbet.
RUB. Adeamus illos, Frater. *JUD.* O utinam ſcelus,
Fundendus ultro ſanguis antiquum expiet;
Nobiſque, vel dum plectit, ignoſcat Deus!

Finis Actus tertii.

Digitized by Google

ACTUS IV.

SCENA PRIMA.

JOSEPHUS, RAMESSES.

JOSEPHUS.

Quo res loco ſunt? Ecquid auditum refers,
Quis fervet Aula rumor? an motus graves
Furti per urbem fama vulgati ciet?
RAM. Silere potiùs liceat æternùm! Piget
Narrare, quales uſque meritorum immemor,
Et quam ſiniſtros Aula rumores ferat.
JOS. Age imo: quidquid noſtris, actutum doce:
Non imparatum pectus invenient mala.
RAM. Nihil morarum eſt: efferam invitus licet
Quæ timida nunquam lingua voluiſſet loqui.
Pars te occupatum gentis infidæ dolo
Conqueſta, ſegnes providæ mentis moras
Incuſat; alii patriam inſidiis peti
Clamant, & hoſti liberam inquiri viam.
Alii malignos arte ſimulantes metus
Phario parari dictitant cladem ſolo;
Fraudiſque vel te conſcium arcanæ, palam
Impune jactant. *JOS.* Credulas nam quò metus,
Livorque mentes adigit! *RAM.* Has turbas movet
Tacitaſque ſubdit Amaſis odiorum faces.
JOS. Comperta loqueris: Jam viri nota indoles.
Scio quò feratur. Sed age qua demum putas,
Quotquot feruntur, Pharao rumores fide?
RAM. Didiciſſe nondum id licuit: at certum hoc habe
Quod rerum in iſto cardine, oblitus ſui
Non conquieſcet Amaſis; ac lentas nimis
Si Regis iras ſentiat, populi metus
Obtrudet. *JOS.* Ecquid noſtra penſantem male
Officia, gentem iniquam & inviſam moror?
RAM. Injuſta, prorex, odia, livorem & metum
Verbo vel uno premere, ſi lubeat, potes.
JOS. Ut Gentis hujus indolem noſti parum,
Amice! fac me Patriam & genus & domum
Regere tandem: tu novos, credis, metus
Numeroſa Fratrum turba non faceret? Tamen
Aliter probari dubia niſi Regi fides,
Niſi amoveri capite fraterno queat
Inſtans periculum; quidquid occultum latet

Reſe-

Reſerabo. Meliùs cuncta dum ſe ſe explicent.
De Benjamino, Fare, quæ noſti, precor,
Agedum, ſiniſtras ſortis adverſæ vices
Quo ferre vultu viſus infelix puer?
RAM. Ingemuit equidem, ſæpe conteſtans Polum,
Animumque diro crimine obſtrictum negans.
Sed cura Fratrum gravior afflictum obruit;
Dum quiſque luctu perdito triſtem obſtinat
Sortem occupare Fratris. Hinc miſerum metus
Exanimat, inde ſtimulat impatiens amor.
Ac, ſi patentem nactus huc aditum foret,
Hunc cauſa Fratrum ſupplicem dudum ad pedes
*Foris ſeparatim. Egiſſet. *BENJ.* * Ah! dum morior, extremùm, obſecro,
Proregis ante genua ut amplectar, date.
RAM. Vox Benjamini eſt, ſentio; admitti petit.
JOS. Quid agam, Rameſſe? quò ferar? tales, putas,
Perferre vultus ut queam? injuſſæ fluent
Prodentque memet lacrymæ! Abrahamidum Deus!
Retegere ſenſus donec arcanos juvet,
Animum labantem ſuſtine, & placitum preme
Latebris amorem.

S C E N A II.

JOSEPHUS, RAMESSES, BENJAMINUS.

BENJAMINUS.

QUæ genas lacrymæ irrigant
Magnanime Prorex, quaſque, ſuppliciter tuis
Genibus volutans, fundo ſollicitas preces;
Parata miſero fata, ſortemve ultimam
Nil deprecantur. Ac licet cœlo unicus,
Quem veneror, & qui pectoris latebras videt
Me ſcelere ab omni norit expertem Deus;
Tamen nihil recuſo: quamcumque irroges
Pœnam innocenti, quodlibet lethi genus,
Ultro ac volens ſubibo; nil in me eſt moræ.
At criminis quos nulla perſtringit nota,
Cur pœna Fratres ſimilis inſontes premat?
Permitte patrium regredi incolumes ſolum.
JOS. Quis retinet autem? *BENJ.* Retinet infelix amor
Fratriſque miſeri caſus. *JOS.* Et noſtra interim
Gens perduellis exequi imperia abnuat
Impune? meritis pœna par cunctos manet.
BENJ. Ah! parce; veniæ ſi quis eſt uſquam locus,
Meruere, ſola quos facit pietas reos.
*ad Famulum. *JOS.* I *, contumaces ſiſte quam primum: veto

Ab

Ab urbe ne quis efferat deinceps pedem.
BENJ. Si quam irrogare fratribus pœnam voles
Abitum minare: ſumma votorum omnibus,
Quaſcumque tandem rigidus intentes minas,
Perſtare. *RAM.* * Fratrum flebilem turbam vides
BENJ. Heu me!

* *Joſephi Fratres intuens.*

SCENA III.

JOSEPHUS, RAMESSES, BENJAMINUS, JUDA, RUBENUS, SIMEON,

JOSEPHUS.

MOleſtas rurſus hic agitis moras,
Poſt juſſa, poſt imperia? *RUB.* Quod liceat, jube,
Generoſe Prorex; te penes vitæ ac necis
Jus omne; flammas, vulnera, & diras mali
Doloris artes, quemlibet mortis gradum
Propone. Noſtro ſanguinis quantum in ſinu
Fervet, volentes dabimus: at patrios lares
Repetere, Fratrem vincla dum inſontem gravant,
Dum mucro fortè barbarus jugulo imminet;
Ignoſce, cauſa hæc una ſi juſſis facit
Minùs obſequentes. *BENJ.* Cur meos etiam aſperas
Rubene, luctus? Unus in pœnas ſatis
Ego ſum: cruoris unus explebo ſitim.
Cur triſte fruſtra tota gens fatum luat?
Miſereſce, Prorex; impotens amor & dolor
Veſana cunctis cardine hoc rerum ingerunt
Conſilia. *JOS.* Meritas, ite, ſi noxæ piget,
Remitto pœnas: ſolus hic furti reus
Totum expiabit ipſe, quod fecit, nefas.
At abite celeres, jubeo: ni Memphi procul,
Veſper cadentem quando componet diem,
Vos occuparit, protinus qualem decet,
In pertinaces ſtatuo pœnarum modum.
Ceſſatis? *JUD.* Ergo Frater addatur comes;
Fineſque redeat ſoſpes ad patrios ſine.
JOS. Non patiar. *JUD.* Ergo ne, precor, reditum impera
JOS. Abſcedite, iterum jubeo; necquicquam moras
Trahitis inanes. *JUD.* Nam quid obſequium exigis,
Quod non valemus exequi? Heu! noſtras Pater
Cum te jubente traderet Fratrem in manus,
Simul obligavit jure jurando fidem,
Ne quis paternæ limen attingat domus;
Niſi ſenectæ dulce ſolamen ſuæ
Puerum reducat. Jam quis aſpectum Patris

Subi-

Subire, vel quis ruere in amplexum audeat,
Dum Benjamini flebilem caſum afferet?
BENJ. Ite, ite, Fratres; ponite injuſtos metus;
Vos quando reduces cernet & ſalvos parens,
Noſtram æquiùs, ſperate, jacturam feret.
RUB. Te perditum, inquis, genitor ut patiens ferat
Suos amores? Nempe jam menti excidit,
Quot ille gemitus, quot dedit lacrymas; ſinu
Cum tu implicatus intimo, & collo ſuper
Affuſus, inter oſcula, heu! fati inſcius
Et diceres extremum & exciperes vale?
Quin & parentis repete ſermonem memor,
Quem rupta multo lingua ſingultu dabat.
Tibi læta, Nate, cuncta perficiat Deus!
At ſi, quod abſit, rigidus alienis manet
Te caſus oris, tumulus excipiet Patrem.
BENJ. Rubene, miſeræ ſobolis infelix parens
Si fortè doleat fata, ſolamen feres:
Tuique noſtrum liberi implebunt locum.
RUB. Si moreris, heu! quid liberis fiet meis;
Quos ipſe retinet obſides pro te Pater?
Ah! ni redis, periere. *JUD.* Quid vitam traho
Et ipſe, cujus debitum morti caput,
Niſi ſoſpitem te reddam & incolumem patri?
SIM. Quodcumque miſeris mortis intentes genus,
Optanda veniet: nam quis afflicti ſenis
Iram, querelas, probra, luctus & necem
* Seorſum. Oculis tueri poſſit? *JOS.* * O Fratrum bene
Mutata demum pectora! *SIM.* An pueri vices
Prorex verende, nullus è tot Fratribus
Subire per te poſſit? Hæ dudum manus
Niliaca ferre vincla didicere; hoc caput,
Cervixque Phario deprimi aſſuevit jugo.
Me redde latebris: quidquid eſt vitæ ſuper,
Totum hoc profundo carcere abſtruſus traham:
Vel ſi cruore decuit aboleri nefas,
Effuſus ibit mille per plagas cruor.
RUB. Eadem precamur ſinguli; quotquot ſumus,
Se quiſque cadere victimam in lucro putet.
* Seorſum. *JOS.* * Quid video? vigilas anime? quo Fratres ame
Olim furentes Fratris in vitam rapis?
Trepidare pectus ſentio. *RUB.* Ergo unum elige,
Qui vincere iras ſanguine offuſo queat.
* Seorſum. *JOS.* * Heu! quanta patior! *JUD.* Una ni ſatis eſt nec
Mactanda, Prorex, victima; en ſe multiplex
Tibi ſiſtit ultro: quam voles, mortem irroga;
Nihil queremur; certa dum Fratri hinc ſalus
Veniat, & ævo vivat extento parens.

BENJ.

BENJ. Proh! ſancta pietas! ſorte me dignum aſpera!
Mea fata meritum, mortis injuſtæ ſorem
Si cauſa, vel ſi præmium! Indignas preces,
Magnanime Prorex, abjice: hic melius Tibi
Sanguis litabit. Tuque fatorum arbiter,
Caſus in iſtos qui vocas me me, ò Deus!
Vel immerentem plecte; ſi placitum eſt; nihil
Recuſo: dum ſors illa quæ miſerum opprimet,
Eadem innocentes ne ſimul Fratres premat.

SCENA IV.

JOSEPHUS, AMASIS, RAMESSES, RUBENUS, JUDA, SIMEON, BENJAMINUS.

AMASIS.

DElatam ad aures Principis, Prorex, fero
Cauſam nocentum: plura ſcruteris vetat,
Futurus ipſe cognitor facti. *JOS.* Bene eſt.
Regi obſequemur, Amaſi.

SCENA V.

JOSEPHUS, RAMESSES, RUBENUS, JUDA, SIMEON.

RUBENUS.

NE lapſis opem
Afferre pigeat rebus: afflictam domum
Tutare, Prorex. *JOS.* Judicem nacti bonum
Juſtumque, & æqua lance penſantem omnia,
Confidite. *BENJ.* Hæc me tota tempeſtas petit:
Alium, obſecro, ne feriat. *JOS.* Huc aliquis gradum
Acceleret. Intro ducite, & cunctos ſimul
Servate, Regis juſſa dum ſeſe explicent.

Digitized by Google

SCENA VI.

JOSEPHUS, RAMESSES.

JOSEPHUS.

Jam petere frenis liber excuſſis amor
Erumpat intus: da brevem lacrymis moram,
Amice. *RAM.* Senſi pectoris curas pii,
Dum Benjaminus fata nil veritus ſua,
Arcere duram Fratribus multa prece
Sortem obſtinaret. *JOS.* Sed age, num reliquos parum
Dignos amari credis? aut nil te movet
Amica Fratrum pugna; dum quiſque invicem
Pro Benjamino devovet letho caput?
Ah! vetera talis odia nil animus ſapit!
Poſuere mores efferi, invidiæ lues
Abſceſſit omnis. Vincor; affectu pari
Trahitur in omnes animus, & latebris amor
Prodire geſtit. *RAM.* Igitur arcanos paras
Vulgare caſus? *JOS.* Sic ratum eſt: ultra piget
Simulare. Rerum pandet hic ſeriem dies:
Ac ſi vel iſto, quo fui poſitus, gradu
Fuerit cadendum; Regis incertam fidem
Firmabo: triſtes capite fraterno minas
Avertam, & ipſi, poſt tot adverſas vices,
Aliquid amori dabimus. *RAM.* Hæc utinam Deus
Cumulet ab alto vota! *JOS.* Tu mundi ſator,
Hominumque, ſolo fata qui nutu regis;
Si quam recludis me duce Iſacidis viam
Terras in iſtas; oro, qua ceptum eſt, opus
Abſolve: placidus Pharao Joſephum audiat;
Ultroque noſtrum excipiat Ægypto genus.

Finis Actus quarti.

ACTUS V.

SCENA PRIMA.

PHARAO, AMASIS, MILITES.

PHARAO.

O Mitte plura perſequi: hortatu nihil
Indigeo: Pharii lætior facies ſoli,

Florens

Digitized by Google

Florenſque reum copia (effœtis ſeges
Dum latè in agris moritur, & victum negat)
Quot ſuſcitarit æmulos, novi ſatis.
At jam peregi cuncta mecum animo priùs;
Secura ne quid pacis optatæ otia
Turbare deinceps poſſit. *AMAS.* Æternùm tibi
Hac mente firmas ſceptra: quamprimum malo
Occurre: tarda ſæpe poſt longas venit
Moras medela. *PHAR.* Ne time: infidum genus
Si machinatum noverim hoſtiles dolos,
Per ſceptra juro, quas decet, pœnas dabit.
AMAS. Nec iſta vanos cauſa prætendit metus;
Syria quod illis patria: jam Gazam Syri
Tenent, & Aſcalona: jam tumidum feris
Victoribus ſubjecit Azotum caput;
Et, quidquid uſquam littori Iſiaco adjacet,
Servire didicit. Ne brevi Ægypto ingruant,
Invicte Princeps, conſule. *PHAR.* An vinctos habet
Carcer nocentes? *AMAS.* Iſte Joſephum labor
Spectavit. *PHAR.* Hoc tu viſe, & actutum refer:
Tecumque ut adſit, Amaſi, Joſephus, mone.
AMAS. Rurſum imminentem, ſi poteſt, cladem reis
Avertet. *PHAR.* Hunc ſi ſenſero admiſſum nefas
Foviſſe, & ipſe vindicem agnoſcet manum.

SCENA II.

PHARAO, MILITES.

MILITES.

QUò ſuſpicaces credulum in præceps metus
Animum volutant? Ergo Joſephum abjicis,
Dubioque præſtas temerè rumori fidem?
Ten' lætioris, Pharao, jam fati piget?
Nam cujus ille ſceleris arguitur reus?
Gentem tueri perfidam, hoſtilem impiam,
Noſtriſque regnis fortè meditantem dolos
Jactatur. At, quo teſte? Amaſi ſcilicet,
Quem livor urget tacitus, atque odium impotens
Exſtimulat. Animo nil tamen Amaſis malo
Peccarit; ipſe numquid inflictum ſatis,
Præſente te, probante, diſſolvit probrum
Joſephus. Atenim quid loquor? tetrum nefas
Diſſolvit; agedum, quomodo tandem? ſcelus
Eluſit, at non diluit: verbis datam
Extorſit aſtu plurimo, haud fecit fidem.

Quid

Quid ſtatuis anime? Abſolvis, an damnas reum?
En ipſe *: viden' ut multa meditatus ſubit,
Tacitaque volvit mente! ſcrutemur virum.

* Joſephum intuens.

S C E N A III.

PHARAO, JOSEPHUS, AMASIS, MILITES.

P H A R A O.

PEregrina inanes turba faciebat metus!
Sic luderis, Joſephe; ſic gentem malam
Dum protegis, foveſque, Niliacam interim
Impune fraudis pandis hoſtili plagam.
JOS. Quiſquamne miſeram perfidi fontem doli
Gentem revincit? num quod imperio nefas
Molita, cladem ſtruere & exitium parat?
PHAR. Armatus hoſtis nempe niſi Memphim irruat
Ferrumque & ignes portet; Ægypto nihil
Credis timendum? regiam expilent domum;
Furtimque raptas auferant gazas, leve eſt.
Medio ſuperbæ prodeant gentis ſinu,
Quam fata regni proſpera incendunt, leve eſt.
JOS. Etiam ſua illos Patria ſuſpectos facit,
Invicte Princeps? *PHAR*. Tun' Syro innatos ſolo
Neſcis? & iſto nomine exoſos mihi
Regniſque? *JOS*. Vidit Syria naſcentes quidem,
Fateor: at illis nec Syrum tamen eſt genus,
Nec fœdus nullum gente cum tali fuit,
Affinitaſve. Sanguine Abrami ſatos
Novi nepotes: ille cognatam domum,
Ultroque fines deſerens patrios, Deo
Jubente, ſedes quærere externas novus
Properavit exſul, & Syri partem ſoli,
Deſerta Chanaan, proprios fecit lares.
PHAR. Quid eſſe dicam? vel quid incertus loquar
Joſephe? Notam ſentio gentem hanc ſatis;
Sed unde noris non liquet. Tibi jam imputa,
Si tam ſiniſtros Aula rumores ferat;
Dum, quos deceret plectere, imprudens foves.
JOS. Plecti innocentes æquitas, Princeps, vetat.
PHAR. Plecti nocentes Imperi leges jubent.
JOS. Nequeunt nocentes eſſe, qui culpa vacant.
PHAR. Suſpecta populis non vacat culpa fides.
JOS. Eximere vitio, cum voles, poſſum fidem.
PHAR. Loquere ergo. *JOS*. Prius at, oro, ſemoti arbitri

Pau-

Paulum relinquant liberam fandi viam.
PHAR. Abſcede, Miles; Amaſi, tantiſper loco
Decede, jam te revoco.

SCENA IV.

PHARAO, JOSEPHUS.

JOSEPHUS.

Ne fontem argue,
Invicte Princeps: Gentis externæ domum
Patriamque, caſus, facta, ſtirpemque ultimam
Si noſſe videor: commodam vel ſi manum
Miſeris tetendi: nil tibi quidquam, aut tuis
Hinc metue regnis; eſſe quos hoſtes putas,
Fratres mei ſunt. *PHAR.* Quas mihi ambages canis?
JOS. Ignoſce: vera loquimur: ambagis nihil.
Dum tegere clauſo licuit arcanum ſinu,
Silui: ſilerem nunc quoque, & tenebris adhuc
Premerem ſub altis fortis ambiguas vices
Triſteſque caſus; ſineret in dubium fides
Vocata, populi rumor, Ægypti quies,
Salus meorum. *PHAR.* Diſſitas quis te in plagas
Joſephe, caſus egit, & patrios lares
Coegit unum liquere? *JOS.* Eheu! quid rogas?
Meminiſſe refugit animus: etiamnum, precor,
Silere liceat. *PHAR.* Quidquid eſt, his auribus
Committe: fido pectore arcana occulam.
JOS. Ah! ne iſta, fortè quæ loquar, placidum aſperent!
PHAR. Confide: *JOS.* Puerum blandiùs quondam Pater
Amabat: & me, ſive ſpem præter, ſeni
Quòd obtigiſſem, ſive quòd nuptæ recèns,
Primumque amatæ conjugis pignus forem,
Sæpe inter ulnas & ſuo affuſum ſinu
Bonus fovebat. Hinc mihi primum extitit
Caput malorum: hinc livor, hinc odium impotens
Fraterna ſtimulans pectora in me commovet.
Accepta deindè ſomnia in pejus, Deo
Monſtrante viſa, dum puer narro, acriùs
Odia incitarunt: perieram, & nacti avium
Me deſtinabant impiæ Fratres neci.
Tamen miſertum eſt: & pudor nondum bene
Extinctus omnis tenuit armatas manus.
PHAR. Tantuſne Fratrum corda præcipitet furor!
JOS. Utinam hic quieſſet! *PHAP.* Nam quod ulterius nefas

Digitized by Google

Supereſt inauſum? *JOS.* Forte per eandem ſuas
Merces agebant Iſmaelitæ viam.
Mora nulla, tales, vile mancipium, in manus
Traditus, ad iſtas appuli demum plagas.
Hìc me coemptum Putifar, obſequio brevi
Contentus, ultro flebili exemit jugo.
Aſt impudicæ conjugis captus dolis
Vinctum tenebat carcere: hinc per Te erutus
Meliora ſenſi fata. *PHAR.* Proh! rerum vices!
Vitæ innocentis tutor eſt certè Deus,
Idemque vindex ſceleris, agnoſco! *JOS.* Interim
Urgere ſterilem cœperat Chanaan fames:
Alimenta Fratres mittit empturos Pater.
Primum ut videre licuit, agnovi ſtatim,
Non agnitus tamen ipſe: mox ſimulans metum,
Seu ſuſpicarer aliquid hoſtilis doli,
Excutere cœpi plurima: hinc patrem audio
Adhuc valentem vivere: uterinum domi
Natum eſſe fratrem. Pectus inflexit puer:
Vultus tueri placuit: accitur, venit,
Mihique coram ſiſtitur. Vidi: at ſatis
Non fuit amanti; juſſit indulgens amor,
Ut innocentes necterem abeunti moras.
Ac, ne qua fortè cauſa deficeret; Scyphus,
Scyphus ille, deinceps tot querelarum caput,
Summo puelli ſacculo furtim abditur.
PHAR. Bene eſt: amanti gratulor: Fratrem hunc tibi,
Joſephe, habebis: ceteri pœnas luent.
JOS. Nam quas? Dolumne rurſus hoſtilem times?
PHAR. Quas fratricidis debeo: ultricem manum
Crimen nefandum poſcit; ultoris vices
Implebo. *JOS.* Potius ah! precor, tecum id puta;
Quod ille, cujus numen eſt cœlo, Deus
Fratrum per iſthæc odia conſultum meæ
Voluit ſaluti. *PHAR.* Quiſquis eſt tandem hic Deus,
Joſephe, meriti gratiam impenſis, feret,
Pœnam nocentum. *JOS.* Pœna quam iratus paras,
Etiam innocentes obruet: non omnium eſt
Hæc culpa: ſunt, quos noſter inflexit dolor:
Quod vivo; fratrum munus eſt; vitam dedit
Fraterna pietas. *PHAR.* Igitur inſontes mihi
Nocentibus diſtingue. *JOS.* Men' Fratrem putas
Id poſſe? grati pignus hoc animi feram
Natus parenti, ſobolem ut exciſam audiat,
Præſente me, volente; dum noſtras adhuc
Luget tot annos, fortis ignarus, vices?
Da, da perennes potiùs afflicti ſenis

Sicca-

Siccare lacrymas: gaudeat natis pater
Per me receptis; ſi quid obſequio poteſt
Meruiſſe; te Joſephus hoc unum rogat.
PHAR. O! dignum amoris ſpecimen! Huc greſſum ferat
Amaſis.

SCENA V.

PHARAO, JOSEPHUS, AMASIS, MILITES.

AMASIS.

Adſum. *PHAR.* Quid velim, jam jam ſcies;
Paullum operire. Miles, i, gentem exteram
Suis catenis ſolve, totamque ocyus
Huc ſiſte turbam. Sunt tui: Fratres habe,
Joſephe, poſt tot fortis ærumnas graves
Fruere receptis. *AMAS.* * Nam quod attonitas ferit — * Seorſum.
Mihi fulmen aures. *JOS.* * Patere munificam ut manum — * Ad Pharaonem.
Ampleↄar. *PHAR.* Hic eſt, Amaſi, & Ægypto & mihi
Hoſpes timendus? Imperi hoſtes hic fovet?
Quò te impotens invidia, quò cœcus furor
Rapuere? Numquid inclyto talem viro
Inferre labem puduit? ... Ulciſcar probrum,
Joſephe. Procul hinc vile, deſpeↄum caput
Rape ad necem, Satelles. *AMAS.* * Ah! parce, obſecro, — * Supplex ad Joſephi genua.
Prorex verende, genibus affuſum vides;
Miſereſce. *JOS.* * Ne quis oro, tam lætam diem — * Ad Pharaonem.
Letho cruentet: gratiæ hunc cumulum peto.
Ignoſce. *PHAR.* * Tibi ſic cunↄa pietatem occinunt. — * Ad Joſephum.
Agnoſce * vitæ munus, & grates habe; — * Ad Amaſim.
Vives. *AMAS.* Dies me nullus immemorem arguet.
PHAR. * Tibi nunc tuorum dum frui amplexu licet, — * Ad Joſephum.
Unum viciſſim Rex peto. *JOS.* Quod vis, jube.
PHAR. Tibi tuiſque pandit Ægyptus ſinum,
Joſephe: Fratres ergo, longævus pater,
Nati, nepotes, tota conveniat domus:
Partiſque per te gaudeat mecum bonis.
Abſcedo. *JOS.* Quæ par gratia egregiis poteſt
Tot eſſe meritis?

Digitized by Google

SCENA VI.

JOSEPHUS.

Summam votorum attigi;
Ille, ille, qui me Fratribus deinceps meis
Mihique Fratres reddat, illuxit dies.
O me beatum! Vos ò irarum procul
Stimuli, catenæ, ſervitus, carcer, probra,
Et quas tot annos pertuli ærumnas, date,
Date locum amori! quid loquor? Tu me, ò Deus,
Qui noſti, & imas pectoris latebras vides,
Adeſto teſtis, ſi qua ſtimulatum egerit
Vindicta pectus! Quin age: amplexus juvat
Demum in beatos ruere ... * Succedunt: tremo.
Quatit æger artus: obſtupent oculi ſolo
Defixi, & ora triſtis obnubit dolor.

* *Fratres intrant.*

SCENA ULTIMA.

JOSEPHUS, RUBENUS, JUDA, SIMEON, BENJAMINUS, LEVI, ISSACHAR, ZABULON, DAN, NEPHTHALI, GAD, ASER.

JOSEPHUS.

Simulaſſe ſatis eſt: prodit impatiens amor,
Et longiores rumpit exoſus moras.
Joſephus ego ſum ... Mentis abſcedat ſtupor:
Nil fingo: Fratrem cernitis: fratrem bene
Conſperſa lacrymis ora, ſi taceam, probent.
Adeſte, Fratres; noſtra nunc ſe ſe explicent
Tam longa poſt exilia, & ambiguas vices,
Conceſſa tandem gaudia! *RUB.* Eheu! *BENJ.* Frater eſt
Joſephus? *JUD.* Ubi ſum? *SIM.* Si quod eſt fulmen Polo,
Feriat nocentes! *LEVI.* Lucis inviſæ piget!
ISSAC. Occidimus! *ZAB.* Actum eſt! *DAN.* Meruimus! *NEPHT.* Cur non priùs
Licuit perire? *GAD.* Cur nec inſontes licet?
ASER. Mors, cauſa mortis abſit, in pretio foret.
JOS. Unde ille gemitus, iſta quem, Fratres, petunt
Lamenta? *JUD.* Fratres impios, nefarios,
Abominandos, atque carnifices petunt.
RUB. Ah! perime cunctos; quodlibet lethi genus

Statuiſ

Statuiſſe placeat fontium in pœnas, pati
Graviora decuit. *JOS.* Ergo metuendus ſuper
Joſephus? Heu me! Frater eſt: dulce ò nimis
Blandumque Fratris nomen! injuſtos metus
Abjicite, luctui ponite & lacrymis modum.
SIM. Nam quæ cruoris copia elueret ſcelus?
JOS. Doluit, abunde eſt: quidquid in Fratrem piget
Peccaſſe, mentis opus id æternæ fuit.
Ille, ille cœli rector & mundi arbiter,
Qui noſtra nutu fata moderatur Deus;
Per iſta, quies me tandiu afflixit, mala,
Vobis parabat certam in Ægyptum viam.
Juvat paterno turpiter pulſum ſolo
Erraſſe profugum: carcere in cœco juvat
Traxiſſe vincla: nempe ni profugus forem
Hodie feraci ditis Ægypti plaga
Fratres carerent! nempe niſi vinctus forem,
Famulare collum ſubderent Fratres jugo!
Dulces catenæ! dulcis exilii labor,
Secura vobis unde contingit ſalus!
Siletis? aut nil lugubrem præter ſonum
Implebit aures? Sed quid ulteriùs, precor,
Fratres, coire pectori pectus vetat?
Accedite. Ecquis oſculum primus feret?
Tun', Benjamine, Fratris amplexum fugis?
Præire ne te pigeat. *BENJ.* Ad ſacros priùs,
Generoſe Prorex, patere ut advolvar pedes.
JOS. Aſſurge, Fratrem amplectere, in pectus rue:
Meliùs amorem, Frater, hinc longum ebibes.
Huc involate pariter, & collo manus
Rubene, Juda, nectite! ah! nunquam excidet,
Ambos ut in me ſenſerim quondam pios.
RUB. Quid vetera refricas vulnera? *JUD.* Hoc voti caput,
Obliterari turpe ſi pateris nefas.
JOS. Tu, care Simeon, ſi quid in vinclis fuit
Gravius ferendum, parce. *SIM.* Felix ò nimis
Hac ſorte Simeon! alia meruiſſent manus
Geſtare vincla: quæ tuli, impatiens dabat
Hæc amor. *JOS.* Adeſte nunc quoque; Iſſachar, Levi
Et vos, Zabulon, Nephtali, Gad, Dan, Aſer,
Dilecta Fratrum capita; ſinceri hæc, precor,
Vel levia amoris pignora, & fragiles notas
Excipite; vobis intimi cordis ſinus
Utinam paterent! *RUB.* Ergo ſic te vindicas,
Dum te, tuoſque vincis! *JUD.* Hoc pretio bonus
Inimica penſas odia? *JOS.* Quid trahimus moras?
Ite, ite Fratres: perditum luctu patrem

Læto beate nuncio: invalidum licet
Adducite: illum tota comitetur domus,
Sterilisque Chanaan triſte deſtituat ſolum.
Ultro feracis copiam Ægypti facit,
Sedemque Pharao propriam hìc vobis parat.
Adeamus una Regem, & affuſi ad pedes
Grates feramus. *SIM.* O amor! *JUD.* O felix dies!
BENJ. O ſoſpitalis! *RUB.* O tuis ſemper Deus,
Cum plectis, & cum parcis, ex æquo bonus.

Finis Actus quinti & ultimi.

Digitized by Google

JOSEPHUS VENDITUS A FRATRIBUS.

TRAGOEDIA

ACTA LUDIS PRIORIBUS
Anno Dom. M.DC.XCVIII.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO VIRO
CHRISTIANO FRANCISCO
LAMONIO
IN SUPREMO GALLIARUM SENATU
Præſidi Inſulato.

Quem habere JOSEPHUS *Patronum impenſiùs ambiat*, VIR ILLUSTRISSIME, *quàm eum, quem Æquitas ipſa tanto Reipublicæ commodo multos per annos patronum experta eſt; & quem ereptum ſibi etiamnum doleret acerbiùs, niſi de patrono Æquitatis, ejuſdem arbiter ac judex factus eſſes.*

Fuit primis vitæ temporibus adeo infelix JOSEPHI *conditio, malevolorumque odiis & obtrectationibus ita obnoxia, ut, qui contra vim gratiamque patrocinaretur innocentiæ ipſius ac ſolitudini, haberet neminem.*

At nunc meliorem illi ſortem audeo polliceri; ſi tuo frui patrocinio poſſit. Quin etiam, ſi minùs bene defenſus à nobis JOSEPHUS *videretur; Tu pro ſolerti tua perſpicacia, & ſingulari æquitatis ſtudio faceres, quod in difficilioribus intricatiſque controverſiis factitatum à te Curia toties ſuſpexit, ne quid ex formularum vitio ipſa cauſa bonitas detrimenti caperet.*

Id igitur beneficii JOSEPHUS *à Te flagitat enixè, & orat;* VIR ILLUSTRISSIME, *ut adhuc patronum agere te cauſa ſua, ſi res ita poſtulet, minimè pigeat. Tribues illud autem, uti ſperat ille, tum merito ſuo, tum noſtra erga te obſervantia, quam fore perpetuam ex animo profitetur,*

VIR ILLUSTRISSIME,

Tibi deditiſſimus, GABRIEL FRANCISCUS LE JAY, è Societate JESU.

PRÆFATIO.

PRodit iterum Joſephus in Theatrum, non, ut ante, matura jam ætate vir, & acceptas olim injurias agnitis fratribus amanter indulgens; ſed junior adhuc, & fraterna invidia venditus.

Hunc ſaltem habuit calamitatis ſuæ fructum Joſephus, dum luctuoſo illo apparatu exhiberetur in ſcena, ut frequenti lectiſſimorum hominum conventu, plurimorum animos commoverit; è quibus aliqui pro ſua apud me auctoritate fecerunt, ut priori Joſepho, quem exhibuimus in gratiam cum fratribus redeuntem, alter iſte ab iiſdem proditus jungeretur.

Nota eſt ex ſacris Litteris hiſtoria. Joſephus Jacobi ex Rachele filius, cum plus cæteris fratribus amaretur à patre, magnam eorum in ſe concitavit invidiam: ad quam cum acceſſiſſent novæ ex enarratis ſomniis, quæ Joſephus viderat, odiorum cauſæ, ſtatuerunt illi primùm fratrem occidere. Mox diſſuadente Rubeno, cum Joſephum in ciſternam dejeciſſent, eundem poſtmodum hortante Juda Iſmaelitis vendiderunt.

Tribus hæc Tragœdia Actibus circumſcribitur: ſic enim res ipſa, quæ exhibetur, poſtulat: cum ſit illa ejuſmodi, ut, ad plures actus ſi extendatur, celerem ſatietatem haud dubiè ſcena ſit habitura.

Hic verò trium actuum modus, quamvis neque à veteribus, neque à recentioribus uſurpatus eſſe in Tragœdia videatur, ipſa tamen actionis Dramaticæ natura & conditione nititur. Conſtare enimverò illam tribus omnino partibus Ariſtoteles auctor eſt, Principio, Medio, atque Fine. Quæ ſi totidem planè Actibus repræſentari commodè poſſint; adeo ut ſuam actus quiſque partem integram exhibeat, quis demum id reprehendat? cum præſertim illa brevitas occurrat ei faſtidio, quod eſt ſæpe conjunctum cum Epiſodiis, hoc eſt cum narrationibus illis aut eventis, extra argumentum aſſumptis, quibus actuum quinque Tragœdia interdum non caret.

Nihil hìc porro adjectum eſt hiſtoricæ veritati, præter unum Rubeni ſomnium; quod introitum Dramati ita ſufficit, ut inde Joſephi fratres occaſionem arripiant ſuos de Joſepho ſenſus proferendi liberiùs, & ejuſdem interficiendi conſilium capiant. Nec caret autem omni ſimilitudine veri hoc ſomnium; quippe quod accidiſſe Rubeno jure credi ex eo poteſt, quod in Joſephum conjuraſſe fratres inaudiſſet.

Potuere etiam ſuæ Jacobo partes in hac fabella tribui abſque ullo metu reprehenſionis; cum minimè fidem ſuperet, poſt miſſum à ſe ad fratres quæritandos Joſephum, ſenem veritum, ne quid infortunii eidem à fratribus accideret, quos ei ſciret infenſos, quadam quaſi præſagitione admonitum fuiſſe, ut diſcedentis à ſe Joſephi inſtaret ipſe veſtigiis.

Reſtat ad complectendam totam Joſephi hiſtoriam, ut hæc quoque pars vitæ prodeat, quæ ſolutum vinculis, egreſſumque è carcere, ac totius Ægypti adminiſtrationi præpoſitum repræſentet: quod quidem argumentum, ſi Deus faverit, etiam in Theatrum dabimus, ne quid omiſſum à nobis hac in parte videri poſſit.

ACTORES.

JACOBUS, undecim filiorum parens.

FILII JACOBI EX LIA.

RUBENUS. SIMEON.
LEVI, JUDA.
ISSACHAR. ZABULON.

EX RACHELE.

JOSEPHUS.

EX BALA.

DAN. NEPHTHALI.

EX ZELPHA.

GAD. ASER.
MERCATOR Iſmaelita. HIRAS nuncius.

Scena in Agro Dothain Chananæorum.

JOSE-

Digitized by Google

JOSEPHUS VENDITUS A FRATRIBUS. TRAGOEDIA.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

RUBENUS *in gramine dormiens ac ſomnians.*

ECquid paratis? non pudet tantum ſcelus
Agitaſſe, Fratres?.... non feram; atteſtor Deum;
Joſephe, nullum teſte me fiet nefas,
Ne dum volente .... ſiccine .... ah!.... quo vos furor?
Per, ſi qua pietas... Gad, Levi, Simeon, Aſer,..,.
Huc ferrum & iras ferte; ſupplicium luat
Rubenus; odia placet effuſus cruor;
At innocenti parcite .... * Eheu! quid loquor?
Ubi ſum?.... quis artus horror attonitos quatit,
Hebetatque ſenſus?.... Vanus illuſit ſopor:
Nihil pericli eſt; vigilo .... proh! qualem mihi
Se ſe videndum frater infelix dedit!
Meminiſſe refugit animus; & quamquam gravi
Cura ſolutus, aliquid etiamnum timet.
Dirumne quiddam viſa per ſomnos canunt
Portenta? triſte fallat augurium Deus!
Sed aperta terrent odia .... Joſephum malus
Vetuſque dente livor inviſo petit ....
Quò ſuſpicaces diſtrahunt animum metus?
Malè ominari parce; vel tales piget
Verſare ſenſus; tanta, ſic equidem reor,
Fraterna nunquam in corda barbaries cadet ....
At ecce fratres concito accelerant gradu:
Auditus inde, ſentio, attonitos ſonus
Excivit, & me, quid velim, cupidi parant
Rogare: belle eſt; ſi quid abſtruſum tegant,
Tacitive puero fortè meditentur malum;
Qua ſciſcitari liceat, inveni viam.

* *Evigilat.*

SCE-

Digitized by Google

SCENA II.

RUBENUS, LEVI, SIMEON, GAD, ASER.

SIMEON.

Quid eſt, Rubene? quid ope fraterna indiges?
Vicina latè nemora, rupeſque & lacus
Sonuere planctu flebili; eloquere; adſumus
Prompti ſubire quamlibet pro te aleam.
Quæ te remordet cura? quid quereris? *RUB.* Nihil.
LEVI. Sed ille ſolitum præter inficiens genas,
Turbanſque pallor ora, diſſimules licet,
Loquitur, Rubene. *GAD.* Numquid exiliens ſpecu
Somno occupatum forſan invaſit fera?
Nil te fateri pigeat. *ASER.* Hic certè metus
Vel in virum quandoque conſtantem cadit.
RUB. Fatebor equidem, placida cum feſſos quies
Preſſiſſet oculos, ægra ſollicitos metus
Fecere monſtra, ſomnum & excuſſit pavor.
At propria non me cauſa, ſed capiti imminens
Incendit animos grande fraterno malum.
SIM. Quid loqueris? eheu! dura quem tandem petant
Vel quid minentur fata, quamprimum doce.
RUB. Confide, Simeon, Fratris in tuto eſt ſalus;
Ceſſit periclum: pulſus ex oculis ſopor
Simul & timorem pepulit. *ASER.* Hoc demùm juvat,
Rubene, cùm nocere jam nequeunt mala,
Eadem intueri propiùs. *RUB.* Æternis, precor,
Hæc premere tenebris liceat. *GAD.* An fratri invides
Blandum hoc levamen, Frater; ut facti memor,
Tibi ille, noſtrum quiſquis eſt, grates ferat;
Quas tanta pietas, tanta promeruit fides?
RUB. Omitte; fratris nota jamdudum indoles;
Acui nec iſtis indiget ſtimulis amor.
LEVI. Parce ipſe, Frater, nectere ulteriùs moras;
Dum noſtra differs gaudia, irritas magis.
SIM. Imo, imo: gravius quiſque ſibi metuit malum,
Quodcumque noſtri, dum taces. *ASER.* Fare, obſecro,
Rubene; & ultro, quod petunt cuncti, annue.
RUB. Nil vos morabor; quando ſic libitum eſt, loquar.
Dum læta paſcunt arva lanigeri greges,
Fagi ſub umbra ſtratus agreſti toro
Blandùm otiabar: vultus in ſomnum cadit,
Et feſſa cervix capite ſubmiſſo labat.
Mox dira ſpecies interim ſe ſe objicit,
Turbatque mentem: proximo exurgens ſpecu

Hinc inde ſubitò multa Joſephum fera
Circumſtat, avidiſque immerentem dentibus
Lacerare, & alvum condere in vaſtam parat.
Me rigida pueri fata, me fratris vices
Somnos vel inter, ut potens amor eſt! movent.
Accurrere ultro viſus, & voce ac manu,
Quacumque fas eſt, funus indignum arceo:
At fruſtra in omnes unus obluctor feras,
Jam cedo; fratrum tunc ego inclamans opem,
Evigilo: ſomnus & timor pariter fugit.
SIM. Utinam feras paviſſet inviſus puer!
Nec falſa nobis gaudia illudens ſopor
Dediſſet! *RUB.* Aures quis mihi læſit ſonus?
Hæc vota facias? *LEVI.* Quid juvet tanto ambitu
Vovere, vel quid veniat optandum magis,
Quàm ſi cruenta raptus, ut meruit, nece
Puer protervus liberes fratres metu?
RUB. Heu! quid ais? *GAD.* O ſi medius immanes lupos
Inter, vel urſos parte ſylvarum avia
Mihi ſe obtuliſſet! ut ego terribiles fetas,
Avidam ut cruoris ipſe ſtimulaſſem ſitim!
ASER. Ut monſtra deſint iſta, nil, frater, moræ eſt:
Meus hic ferarum mucro præſtabit vicem.
RUB. Ah! parce. Quos vos odia lymphatos agunt?
Hæc ſapere fratres deceat, hæc deceat loqui?
SIM. I, perge, Frater; turpe ſervitium exhibe
Major minori, quando ſervire haud piget.
Da ſomniorum compos, & voti reus
Joſephus ut ſit: ſequere fraterni impetum
Amoris; inſta, rumpe difficiles moras,
Etiam anteverte fata: nos domini pudet
Et ſervitutis. *LEVI.* Hic mihi ſenſus placet,
Hic animus: & quocumque res vertat, jugum
Excutere certum eſt. *GAD.* Macte: properato eſt opus,
Frater; timoris ni ſtatim cauſam amputas,
Serò venit medela, cùm crevit malum.
LEVI. Confide; ſi qua ſe mihi pandet via,
Violata fratrum jura quid poſſint, ſciet.
RUB. * Quæ læſa queritur jura! *ASER.* Nobiſcum adforet * Septem.
Utinam! paternis dum procul laribus greges
Agitamus. *SIM.* Oculis nempe dilectum magis
Vitaque puerum longiùs patiens ferat
Abeſſe genitor. *GAD.* Turba dum fratrum exulat;
Ut ille patrio pendulus collo interim,
Teneroſque ſolus inter amplexus ſenis
Secura captat gaudia! *ASER.* Hæc furtim aucupans
Puer malignus tempora, imponit patri;
Turpique fratrum nomen aſpergit nota.

LEVI. Nec inane tanti præmium ſceleris tulit
Delator: iſthæc tunica, qua fratrum in grege,
Velut inter ignes luna nocturnos micat,
Conviciorum ſcilicet merces fuit.
* Seor-ſum. *RUB.* * Proh! quanta livor degener cudit mala!

SCENA III.

RUBENUS, SIMEON, LEVI, GAD, ASER, DAN, NEPHTALI.

DAN.

O Læta demum fata! votorum caput
Attigimus: odiis ponet hic finem dies,
Metuſque ſolvet. *LEVI.* Fare, quid portas novi?
DAN. Sperare quem vix liceat, inopinum fero
Vobis mihique nuncium: en ſe ſe objicit,
Et ſponte noſtros properat in caſſes fera.
GAD. Aperta loquere, Frater, & mentem explica.
DAN. Tumulo è propinquo viſus, & celerem gradum
Joſephus ad nos urget, haud quiſquam additus
Puero viarum ſocius aut fidus comes.
Exigere pœnas ſi lubet, facilis datur,
Quem poſtulamus eſſe vindictæ locum.
* Seor-ſum. *RUB.* * Tutor piorum fulmen averte, ô Deus!
NEPHT. Eja agite, Fratres; noſtra nunc ſe ſe explicent,
Palamque monſtrent odia: moriatur puer;
Meritoque tandem ſomnia exitio luat.
ASER. Ad omne facinus, ne time, quotquot ſumus,
Habes paratos. *LEVI.* Cauſa communis fidem,
Animumque poſcit, atque communem manum.
SIM. Laus prima facti, me manet primum decus:
Ibo, ibo; ne vos pigeat auctorem ſequi.
RUB. Ah! video: pueri fata jam pridem ultima
Juraſtis: iſte crevit ex longo furor,
Vitam innocentis qui petit. *GAD.* Nempe innocens
Joſephus? *RUB.* Ecquod, dicite, admiſit nefas?
Quid impotentes armat in fratrem manus?
LEVI. Inviſa nobis ſomnia obtrudat puer
Impune? *SIM.* Veri ſcilicet ſi quid crepat,
Acerba fratres ſervitus, regnum hunc manet.
RUB. Nam cur malignam ſomnia in partem trahis?
SIM. Non ergo reliquos undecim elatus ſuper
Pueri maniplus, iſta deſignat fatis?
Non Luna Matrem, Solque ſignificat Patrem?
Undena Fratres aſtra, quæ puerum colunt,
Et ſomniantis prona venerantur pedes?

Ad!

Ad hæc reſervor? *RUB.* Somnia incutiunt metus;
Simulacra veri caſſa, quæ mendax ſopor
Extudit, & orta protinus pellit dies?
LEVI. Tamen hinc ſuperbit puſio; hinc grandes gerit
Animos, & altas ſpes fovens jam tum in ſinu,
Etiam in parentes regium affectat decus.
RUB. Id quæreris? hoc tu ſeriò fratri objicis?
Sic notus animus, ſic tibi nota indoles?
Quin agite potiùs; redeat in mentem, precor,
Ut docilis ultro, candidus, comis, bonus,
Ut fraudis expers ſubdolæ, & blandùm obſequens;
Fraterna placidus ſæpe pertulerit probra!
GAD. Hac nempe larva tectus, hoc fuco nitens
Puer doloſus, credulum captat patrem;
Fidemque probris atque maledictis facit.
RUB. Vox ſi qua, Fratres, temere Joſepho excidit;
Peccavit ætas; animus at culpa vacat.
Scrutatus ipſe cordis arcanos ſinus,
Vidi & videre placuit, ut pietas, fides,
Sincerus ut ſe prodat in fratres amor!
SIM. Omitte, certis odia patuerunt notis
Sed noſſe gratum eſt: ille placuiſſet minùs,
Si nos amaſſet: noſtra nil deinceps vetat
Explere pariter odia, dum certa ultio eſt,
Dum fas nocentem perdere. *NEPHT.* Et lenti moras
Trahimus inertes? Ire in occurſum juvat;
Ne præda noſtras forſan effugiat manus.
GAD. Rectè admones, eamus... *RUB.* Ergo ſic ratum eſt,
Peribit? ... Et vos cura nil retinet patris?
Penſate, quantus obruet miſerum dolor;
Cecidiſſe fratrum ſcelere cùm natum audiet.
DAN. Fingemus illum peſſima abſumptum fera.
RUB. Fingetis? ... Eheu! grande ſolamen mali,
Dum miſera ſobolis fata lugebit parens,
Si noſſe luctus nequeat auctores ſui!
DAN. Ille, ille fructum pariet ingentem dolor.
RUB. Quis ille fructus? *DAN.* Et patrem & nos eripit
Juſta peremptus morte Joſephus jugo.
RUB. Etiam nefanda præmium impietas petit?
Spes hæc nocentes ludat? Ah! potiùs graves
Timete pœnas: aliquis eſt cœlo Deus;
Idemque fieri prohibet ac plectit nefas.
SIM. Abſiſte: fruſtra es; plura ne incaſſum objice.
Adeſte, Fratres... *RUB.* * Ferrei, intractabiles, *Cunctos retinens,
Et rigida nimium corda! ... Quanquam te, Levi,
Te, care Simeon, voſque, ſi nondum excidit
Fraterna pietas tota, ſi ſupereſt amor,
Per iſta ſupplex genua, quæ teneo, & meis

Per-

Perfundo lacrymis; quam precor, veniam date.
Negatis?.... Ecquid flectitis retro pedem?
Quid fugitis?.... ah! ſi fixum & immotum ſedet
Puerum immerentem perdere: unum hoc, obſecro,
Annuite ſaltem; parcite innocuas pio
Maculare dextras ſanguine!.... en arens prope
Ciſterna: ad imum fune dimiſſus puer
Hic pereat, oro, quando ſic libitum eſt, fame.
LEVI. Bene eſt, Rubene; quod rogas demum, potes
Hac impetrare lege, nihil ultra ut petas.
NEPHT. Properemus .... *SIM*. Ite; ne ſit effugio locus,
Aditus viarum cingite; hic ego cum Levi
Nemorum in latebris interim excubias agam.
RUB. Valete, jamjam redeo: vos facite interim,
Promiſſa nobis ſedulò ut perſtet fides.

SCENA IV.

RUBENUS.

ABiere: ceſſit paulululum evictus furor,
Indomita flexi corda .... ſed quanto ſtetit
Inane munus! conditum horrenti ſpecu
Eripere ni te noſtra meditetur manus;
Heu! te quid enſi barbaro ereptum juvet:
Miſerum in latebris rabida dum perimet fames?...
At, ſi repente primus erumpat furor,
Puerumque jugulent .... fallimur, dicta eſt fides,
Violaſſe pigeat ... ò amor! o quantos metus
Moves amanti!.... quò ferar?..... Judam ocyùs
Adibo: non ſic ille Joſepho invidet;
Ultroque tantum, ſpero, prohibebit nefas.

Finis Actus primi.

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

JOSEPHUS.

UBi ſum?.... morantes regio quæ fratres habet?
Vel quis receptos tam citò excepit locus?
Hæc terra Dothain, quam vocant .... at nullus eſt;
Et nemora præter nil mihi ſe ſe objicit.
Nam quò ferar? qua parte perquiram avios

Deſer-

Digitized by Google

Deſertus, indefenſus?.... heu! ſi me occupet
Inhoſpita inter teſqua decedens dies;
Miſero quis adſit, quiſve perfugium paret?
Actum eſt; cruentis præda contingam feris.
Fit ſonitus .... inde fremuit immitis leo,
Ferox vel urſus ſævit .... Fratres, precor,
Adeſte, Fratres .... Nemo reſpondet, tremor
Pervadit artus, gelidus & ſanguis coit ....
* Ecce, ecce, perii, gemina prorumpit fera;
Quid agam? vel ubi?.... me me petunt!...

** Videt Simeonem & Levi prodeuntes è latebris, quos intuens, putat ſe feras videre.*

SCENA II.

JOSEPHUS, SIMEON, LEVI, *Prodeuntes è latebris*.

SIMEON.

FRatres vocas?
Adſumus. *JOS.* * Adeſtis?.... igitur auxilium date ....
LEVI. Mora nulla .... *JOS.* Fratres audio; fratres tamen
Non video .... *SIM.* Fratres non vides?.... Apage hinc metus
Quoſcumque ſimulas, ſubdole ac mendax puer;
Et ficta mitte ſomnia .... agnoſces brevi
Qui ſimus. *JOS.* * Oculos nam quis obductos malus
Hebetabat error!.... parcite, illuſit nimis,
Senſuſque longè tenuit averſos pavor.
Nunc fratrum amicos nube depulſa procul
Agnoſco vultus: monſtra fugere horrida;
Me veſtra pietas, veſtra ſervavit fides;
Nemorumque latebris retudit immanes feras.
Ah! ſinite, Fratres, involem utriuſque in ſinum
Animique memoris, quas licet, grates agam.
SIM. * Omitte: procul hinc amove inviſum caput.
LEVI. * Abominando me cave amplexu petas.
JOS. Punire, video, placuit injuſtos metus,
Quos ora fratrum blanda debuerant ſtatim
Pepuliſſe .... timui, fateor, at facti piget:
Ignoſcite. *LEVI.* Imo, jam time; juſtas habes
Cauſas timoris; adſumus trucibus feris
Magis timendi. *JOS.* Adeſtis, & quidquam rear
Mihi timendum? prodeat ſævus leo,
Urſuſve minitans adſit, aut acer lupus:
Ultro feroces provocem impavidus feras.

** Eodem perculſus metu fratres audit, nec tamen videt.*

** Fratres videns & agnoſcens.*

** Accedente ad ipſum Joſepho.*

** Accedente ad eum Joſepho.*

SCENA III.

JOSEPHUS, SIMEON, LEVI, GAD, DAN, NEPHTHALI, ZABULON, ISSACHAR.

ZABULON.

Qua lapſus oculos luſit attentos via?
ISSAC. Nihil moramur; captus eſt tandem. *DAN.* Novas
Meditetur artes, verſet aſtutus dolos,
Noſtraſque fugere, ſi poteſt, tentet manus.
JOS. O placida demum fata! nunc fratres datur
Videre, nunc & jungere amplexus licet.
Jam pœne medii ſpatia ſol obiit poli;
Ex quo per agros ſolus & ſaltus vagor
Cunctos requirens: agite, quo res ſunt loco?
An læta vobis omnia? an gregibus bene eſt?
Memorate, Fratres, obſecro: hæc patrem anxium,
Me, me iſta dudum cura ſollicitum tenet.
ISSAC. Hæc ſciſcitari mitte; ni malè ſit tibi,
Bene eſſe nobis, pervicax puer, haud poteſt.
ZAB. Placida fruemur ſorte, cum meritis pares
Moriendo pœnas dederis. *DAN.* En tanto ambitu
Optata, Fratres, præda nunc tandem obtigit;
Quid adhuc morarum eſt? *GAD.* Nempe, dum ferrum calet
Urgenda res eſt. *ASER.* Agite; quid torpent manus?
SIM. Si nullus ambit inclytum facti decus,
Avidam ultionis primus extinguam ſitim:
Nec iſta lentos dextera in pueri caput
Librabit ictus. *GAD.* Facinus egregium occupa,
Generoſe Simeon. *NEPHTH.* Morte dum merita cadat,
Nil intereſt, quacumque diſpereat manu.
JOS. Vigilone? mentem ludit an mendax ſopor,
Fratres? *ASER.* Et iſta credit inſulſus puer,
Quæ nos minamur, ſomnia. *ZAB.* Actutum ſcies,
Quid vera inani ſomnio diſtent mala.
JOS. Heu me! quid egi? vel quod ulciſci nefas
Paratis? *NEPHTH.* Etiam crimen admiſſum, reor,
Negabit? *JOS.* Ecquod, Nephtali, loqueris ſcelus?
Vel increpare parce, vel crimen doce.
ISSAC. Crimen petis, ſuperbe, dum fuſos humi
Fratres, tuiſque pedibus allapſos premens,
Cunctis verendum ſcilicet tollis caput?
Dum ſancta violas jura, dum matrem & patrem
Pietatis oſor impiùs ſubdis jugo?
JOS. Me, me impotentem cœca dominandi fames
Sollicitet? & quem præpotens mundi arbiter

Cunctis

Digitized by Google

Cunctis ſubeſſe voluit, impatiens regi
Velim præeſſe? teſtor arcanos ſinus
Imaſque cordis, qui videt latebras, Deum,
Ego ſi quid .... *LEVI*. Iſta nempe portendunt nihil,
Quæcumque jactas, ſomnia? *JOS*. Hæc vobis metum
Fecere? *ZAB*. Saltem facere ne deinceps queant,
Moriere. *JOS*. Frater id jubet? fratrem emori
Ferat Zabulon? fallor; hoc refugit ſcelus
Fraterna pietas. *ISSAC*. Fingere etiam nos putat
Protervus! *JOS*. Heu me! *ISSAC*. Nil querelis eſt opus:
Gemitus inanes pone. *NEPHTH*. Mucronem expedi,
Simeon; quid hæres lentus? *JOS*. Ad genua accido,
Dilecte Simeon, voſque, per ſi quid, precor,
Supereſt adhuc amoris, aut ſi quid fuit,
Fratres, amicam rebus in miſeris opem
Annuite; fratris parvuli inflectat dolor,
Et iniqua moveant fata. *ZAB*. Nequicquam rogas,
Ratum eſt: peribis. *DAN*. I, puer, patrem pete,
Et iſta, quæ mox vulnera excipies, refer
Delator. *JOS*. Ah! ſi quidpiam temere excidit,
Nocens videri lingua, non animus poteſt.
Miſereſcite;.... iterum liceat ad ſacros pedes
Procidere, Fratres, ſupplicem; & triſtes minas
Superare lacrymis .... liceat .... *NEPHTH*. Ah! tandem ſile,
Et morere: inani tempus alloquio teris.
Rem perage, Simeon, ocyùs ferrum, ocyùs:
Puerum loquacem perime: dum medio tenus
Lethale telum pectore immerges, ego,
Ne fortè nuter victima, aut ictum exeat,
Siſtam, ac tenebo. Tu, Levi, fratrem adjuva:
Dextram parumper ſuſtine. *GAD*. Hac vivum priùs
Spoliare tunica liceat ..... * Inviſum exue
Sceleris nefandi munus .... hoc pretio juvat
Ulinere turpem moribus fratrum notam,
Conviciator? *JOS*. Dederat hanc veſtem pater,
At nil morarum eſt, obſequor: tunicam lubens
Depono; triſte pereat odiorum caput:
Et veſtra pariter odia cum tunica queant
Perire!

* *Ad Joſephum*.

SCENA IV.

JUDA, JOSEPHUS, SIMEON, LEVI, ISSACHAR, ZABULON, NEPHTHALI, GAD, DAN, ASER.

ASER.

JUdam video. *SIM*. Optatò advenis:
Facinus quod inſtat, te quoque actorem petit;

Nec cadere merito debuit letho puer
Abſente Juda: commoda præſens manum,
Ferrumque gremio conde. *JOS.* Tu potiùs mihi
Placare; tu ſpes una: qui ſolus potes,
Arcere, Juda, triſte ne pigeat malum.
DAN. Etiam obloqueris, perfide. *JUD.* Hic ſiquidem nocens,
Reuſque mortis viſus eſt; pœnas luat,
Mortemque ſubeat meritus: at puerum tamen
Violare ferro parcite; hanc repetit fidem
Rubenus. *JOS.* Heu! cur non ades, ſi nos amas,
Rubene, vel ubi es? tene ſic miſerum decet
Deſerere fratrem? Vos per abſentem precor,
Annuite veniam ſupplici & vitam date.
SIM. Si non adactus pectori vitam eripit
Cruentus enſis, munus hoc fratris puta,
Et habe Rubeno gratiam: at brevis eſt mora:
Ciſterna peraget iſta, quod refugit manus:
Altoque clauſum ſub ſpecu perimet fames.
JOS. Sic parcitis?.... ſic fratris afflicti piget?
Hoc ſibi Rubenus gratiæ apponat loco?
Proh! ſancta pietas!.... Fratris ah! novi indolem;
Nil tale jubeat, tale nil patiens ferat
Rubenus. *LEVI.* Erras, patitur; & factum approbat.
JOS. Et vos parentis cura nil, Fratres, movet?
An & ipſe lentus diſcet admiſſum nefas?
Vos per verendum rurſus & ſanctum precor
Nomen parentis, perque .... *LEVI.* Cur patrem invocas
Moriture; patris ſancta quem damnat ſalus?
Si vivis, eſſe genitor incolumis nequit.
JOS. Bene eſt, abunde eſt: fuerit in lucro mori;
Dum patria conſtet ſobolis exitio ſalus.
Quid miſera placeat vita, ſi noceat patri
Quod vivis?.... agite porro, quantumvis graves
Statuite pœnas, quidquid eſt, ultro feram.
Meliora vobis* cardine hoc rerum ultimo
Tamen precabor; agite ſecuros dies;
Nil veſtra turbet gaudia: ereptos mihi
Placatus annos annuat vobis Deus.
DAN. Vota hæc placent; ſed iſta debueras priùs
Feciſſe vota. *SIM.* Nephthali, ſaxum amove;
Clauſumque pateat oſtium. *NEPHTH.* Nulla eſt mora;
Moles at illa gravior, ut ſolus queam, *Ad Fratres.
Niſi vos adeſtis. *LEVI.* * Nos quoque hic ſpectat labor, * Ad Nephthali.
Inſtemus operi pariter. *GAD.* * Hem, lævam tene:
Ego hìc manebo; tu, Levi, dextram occupa. * Ad Aſer.
ASER. Aſt ipſe primùm, quà lapis rimas agit, * Ad Levi.
Pedum inſeram. *NEPHTH.* * Eja, ſequere. *ASER.* Conatum interim,
Dan, adjuva. *GAD.* * Urge. *LEVI.* * Suſtine. *NEPHTH.* En aditus patet, * Ad Dan.

GAD.

GAD. * Depreſſa cavea, ſtupeis vinclis opus, * Poſtquam inſpexit in ciſternam.
Queis illigatus ima pertingat puer.
SIM. * Hæc ipſa, Frater, zona quæ cingit latus, * Solvens zonam.
Confide, funis commodè implebit vicem,
GAD. At illa, Simeon, brevior. *DAN.* * Adjungo & meam, * Solvens pariter zonam.
Amica nimium zona: meliores, reor,
Tu nunquam in uſus ſervies. *LEVI.* Ades huc, puer.
JOS. Adſum. *LEVI.* * Lacertos tolle .... Dan, medio temet * Ad Joſephum.
Iterumque zonam pectori circum illiga.
DAN. Peracta res eſt. *LEVI.* Duplicem in nodum utraque
Extrema coeant, nexus ut ſolvi queat,
Demiſſus imam quando contigerit ſpecum.
Vos hinc & inde, Nephthali, Simeon, Aſer,
Gad, Dan, cavete pendulum corpus labet.
SIM. Ingredere caveam, puſio; hic tutò feras
Ridere poteris. *JOS.* Ergo, Fratres, ultimùm
Valete. *SIM.* Tuque pariter extremùm vale.

SCENA V.

JUDA, SIMEON, LEVI, ZABULON, ISSACHAR, NEPHTHALI, GAD, DAN, ASER.

DAN. * * Ad Gad.

ACtum eſt: patentis claude ciſternæ oſtium,
Ne quis viator forte lacrymantem audiat,
Puerumque miſerans flebili eripiat cavo.
ZAB. Nunc iſte, Fratres, haud levis reſtat labor,
Ne ſuſpicetur facinus admiſſum pater.
NEPHTH. Si fortè puerum genitor abſentem petat,
Dicemus: illum dira laceravit fera.
JUD. At vetera, Fratres, odia ſuſpectos dabunt.
ASER. Infeſta monſtris regio præſtabit fidem.
JUD. Sic faciat! etenim ſuſpicax res eſt amor;
Et verus ut ſit, vix ſibi imponi ſinat.
DAN. Ne dubitet, hædi ſanguinem tunica ebibat:
Cruenta ſpecies credulo illudet patri.
JUD. Et tu parenti nuncium illætabilem,
Triſteſque miſeræ ſobolis exuvias feres?
DAN. Vel ipſe, vel quis alius, aut omnes ſimul.
JUD. Ah! Frater, ah! ne patrios quiſquam audeat
Subire vultus; conſciæ mentis pavor,
Animuſque culpa plenus ut conſtet ſibi;
Frons, vultus, oculi, lingua recludent ſcelus.
NEPHTH. Eſt in propinquo paſtor; hunc Hiram vocant:
Haud vixit illo melior aut ſimplex magis.
Ferat is parenti nuncium, & tunicam offerat

Tinctam recenti ſanguine. *JUD.* Hæc ipſi omnia
Peragite, Fratres; interim mecum, Iſſachar,
Et tu Zabulon, oro, tantiſper mane.

SCENA VI.

JUDA, ZABULON, ISSACHAR.

JUDA.

SAtin' furores animus explevit ſuos?
Satiata numquid odia? num tetro in ſpecu
Fratrem perire, perfidi, immanes, feri
Patiemur?.... Ecquid, agite, Joſephum juvat,
Quacumque pereat morte, ſi demum perit?
An culpa noſmet levior, an quondam minor
Premet nocentes pœna, quod puero ferus
Pepercit enſis, ſi fames miſerum enecet?
Siletis!.... oculos tacitus inceſſit ſtupor!....
Factum improbaſtis, ſentio: haud fruſtra, impotens
Dum quiſque diris fureret in puerum modis,
Uterque lentas crimine abſtinuit manus.
ZAB. Equidem, fatebor, crimen infectum velim;
At jacta nunc eſt alea, & retro pedem
Referre, Frater, non licet. *JUD.* Cur non licet?
ZAB. Servare puerum ſi paras, quanto objicis
Fratres periclo! *JUD.* Quod mihi timidus canis
Augur periclum? *ZAB.* Nempe ſervatus puer
Celare factum, credis, ut poſſit patrem?
ISSAC. Sed eſto; veterum frater odiorum immemor
Obliterari facinus inviſum ſinat:
At, quas minatur iſte dormitor vices,
Non fugimus; imo pandimus fatis viam,
Rurſumque turpi colla ſubjicimus jugo.
JUD. Confide; tali, Frater, occurram malo.
ISSAC. Eloquere. *JUD.* Terras ſinite Joſephus procul
Migret in remotas; patrios nunquam ut lares
Deinceps reviſat. Luce ſit per nos frui
Potis eſt, & omni liberat fratres metu.
ISSAC. Referamus iſta Fratribus. *JUD.* Saltem ah! date
Certam experiri cardine hoc rerum fidem.

Finis Actus ſecundi.

ACTUS

ACTUS III.

SCENA PRIMA.

JUDA, SIMEON, LEVI, ASER, NEPHTHALI.

JUDA.

ME me iſta, Fratres, cura reſpectat; labor
Meus ille fuerit; fidus adſiſtam comes
Puero, remotas donec ingreſſus plagas
Rurſum ad paternam regredi nequeat domum.
NEPHT. Periculoſæ, Frater, hoc plenum aleæ
Opus eſt: maligni novimus pueri dolos.
Quaſcunque tandem profugus in terras eat,
Brevi recurret. *JUD*. Ne time: occludam vias:
Vel ſi ſecundo vota ſucceſſu carent,
Me genitor unum ſceleris auctorem putet:
Huc vertat iras, perdat infandum hoc caput;
Unumque meritas ultor ad pœnas vocet.
SIM. Abſiſte, Juda; vincis, haud ultra queant
Te ſtare contra, totque ſollicitas preces
Juſata quamvis odia. *LEVI*. Gratetur ſibi
Graviora meritus fata maleſanus puer;
Et norit unde parta proveniat ſalus.
JUD. Hoc veſtra pietas meruit; & tanti memor
Joſephus uſque muneris grates feret.
ASER. Et nullus utinam munus impenſum luat
Proprii periclo capitis; & nimiùm pius
Non ipſe fatis pandat ingratis viam!
JUD. Male ominari parce .... Ciſternæ oſtium
Recludo: vos * huc, oro, tantiſper manum
Ne commodare pigeat. *ASER*. An laqueos feram
Sic fugere? *NEPHT*. Durum eſt obſequi: obſequimur tamen.
SIM. a Neſcio quid animus triſte, funeſtum occinit,
Et abſtinere tacitus incœpto jubet.
LEVI. Hoc ipſe pariter ſentio; at dedimus fidem.
JUD. Joſephe .... b ſta .... Joſephe .... *JOS*. c Nam quis me vocat?
JUD. Joſephe.... *JOS*. Quis ades? *JUD*. Ne time. *JOS*. Eheu! quid jubes,
Dum morior? *JUD*. Imò vive. *JOS*. Quis vitam imperat?
JUD. Juda. *JOS*. Benignum nomen! at Fratres mori
Juſſere. *JUD*. Nil jam tale mutatis placet:
Fratri ſed ultro lucis uſuram annuunt.
SIM. Dic, dic coactos potiùs. *JUD*. Ah! Simeon, precor....
JOS. Id eſſe credam, Frater? *JUD*. En fidei obſidem
Joſephe, dextram porrigo: oblatum cape
Funem, & profundo te ſpecu actutum eripe.

** Ad Aſer, & Nephth.*

a Dum Judas, Aſer & Nephthali lapidem removent.

b Ad Nephthali ſe inclinantem ut in ciſternam introſpiciat.

c E fundo ciſternæ.

JOS. Parebo .... funem teneo; ſi ſalvum cupis,
Redivivum in auras pertrahe. *a LEVI.* *b* Inviſum caput
Aſpicio!

a Retrahitur Joſephus è ciſterna.
b Seorſum prodeunte Joſepho.

SCENA II.

JUDA, SIMEON, LEVI, ASER, NEPHTHALI, JOSEPHUS.

JOSEPHUS.

Rurſum lucis affulget jubar,
Nec ſpes ſalutis tota deluſum fugit!
Ah! patere amicam, Juda, ut amplectar manum;
Quæ me ſepultum mortis eduxit ſinu,
Blandumque vitæ munus indulgens dedit.
JUD. Sunt illa fratrum merita quod vivis: tibi
Fraterna pietas parcit; impenſam memor
Refer huc ſalutem, quamque promeruit, parem
Statim repende gratiam. *JOS.* Antiquam fidem
Agnoſco: *c* vos & amoris hunc cumulum addite,
Amica dextris pariter ut figam oſcula .... *d*
Fugitis, & ora ſubtrahitis? *SIM.* Apage hinc puer.
LEVI. Noli moleſtus eſſe .... *JOS.* Non veſtras manus
Miſero oſculari liceat? .... heu me! quid putem?
Ah! video, feci temere: non tales decent
Senſus nocentem! Debui infelix prius
Ad veſtra cadere genua, ſupplicibus pedes
Rigare lacrymis; debui impreſſas ſolo
Prono oſculari capite plantarum notas.
Ignoſcite ultro, parcite: impenſus favor
Amorque, Fratres, ſpiritus tantos dabat.
ASER. Procul hinc, puer, faceſſe, nil tecum eſt ſuper
Commune nobis; amove inceſtas manus,
Et abominandum deinde ne objectes caput.
JOS. Quid loqueris, ò Aſer? quale ſollicitas ferit
Mihi fulmen aures? .... Itane mutatos ais,
Dilecte Juda? ſic meus fratres dolor
Inflexit? .... heu me! .... vita quid miſerum juvet,
Niſi pulſus animis redeat, & conſtans amor
Inimica vincat odia? Vel geminum, precor,
Cumulate munus; alterum vel ſi ratum eſt.
Auferre, utrumque rapite: nil lethi piget:
Repetam latebras; veſter haud potui hactenus
Vixiſſe, ſaltem veſter hic poſſum mori.

c Accedit ad Fratres.
d Recedunt Fratres, & ora vertunt.

Digitized by Google

SCENA III.

JUDA, JOSEPHUS, SIMEON, LEVI, ASER, NEPHTHALI, ZABULON.

ZABULON.

VOs ſi qua pueri cura ſollicitos adhuc,
Fratres, remordet, lucis uſuram date:
Ne deinde noceat, facere vel poſſit metus,
Dum vivet, ecce, credo, proviſum eſt ſatis;
Si conſulentem ſana non pigeat ſequi.
SIM. Effare. *ZAB.* Votis ipſa ſors aperit viam
Ab Iſmaelis fortè digreſſus ſolo
Se ſe obtulit mercator Ægyptum petens,
Arabumque varias quas vehit portans opes
Puerum ille pariter exteras ſecum ferat
Ducendum in oras; hunc reor ſervum ſibi
Ultro volenſque coemet. *LEVI.* O lætam nimis
Sortem ac beatam! valeat, & terras procul
Tandem in remotas profugus æternùm exulet.
NEPHT. Ubi, ubi eſt, Zabulon, ille, qui collum premat
Puerique meritas vinculis oneret manus?
ZAB. Illum in propinquo, certa dum fratres dabunt
Reſponſa, retinet Iſſachar. *ASER.* Quin tu ocyùs
Acceſis; hæc eſt ſumma votorum omnibus,
Nos ut moleſto puer hic aſpectu levet.
ZAB. Reducem videbis poſtmodum, atque unà comes
Mercator aderit.

SCENA IV.

JUDA, JOSEPHUS, SIMEON, LEVI, ASER, NEPHTHALI.

SIMEON.

ISta debueras tibi
Non canere nobis fata, dormitor; vices
Mutamus; i nunc, diſce ſervitium pati,
Herique patiens ferre dominantis jugum.
JOS. Parum exulare eſt nempe, ſervitium imperas?
Gens noſtra, Frater, libera; alienum nequit
Subire frœnum. *SIM.* Viden' ut elatos puer
Magniſque dignos ſpiritus animis gerat!
Tamen, ſuperbe, ſervies. *JOS.* Domini pudet,
Non ſervitutis: ... agite nil, Fratres, moror,

Servi-

Servire vobis liceat: æternam fidem
Accipite: quodvis promptus obſequium feram:
Nil deprecabor oneris, aut graviùs querar;
Quem juſſa cumque veſtra famulatum exigant
At cur amico fratrum ab aſpectu trahor?
Cur & pudendos exteri juſſus heri
Subibo? Tantum capite fraterno probrum
Eximite, Fratres, oro; per quidquid pium eſt,
Per dulce Fratris nomen... *LEVI*. Ah! ceſſa alloqui:
Fratris nec ultra nomen uſurpes, cave.
JOS. Et hoc Jubetis? ... obſequi ſed enim vetat,
Quæ nomen iſtud ſcripſit in corde altiùs
Natura. *LEVI*. Nos jubemus. *JOS*. Eheu! Dura lex!
LEVI. Mox aderit Emptor; ſi tibi quemquam excidat
Vocare Fratrem; protinus linguæ impetum,
Mors verbo in ipſo plectet. *JOS*. Ut ſileam, tamen
Nec eſſe frater nequeo, nec amorem licet
Abjicere fratris; ſæva quocumque egerint
Me fata, fratres uſque præſentes geram
Animis, ſub alto ſemper aſtringam ſinu.
** Seorſum.* *JUD*. * Animoſa virtus! digna meliore indoles:
Gaudere fato! *JOS*. Tuque, ſupremum alloqui,
Rubene, quando non datur, longum excipe,
Quod lingua tentat dicere abſenti, vale....
** Accedens ad Judam.* * Si noſtra graviùs fortè miſeratus mala,
Quandoque Natum doleat extinctum pater,
Te, care Juda, gratiæ hunc cumulum precor:
Lacrymas parentis reprime & luctus leva.
** Seorſum.* *JUD*. * Miſerande juvenis! *NEPHT*. Iſſachar prodit, redux:
Sequitur Zabulon, atque Mercator comes.

SCENA V.

JUDA, JOSEPHUS, SIMEON, LEVI, ASER, NEPHTHALI,
ZABULON, ISSACHAR, MERCATOR.

ZABULON.

ADeſte, Fratres; commodum Emptorem offero.
MERC. Salvete. *ASER*. Nos & pariter optamus bonam
Tibi ſalutem. *MERC*. Quas decet grates fero.
Ubi ille ſervus? *NEPHT*. * Huc puer ... jam tum incipe
** Ad Joſephum.* Herum hunc vereri. *MERC*. Vendere hunc ſervum lubet?
Quot natus annos? *ISSAC*. Luſtra numeravit trina
Quartum incboare cœpit. *MERC*. Haud conſtat; ſatis.
Quod fere domino tantula obſequium queat
Pueri juventus, quamlibet molem impares
Humeri recuſent. *ISSAC*. More conſueto facis;

Legunt

Legum hæc tuarum prima, quod emendum datur,
Deſpicere. *MERC.* Meritas abſit ut puero velim
Detrahere laudes: ſed age, num tales malam
Verſare poſſint, premere vel aratrum manus?
An ſi per agros fortè lanigerum pecus
Ducat, cruentos ovibus arcebit lupos?
ISSAC. At ille domino majus obſequium ſuo
Major rependet. Interim tardos bene
Compenſat annos iſta quæ toto nitet
Diffuſa puero gratia; ut vultu pudor
Ingenuus, oculis caſta ſimplicitas natat!
Viden', ut ab ipſo blandus exſpiret lepos
Tacentis ore? plura ſed latitant tamen;
Animique dotes corporis vincunt decus.
MERC. Sic tu viciſſim more Vendentum facis:
Majuſque rebus, quàm licet, pretium arrogas.
Sed ecce jam ſol pronus Oceano ruit:
Properemus: urbi proximæ reddi velim,
Nox ante toto quàm fuget cœlo diem.
Ut multa paucis: offero ſiclos decem;
Meuſne puer eſt, dicite? *ZAB.* Hoc pretio tuus?
Non, duplicatam pendere ut ſummam pares,
Lacrymaſque teſtes. Solita ſi tecum eſt adhuc,
Vir Magne, pietas, ſupplici veniam irroga.
Patrem, adjuva tu, Nate. *APR.* * Per ſi quid fuit
Tibi dulce noſtrum, perque ſinceram, precor,
Quam tu probaſti rebus in dubiis fidem,
Ignoſce patri. *JOS.* Tu mea ulteriùs cave
Dolere quidquam gratia: atque utinam tibi
Quæ reſtat alia, me penes ſegetem foret
Eripere luctus; quidquid in noſtrum caput
Peccaſſe potis es, crimen erroris fuit;
Aſt animus ipſe crimine & culpæ vacat.
Tu chare Juvenis, cujus in miſerum favor,
Conſtanſque pietas tempore adverſo ſtetit,
Ecquando amoris præmium tanti feres?
PHAR. Ut iſta virtus, ut mihi veteres placet
Oblitus iras animus! Æternum juvat
Adjicere pacis vinculum, & blando fidem
Sociare nexu. Regia oblatam manu
Putipharis ultro filiam in ſponſam cape,
Joſephe: tali dignior conjux Viro
Obtingere ulla nequeat. *PUT.* Ah! ſi quid ſuper
Flammæ prioris, tota ſi nondum excidit
Animo Aſſenetha, patris & gnatæ preces,
Tuoque juſſa Regis aſſenſu proba.
APR. Didiceris utinam, quam graves dederis metus;
Quæ vota pro te faceret infelix ſoror,
Dum dulce quateret dira tempeſtas caput.
JOS. Obſequor; amanti gravius imperium nequit
Princeps videri. *PHAR.* Vota ſic cumulat Deus!

*Procumbens ad Joſephi genua.

Ergo

Digitized by Google

Ergo Aſſenetha pectus utrinque alliget
Nexu perenni, pignore hoc dulci gener,
Socerque coeant. Ipſe, quod reliquum eſt, novas
Amoris hinc & inde ſubjiciam faces.
RAM. Proceres vocatos numquid admitti placet?

SCENA VI.

PHARAO, JOSEPHUS, PUTIPHAR, APRIES, AMASIS, RAMESSES, PSAMMIS, SETHO, PROCERES ÆGYPTI.

PHARAO.

Adeſte Proceres, voſque Niliaci procul
Orbis jacentes quotquot incolitis plagas,
Mea dicta memores capite. Spectatum reor,
Quid iniqua toti Numina Ægypto parent.
Tamen medela non caret certa malum,
Et triſte melior vincet exitium ſalus.
Tu, Memphi, noris unde ſecuram potes
Tibi polliceri rebus in miſeris opem.
Agnoſce Phariis ſupplici cultu caput
Populis verendum. Qui malam vidit luem,
Idem ille, fata quæ feret ſecum aſpera,
Prævertet. Ergo tu, precor, mecum imperi,
Joſephe, habenas flecte: neve habilem manum
Mihi commodare pigeat. En ſe ſe exhibet
Tibi obſequentem tota, quàm latè patet,
Ægyptus; agedum, cuncta moderare, ut voles,
Rerumque dominus omnium ac regni arbiter
In Urbe, in Aula, ſtatue quem noris modum
Arcere triſtes poſſe fatorum minas.
En hic Tibi, quem trado geſtandum manu,
Meus docebit annulus quo ſtes loco,
Gradum aſſecutus pœne Regali parem.
Mox velet humeros purpuræ nitidum decus,
Aurique meritum circulus collum ambiat.
Hoc apparatu regium ſcande ocyùs,
Joſephe, currum: populus impatiens fremit,
Dominoque geſtit plaudere Ægyptus ſuo.
Præite, Proceres; debitam obſequii fidem
Jurate. *JOS.* Quales muneris tanti memor
Grates rependam? *PHAR.* Quem ferent cultum excipe;
Dum ſoſpitalem gratulor ſponſæ diem,
Et amica porto nuncia; huc genitor comes,
Et natus adſit.

SCE-

SCENA ULTIMA.

JOSEPHUS, AMASIS, RAMESSES, PSAMMIS, SETHO, PROCERES.

RAMESSES.

PRimus ad genua accido,
Prorex verende. *JOS*. Quid agis? in gremium invola,
Teneroſque amici potiùs amplexus cape.
Dudum ah! Rameſſe, pectori fixa intimo
Tam blanda pietas vivet! hoc totum eſt tuum,
Quod ſpiro; tu me mortis ereptum ſinu
Læto dediſti lucis aſpectu frui.
SET. Et patere, ſacros teneat amplexu pedes,
Tuus ille cuſtos quondam & exactor nimis
Forſan ſeverus. *JOS*. Iſtud ingratus querar,
Amice Setho; gratiæ impenſum ſatis,
Ut nulla me videat immemorem dies.
AMAS. Spes hæc Amaſim ſola ſuſtentat, Tibi
Quod mite pectus, & quod offenſas bonus
Ignoſcis ultro. *JOS*. Nequid ulterius dole,
Amaſi, cùm res tulerit, expertus ſcies,
Quis animus in te noſter. *AMAS*. Hoc unum placet
Genus ultionis? odia ſic penſas memor?
PSAM. Me vana, fateor, cura, me patrius Deum
Cultus fefellit; noſtra nil in te fides,
Nil peccat animus. *JOS*. Diſcere hinc ſaltem potes,
Quam cœca Divum numina Ægyptus colat.
Ille, ille terris pariter ac cælo Deus,
Cujus tremendo Numini Abrahamidæ ſacrant
Meritos honores; ſolus hic dignus coli eſt,
Dignus & amari ſolus. O falſos precor
Dedocta ritus quondam, & acceptæ memor
Salutis, unum hunc ſtudeat obſequio pari
Ægyptus ævum in omne venerari Deum!

Finis Actus quinti & ultimi.

DANIEL,
SEU
VERUS DEI CULTUS
IN ORIENTE RESTITUTUS.
TRAGOEDIA.
ACTA LUDIS SOLEMNIBUS
ANNO M. DCCI.

ILLUSTRISSIMO VIRO
JOSEPHO JOANNI-BAPTISTÆ
FLEURIAU D'ARMENONVILLE,
ÆRARII GALLICI MODERATORI.

NOn eſt hoc virtutis fatum, etiam debitis honoribus cum fulget, VIR ILLUSTRISSIME; *ut placere ſemper, & rapere omnium animos poſſis in amorem ſui. Id ipſum ſatis expertus periculo ſuo eſt celebris ille Daniel, qui prodit hodie in publicum, & tui nominis in umbra lucem affectat.*

Erat in eo felix ille raruſque virtutum omnium comitatus, quæ magnos viros & rebus maximis deſtinatos commendare ſolent; ſumma vis ingenii, ſingularis prudentia, mira quædam in adminiſtrandis ingentis Imperii rationibus dexteritas, ſpectatæ integritatis fama, ſincerum Religionis ſtudium. Neque in tanto rei feliciter gerendæ præſidio, vel exerendæ locus induſtriæ, vel potentiſſimi Regis amor & gratia defuerant. Tamen, quod mirum eſt, non potuit Daniel multorum invidiam criminationemque declinare; neque illam, quam meruerat apud omnes obiti ſanctè ac ſapienter muneris, poſt exactum provectioris vitæ curſum, laudem adipiſci.

Hinc

Digitized by Google

Hinc verò quam lata tibi gratulandi ſeges exſurgit, VIR ILLUSTRISSIME, *qui in ipſo maturioris ætatis aditu ad tantum dignitatis apicem evectus, cum nullam ex illis dotibus, quas olim in Daniele Aſſyria tota ſuſpexit, quiſquam in te deſideret; id etiam jamdiu ſis aſſecutus, ut omnium admiratione pariter & amore perfruaris.*

Quanquam ne quis putet, unum hoc eſſe blandientis fortunæ munus, quòd imis æque ac ſummis gratus & acceptus vivas. Fructus hic candoris tui, comitatis, acerrimi pariter æquiſſimique judicii, & propenſiſſimæ in unumquemque voluntatis; quibus ſic demereris animos, ut te rerum ſuarum cognitorem omnes ambiant; nemo triſtis à te, aut tibi non obligatus, etiam cum ſpe fruſtratus eſt ſua, recedat.

Gaude longùm tuo illo tam ſingulari bono, VIR ILLUSTRISSIME; *dum tibi certam paternæ virtutis in ſpem filius adoleſcit. De quo ſi tam honorificè jam tum unuſquiſque prædicat, ut te hac beatum prole non dubitet profiteri: Ego qui ſum inter cæteros, præſtantiſſimæ ipſius indolis, felicis ingenii, & maturi ſupra ætatem judicii propior teſtis & admirator; patere, ut impenſiùs tibi gratuler; & hanc, quam ſors obtulit, ſignificandæ meæ erga te voluntatis occaſionem arripiam.*

VIR ILLUSTRISSIME,

Tibi addictiſſimus, GABRIEL FRANCISCUS LE JAY, è Societate JESU.

PRÆ-

PRÆFATIO.

TAm benevolè, tam humaniter, quæ de Joſepho tria Dramata non ita pridem dedimus, excepta ſunt; opinor, quia ſuum divinis Literis argumentum debent; ut novam hanc, quæ Daniel inſcribitur, Tragœdiam ex ſacris codicibus pariter depromptam in lucem prodire paulo confidentiùs patiamur.

Enim verò jam aſſueſcunt animi magnis ex ſe ſe ejuſmodi ſpectaculis: maximè dum primariæ nobilitatis homines, ipſique adeo Principes, conſecratas ſanctarum paginarum religione perſonas agere media in Aula, nihil ab amplitudine ſuæ conditionis alienum putant. Utinam tam pia conſuetudo poetas illos dedoceret, qui nihil Theatro dignum arbitrantur, niſi quod inverecundum eſt, & Chriſtianis moribus oppoſitum!

Non fuit quidquam tota retro antiquitate ſolemne aut glorioſum magis religioni veri Numinis, quam Decretum illud, quod Darius Medus, procurante Daniele edidit; vi cujus in Oriente Cultus Dei, quem ſoli pene Judæi agnoſcerent, imperabatur.

Hinc illius Edicti memor Cyrus, qui Dario deinceps ſucceſſit, & Perſarum Imperium conjunxit cum Babylonico, captivos jamdiu Judæos in libertatem vindicavit; eiſdemque demum remiſſis in Patriam Hieroſolymitanam Urbem, ipſumque in ea Templum ut repararent permiſit.

Hujus porro ſanciendi Decreti occaſio ſufficit Tragœdiæ noſtræ argumentum; quod, uti jacet in libro Danielis, ita nulla ſui parte immutatum deſcripſimus.

Darius Babyloniorum Rex unum è Principibus Regni ſui *Satrapis* Danielem Judæum conſtituerat, cumque Imperio toti præficere ſupremum moderatorem cogitabat; quòd cæteros omnes ſapientia longè ſuperaret. Hinc Danielis odio incenſi *Satrapæ* & in ejuſdem exitium conjurati legem Dario ſurripuerunt, qua, ne per dies triginta, cuiquam Numini, niſi Dario ipſi, precatio fieret, prohiberetur. Poſthabito tali Edicto, Daniel ſolitis Deum precibus non deſtitit palam obſecrare. Quare violatæ legis apud Darium à *Satrapis* accuſatus, renitente nequicquam Rege, ad *Leones* damnatur. Unde cum evaſiſſet incolumis, cultum veri Numinis per totum Imperium Edicto ſolemni procuravit; Rege in *Satrapas* eandem pœnam decernente.

A C T O R E S.

DARIUS, Rex Babylonis.
ASTYAGES, Darii Filius.
DANIEL.
GAZABAR, } Principes Satraparum.
MITHRIDATES, }
PHRAORTES, Præfectus Domus Regiæ.
JOSEDECUS, Danieli intimus.
MILITES.

Scena Babylone, in Palatio Darii.

DA-

Digitized by Google

DANIEL,
SEU
VERUS DEI CULTUS
IN ORIENTE RESTITUTUS.
TRAGOEDIA.

ACTUS PRIMUS.
SCENA PRIMA.
DANIEL, JOSEDECUS.

JOSEDECUS.

NAm quis, vel unde pertinax vultu ſedet,
Frontemque, ſolitum præter, obnubit dolor?
Dum læta rident fata, dum placidos dies
Manifeſtus ultro Principis ſpondet favor,
Quid deinde felix ambiat Daniel prece?
Fruſtra nocendi livor injuſtus bonis
Exſtimulet iras; Rege mox uno minor,
Vitæque dominus pariter ac mortis potens
Injurioſas inde ridebis minas.
DAN. Quid ais, Amice? quid mihi fruſtra occinis?
Errorne? tene fallit imprudens amor;
Ut non, quod inſtat, ipſe pervideas malum?
Ah! diſce iniquas, blandiùs vel dum favet,
Prudens vereri ſortis ingratæ vices.
Actum eſt: amico luxit extremum jubar,
Joſedece. *JOS.* Fallit durus incautum ſopor,
Aureſne pavidas lugubris pepulit ſonus?
Quid acerba memoras fata? quid miſerum enecas?
Dubiumne amici tentet incertus fidem
Probare Daniel? projice ambages procul,
Et aperta loquere. *DAN.* Nil ego ambiguum loquor:
Tentare certam nec mihi eſt animus fidem,
Joſedece; Amico crede; nec graviùs tamen
Funeſta doleas fata: ſi durum eſt mori,
At ipſa mortis cauſa Danielem juvat,
Et expetendo meruit apponi lucro.

JOS.

JOS. Adeone miſerum vivere, ut lucrum putes
Obire mortem? Fare cur vitæ piget?
Vel unde mortis crevit impatiens amor?
DAN. Dum trahere vitam ſceleris expertem nequit,
Ullumne Daniel horreat mortis gradum?
Amice, non me tanta fugitivæ tenet
Lucis libido. *JOS.* Pergis ambages loqui,
Nam te quis ægrum ſceleris invaſit metus?
DAN. Ten' execrandæ legis Edictum recens
Etiam lateret? nempe terdenos dies,
Abominandum ſiquid imperium valet;
Deus ille cœli rector, & mundi arbiter,
Quem colimus ambo ſanguine Iſacidum ſati,
Cultu carebit debito, & nullas preces,
Gentis nefandæ triſte ludibrium, feret?
Et obſequemur? *JOS.* Tene mandatum hoc petat?
DAN. Id quæris? in me lata lex: noſtrum in capus
Fulmen paratum. *JOS.* Nempe tam infenſus putas
Darius ut ſit? hos tibi nectat dolos;
Titulos inanes, fragile dum impertit decus?
DAN. Ah! parce: fraudis ne malæ Regem arguas,
Neve execrandæ legis artificem increpes.
Hanc ipſe vel ſi tulerit, imprudens tamen,
Mihi crede, nec quid faceret attentus, tulit.
At gens iniqua, Satrapæ, & noſtrum genus
Exoſa, tales jam diu inſidias ſtruit;
Et vetera quærunt odia vindictæ locum.
Ille, ille, quo me cernis evectum, gradus
Incendit animos: extero natum in ſolo
Nec vana Superum monſtra metuentem piget
Dominum vereri. Reliqua quid fruſtra morer,
Veſanus unde livor, & virus malum
Crevere. Beli Sacra rituſque impios
Palam revici fraudis; hinc dolet, hinc furit
Cultus profani tutor, & ſemper novas
Cupidus nocendi Gazabar quærit vias.
Hinc Mithridatis pariter ambitio impotens
Sperare meliùs cœpit, & mihi dum timet
Subeſſe, quem nec ferre potuiſſet parem,
Statuit nocentem reddere, ut perdat reum.
Ne dubita, Amice: paribus utrinque æmulis
Certatur; & quem vincere injuſtus furor
Nequeat aperto marte, jam oppugnat dolo.
JOS. Te nota regis gratia & certus favor,
Quidquid minetur hoſtis, incolumem dabunt.
DAN. Erras, Amice; namque, res quo ſunt loco,
Haud me Darius ipſe, ſi ſalvum velit,
Eripere letho valeat. Hæc Perſis ſedet,

Medif-

Medisque regni dura lex; fixum & ratum
Ut eſſe ſoleat, Satrapis quidquid ſemel
Regique placuit. *JOS*. Quid Deo occultum vetat
Cultum exhibere, publicum quando haud licet?
DAN. Tam turpe facinus, dedecus tantum feram,
Ignavus, excors? Non retro, ut poſſim, pedem
Velim referre; nec queam, ſi fors velim.
Peracta res eſt: omnibus feci palam,
Quis eſſe deceat legis injuſtæ metus.
Noſterve ſi quos animus etiamnum latet,
Mox ſacra precibus hora ſpectatum dabit,
JOS. Quæ te in pericla mittis?... Atenim Rex ſubit:
Salubriora, ſpero, conſilia ingeret.

SCENA II.

DARIUS, DANIEL.

DARIUS.

ACcede, noſtri columen & regni decus,
Generoſe Daniel; merita te pridem inclyta
Rerumque prudens animus, & conſtans fides
Superis & imis pariter acceptum caput
Fecere. *DAN*. Proh! me ſorte felicem mea,
Cupidum obſequendi ſi modò ſtudium approbas,
Rex magne: quidvis aliud ulterius jube?
Non me videbit ulla degenerem dies.
DAR. Age ergo: rebus ſtrenuam Aſſyriis opem
Si quando ferre contigit, rerum juvat
Nunc demum habenas capere moderandas manu.
Te Satraparum tota gens deinceps colet
Uno minorem Rege, & ad nutum obſequens
Mandata peraget? *DAN*. Scilicet, dum me impias
Furtim per artes damnat inſontem neci;
Suique Temet ſceleris artificem facit?
DAR. In me vel in te perfidi tantum audeant?
Quid quereris? ecquod, fare, conceptum eſt nefas?
DAN. Non me Leonum, magne Rex, ſævus furor
Timidumve mortis aliud exterret genus.
Propone flammas, vulnera, & diras mali
Doloris artes; quidquid immane, horridum,
Quidquid cruentum livor atque odium impotens
Extuderit uſquam; non ego impatiens querar;
Nec dura verear fata conſtanter pati.
At cur in ipſum gens mala inſurgat polum,
Suum & ſupremo Numini eripiat decus?
DAR. Nam quò iſta tendunt? Quem Deo ereptum doles

Amice, cultum? Quiſquis admiſit ſcelus,
Per ſceptra juro, vindicem agnoſcet manum.
DAN. Etiamne legis impiæ auctores latent,
Quam regio ipſe calculo, imprudens licet,
Palam approbaſti? Mollibus ſed enim dolis
Fecere fucum Satrapæ, & dum Te unicum
Babylone Numen ſupplici agnoſcunt prece,
Tam blandus error haud reluctantem abſtulit.
DAR. Ah! video: miſerum laudis illuſit fames;
Suiſque, quod ſuadebat, illecebris nefas
Obduxit. Utinam liceat! infectum foret,
Quodcumque feci. *DAN.* Sed age: quis noſtrum interim,
Tua ſi valebunt juſſa, terdenos dies
Merito ſupremum Numen obſequio colat?
Tu vota populi nempe, tu ſolus preces,
Deus ipſe Regum Dominus, & rerum arbiter,
Quaſcumque terris cernimus, nullas ferret?
Et inv'tus ut ſit? Spretus, illuſus, probri
Impune patiens, ſcelere pro tanto, pares
Repetere pœnas parcat? Ergone excidit,
Nulloſve nuper vindicem expertus Deum
Abominandus Baltaſar fecit metus?
Hic pocula inter media, ſcortorum & greges,
Contaminare vaſa nil veritus ſacra,
Subita exaratum vidit attonitus manu,
Quod imminebat, debitum pœnæ genus.
Et ille prole melior, aſt olim & Dei
Suique pariter immemor, ſolio excidit,
Septem & per annos inter agreſtes feras,
Brutæque ritu pecudis exſatians famem
Nabuchodonoſor, triſte documentum dedit,
Quantus ſuperbos atterat Reges Deus!
DAR. Confide, Daniel, meliùs: hunc ipſum polo
Terriſque Dominum, quem colis, teſtor Deum;
Suus hunc honos & cultus illæſus manet:
Nec illa tibi lex, quam tuli, damnum afferet.
Unum hoc precanti cede: tantiſper preces
Omitte ſolitas: per brevem unius moram
Permitte lucis. *DAN.* Tam tibi notus parum eſt
Daniel? Ut ævi fragilis indigno rear
Redimenda ſcelere tempora? ah! potius vide,
Quid mancipata Numini poſcat fides?
Simulare nam quid plura nequicquam velim,
Quæ nota Satrapæ protinus facient palam,
Vel me tacente. Diſce quod verum eſt: Deus
Dum noſtra repetit vota, parendum fuit,
Nulloque potuit eſſe Decretum loco,
Quodcumque faceres: quam voles pœnam irroga,

Rex

Rex magne: ſed me rurſus ad ſolitas preces,
Præfixa revocat hora; Tu vive, & vale.

SCENA III.

DARIUS.

ABſcedit; & me ſana ſuadentem negat
Audire! Legis ecce contemptæ reum
Gens Satraparum tota Danielem arguet,
Gravibuſque repetet debitum pœnis caput.
Quid agam? vel unde ſubtraham letho Virum
Meliora meritum fata? Quod placuit ſemel
Sancire, Regni jura mutari haud ſinunt.
Eheu! quid egi? video, properavi nimis:
Caviſſe decuit invidæ gentis dolos,
Nec ferre legem calculo quam non ſuo
Daniel probaſſet ipſe. Num regni tamen
Impune tantum præripi patiar decus?
Quid me experiri cardine hoc rerum juvat?
O tu micanti cuncta quem Daniel canit
Moderari ab arce, nunc ades, precor, ò Deus!
Magnique egentem conſili aſpirans rege.
Natum evocemus; ſi qua ſe monſtret via,
Patrem adjuvabit. At priùs ne me occupent
Satrapæ; nocendi neu quid officiat furor,
Prudens videbo. Portet huc aliquis gradum.

SCENA IV.

DARIUS, PHRAORTES.

DARIUS.

ADes huc, Phraorte. *PHR.* Præſto ſum. *DAR.* Aſtyagem voca:
Res urget; adſit ocyùs: tu, ne interim
Succedat Aulæ quiſpiam, dum erimus ſimul
Intus, cavebis ſedulò. *PHR.* Imperium exequar;
At Mithridates ecce ſuccedit tamen,
Comeſque ſequitur Gazabar. *DAR.* Nam quid volunt?
Ergo utriuſque fugere conſpectum haud licet?

SCENA V.

DARIUS, GAZABAR, MITHRIDATES, PHRAORTES.

GAZABAR.

Rex; vive. *DAR.* Quæ vos cura ſollicitos tenet;
Nec evocatos tempore alieno huc agit?
GAZ. Violata Regni jura, Regnantum & decus,
Tuaſque nullo, magne Rex, habitas loco
Impune leges querimur: ultricem manum
Scelus nefandum poſcit. *DAR.* Hoc ſtudium placet,
Et utriuſque laudo generoſam indolem.
Aſt inſtat aliud; plura nec mihi jam vacat
Audire. Si quod fuerit admiſſum nefas,
Curas inanes pellite, ultorem dabo.
Valete. * Tu me ſequere; nec quiſquam huc pedem
Quicumque demum fuerit, injuſſus ferat.

* *Ad Phraortem.*

SCENA VI.

GAZABAR, MITHRIDATES.

GAZABAR.

Quid eſſe dicam, Amice? quæ gravior poteſt
Stimulare Regem cura, dum regnis probrum
Sibique placidus audit illatum? *MITHR.* Stupor
Me ſimilis urget; nec quid acciderit novi,
Quò, quò feratur animus, incertus videt.
GAZ. Senſiſti ut ægra Regis inſolitus pavor
Turbavit ora, quando violatam audiit
Legem, reumque capitis ad mulctam peti?
Ah! video; neque me credulum fallit malus
Error, metuſve ludit. Hebræi ſcelus
Rex novit, aut non vana ſuſpicio incidit.
MITHR. Si novit; ecquid quærere ulteriùs juvat,
Cur noſtra fugiat ora, conſpectum horreat?
Damnare metuit nempe, quem ſalvum velit.
GAZ. Fruſtra eſt, Amice: nemo devotum neci,
Vel ipſe Rex ſi tentet, eripiat caput.
Decreta quiſquis noſtra violavit nocens;
Hunc jura fontem cuncta damnari jubent.
MITHR. Quem vehere primos certat ad honorum gradus
Manifeſta Regis gratia, & reliquos ſuper-
Poſuiſſe Satrapas ambit; an lentus ſinat
Perire eundem? *GAZ.* Si negat, cogi poteſt.

Digitized by Google

An ergo nullum, Satrapæ quotquot ſumus,
Vel inane gerimus nomen? Incœptum bene eſt;
Structoſque Daniel lævus in laqueos ruit.
Inſtemus operi: fata felicem exitum,
Ni robur animo deſit ac virtus, dabunt.
MITHR. Confide: ſtimulis paribus accenſos habes,
Quoſcumque Daniel jam diu imperio premit.
Nunc ergo, ſi qua eſt, rurſus ad Regem viam
Tentemus. *GAZ.* Ultro te ſequor: jam jam ſciet
Sceleſtus, aliquos eſſe quos ſprevit, Deos.

Finis Actus primi.

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

ASTYAGES, PHRAORTES.

ASTYAGES.

SPerare quid tu meliùs Aſtyagem jubes,
Amice? prima, video, te ſpecies capit,
Luditque amantem; quodque jam factum velis,
Id poſſe fieri placuit: hic blandas preces
Phraortis, & quæ vota ſollicitus facit,
Agnoſco; dignas & memor referam vices,
Meliora quondam fata ſi dederint locum.
At parce, amabo, credulam ſpe futili
Lactare mentem: potiùs hæc animo injice,
Sortem unde leviùs poſſit adverſam pati.
PHR. Quàm non inanis augur extiterim, brevi,
Generoſe Princeps, faciet eventus palam.
Utinam adfuiſſes, cum tui cupidus pater
Satrapas valere juſſit; ac gravibus licet
De rebus ambo Regis affatum dari
Peterent, loquendi pertinax ſpatium abnuit!
AST. Suis carere genitor ut Satrapis queat;
Natumque patiens imperi in partem vocet?
Hoc credis? hoc me credere hortator jubes?
Ten' lateat unum, Amice, quem pater ad gradum
Evehere Satrapas inter Hebræum paret?
Mox ſumma rerum nempe Danielem eſt penes;
Nihilque, Regis nomine excepto, manet
Deinceps parentem; non ego; æthereas faces,
Cœloque quiſquis regnat, atteſtor Deum,
Dulce imperantum cupidus invideam decus:
Aut longioris pondus obſequii abnuam,

Aſſyria per ſe regna dum genitor regat.
At ipſe rerum mole defeſſus gravi,
Quod facere refugit, ſobole contempta, pater
Moderanda tradat ſceptra Satraparum in manus;
Pudet, pigetque fateor; & probri impotens
Huc uſque docilis animus haud novit modum.
PHR. Cuicumque ſanguis melior in venis micat,
Quàm ſit negatæ laudis impatiens, ſcio,
Generoſe Princeps: inclytam novi indolem,
Mentemque rebus, quam geris, natam arduis.
Nec exercendæ, ſpero, virtuti locus
Longùm aberit; animos interim ad tempus preme;
Conſilia Regis cuncta dum ſe ſe explicent,
Senſuſque pandant intimi. *AST.* Morem geram,
Amice, & ultro, quam petis, dabitur mora;
At ni querelas docilis admittat pater,
Habeatque juſtas, quo loco deceat, preces;
Ignoſce, ſi quid ... *PHR.* Ah! cave; namque huc ſubit
Rex ipſe. Cedo.

SCENA II.

DARIUS, ASTYAGES, PHRAORTES.

DARIUS.

NE pedem hinc retro feras.
Phraorte: quidquid hic rei eſt, totum hoc bene
Animo fideli creditur. Patrem adjuva
Tu Nate, rebus, quam potes, dubiis opem
Ne ferre pigeat. *AST.* Sorte nunc demum ſua
Lætum ac beatum, Genitor, Aſtyagem nimis,
Præſtare ſi quid liceat, unde animus, fides
Conſtet parenti! *DAR.* Nate, ut hic ſenſus placet!
Ut me iſta pietas recreat! mentem adjice;
Et, quid juvare cardine hoc rerum patrem
Poſſis, docebo. Quo mihi poſitus gradu,
Orbi verendum quàm ſit Aſſyrio caput,
Hebræus ille, merita cui pridem inclyta
Tam grande nomen tamque conſpicuum decus
Fecere, noſti. Senſit ingenium ſagax,
Mentem & futuri providam expertus, Virum
Honore coluit multo & inſignem dedit
Tenere reliquos Satrapas inter locum
Nabuchodonoſor; ipſe fatorum aſperas,
Quod imminebat, Baltaſar doctus malum,
Ni mens fuiſſet læva, fugiſſet vices.
AST. Jam nota loqueris, Genitor; at ſi quid levi

Me-

Meruiſſe Daniel potuit obſequio, ſatis :
Numquid repenſum eſt? affatim indultus favor
Officia vel majora penſaſſet bene.
DAR. Quid loqueris? an te pariter infelix quatit
Stimulatque livor, Nate? Ne doleas tamen.
Huc uſque tanto quidquid impenſum Viro eſt,
Regnis, mihi, tibique id impenſum fuit.
Scis ipſe; quò non cœca dominandi fames
Et tacita Satrapas odia, maleſidum genus,
Agant furentes: ſtruere fallaces dolos,
Suiſque vitam regibus, ſceptrum aut malas
Rapere per artes, hoc ſtudent unum, labor
Hic unus; iſto ſcelere ſed Daniel vacat,
Moreſque ſolus impios plenus Deo,
Quem vaſta mundi ſpatia moderantem colit,
Damnavit uſque. Gentis hinc dudum efferæ
In ſe furores movit; hinc pœnas graves,
Mea ni reſiſtat cura, ni præſens opem
Et ipſe tuleris pariter, immeritus dabit.
AST. Aſt ille pœnas unde jam metuat, gradum
Per te aſſecutus penè regali parem.
Hinc Satraparum futiles ſpernat minas
Impune; Tuque plectere ut ſontem velis,
Fruſtra laceſſas invium letho caput.
DAR. Ah! ne parentem, Nate, nil meritum aſperes:
Tumida reſidat ira; veſanos preme
Animi tumultus; ſiquid offenſus doles,
Regni cupido ſi qua ſollicitum fodit,
Confide; ſuperi vota quamprimum audient.
Jam me ſenectus ægra, me dudum meus
Amor volentem, facere quid deceat, monent.
Inducias Te genitor exiguas rogat;
Operique, quod jam meditor, admoveas manum.
AST. Tam dira me libido, dum lucem aſpicis,
Regnaſque, vanum ſtimulet? Hoc credis pater?
Suſpicio tibi tam prava de nato incidit?
Proh! dura mea nunc fata! Me vivum priùs
Tellus profundo condat æternum ſinu;
Miſſumve cœlo fulmen in miſerum ruat;
Quam ſceleris hujus videar admiſſi reus.
Fidem experire, Genitor obſequium proba;
Et infidelem nactus Aſtyagem abjice.
DAR. Bene eſt, abunde eſt: hoc mihi ſolum peto
Fidei & amoris ſpecimen, hoc unum annue
Ut imminenti, Nate, Danielem eximas
Mortis periclo; noſtra, quæ nulli licet
Violare, juſſa ſprevit, & vetita palam
Suum obſecravit Numen impavidus prece.

Res nota Satrapis: gentis ingenium malæ
Tales tetendit, queis Virum caperet, dolos.
Namque ipſa legem fixit arbitrio, & mihi
Nil cogitanti tale ſignandam obtulit.
Jam venit impos mentis atque odio furens
Cum Mithridate Gazabar; paribus reum
Animis parabant agere, niſi vocem occupans
Rerumque molem fraude mentitus pia,
Hinc ſuſtuliſſem me me ab utroque ocyùs.

SCENA III.

DARIUS, ASTYAGES, PHRAORTES, MILES.

MILES.

HUc ambo Satrapæ Principes aditum petunt.
DAR. Mea ſic faceſſunt juſſa? Jam menti excidit
Fuiſſe vetitum, nequis huc ferret pedem
Injuſſus? *MIL.* Equidem fateor: aſt inſtant tamen,
Graveſque, ſi quid creditur, cauſas habent,
Quæ longiorem ferre non poſſint moram.
DAR. Dic in penates intimos flectant gradum;
Mox adero.

SCENA IV.

DARIUS, ASTYAGES, PHRAORTES.

DARIUS.

CErnis, Gnate, quò livor nocens,
Aperta quò non odia præcipites agant?
Etiamne patiens triſte ſervitium feram?
AST. Age ergo, Genitor; quin jugum turpe excutis:
Pulſi quieſcant Satrapæ: Imperium rege
Solus; nec ultra Sceptra moliri audeant.
DAR. Utinam liceret, Nate, quod ſuades ſequi;
Taleſque regni fata paterentur vices!
Lux fortè veniet illa, cum faciles Dei
Feliciorem rebus oſtendent viam.
Quod urget, unum adverte; quo poſſit modo
Jam provideri certa Danieli ſalus.
AST. Tuum imperare eſt, Genitor, & noſtrum obſequi.
DAR. Olli ſalubrem, Nate, curemus fugam:
Spes illa ſupereſt una, ſi ſalvum velis.
Severa regni jura: nec Regem eſt penes,
Quantùm laboret cumque, dum Satrapæ abnuunt,

Eri-

Digitized by Google

Eripere letho legis infractæ reum.
Hoc agere præſtet; exteram ut Daniel queat
Adire terram ſoſpes, & quantùm patet
Caldæa, noſtris protinus migret plagis.
Amica Perſis dulce perfugium dabit;
Notumque Cyrus hoſpitem accipiet lubens.
Babylone Daniel aderat ante annos decem,
Cum victa Medis pariter ac Perſis, mihi
Cyroque ceſſit, noſtrum & excepit jugum.
Jam tum futuri præſcius, rerum & ſagax
Danielis animus nomen in clarum iverat,
Cyrique in Aula grande retinebat decus.
Cyrum ocyùs monebo, quo Daniel gradu
Mihi ſit, vel orbe dum procul noſtro exulat.
Hoc providebis ergo; tecum erit hic labor;
Ut nocte captet proxima incolumis fugam.
Reviſo Satrapas interim, & placidè audiam,
Jactare quidquid gravius in Hebræum parant.
Tum velle totum excutere dum per me ſcelus
Videor, moratum, cardine hoc rerum, ſatis,
Perficere cuncta commodè ut liceat, traham.
AST. Confide, Genitor; quod jubes cumque exequar.

SCENA V.

ASTYAGES, PHRAORTES.

ASTYAGES.

Vidimus, Amice; fronte mutata redit
Fortuna melior, rebus & noſtris favet.
Eamus; ultro quam pater miſerans opem
Impendi Hebræo poſtulat, dabimus. *PHR.* Fugam
Ipſe adjuvabis? tamne mutatum rear?
Concepta placidis odia ſic animis cadunt?
AST. Quid me juvarent odia, dum ſupereſt nihil
Deinceps timendum? Fugiat, & vitam trahat
Impune Daniel; nil moror; nullos metus
Dum faciat, & non debito cedat loco.
Ah! paribus utinam legibus talem queant
Satrapæ mereri gratiam, inviſum genus,
Paterna quot quot Sceptra moderari ambiunt!
PHR. Parumne gentis Principem in geminum invehi
Rex viſus? ipſe teſtis audiſti, quibus
Utriuſque fraudes impias ſenſit probris?
Nec lentus aderit ultor. *AST*. At eoſdem timet,
Odiſſe vel ſi poſſit infenſus pater.
PHR. Etiam timere deſinet, nutantem adhuc

Capiti

Capiti coronam longa cum tandem dies
Firmarit. *AST*. Et nos turpe ſervitium interim
Feremus? *PHR*. Hæc te cura ſollicitum coquat?
Meliora potius fata dum ſe ſe explicant,
Hinc augurare melius. *AST*. Ignoſce, obſecro,
Amice; me ſi fortè regnandi fames
Iniqua ſtimulet; recta ſuadentem ſequar.
Quod viſa mihi fors jam dare, apponam lucro,
Et lætiores, dum ferat, patiens vices
Sperabo: ſed tu patris in Satrapas move
Animos & iras; retege fallaces dolos;
Tacitiſque ſemet credat inſidiis peti.
Ego hinc, parentis juſſa quo rapiunt, feror.
PHR. I, perge, Princeps; ſequere felicem impetum,
Et mancipatam crede, quam repetis, fidem.

Finis Actus ſecundi.

ACTUS III.

SCENA PRIMA.

DARIUS, MITHRIDATES, GAZABAR, PHRAORTES.

DARIUS.

Metus omnis abſit; non ego inviſum velim
Fovere facinus: lege contempta nocens
Quicumque fuerit, debitas pœnas luet.
At iſta, Proceres, cauſa ſedatos petit
Animos, nec ante debet immanes reus
Subire pœnas, quam ſuæ admiſſus palam
Cauſæ patronus, qua licet, probrum eluat.
MITHR. Jam dicta cauſa eſt, hìc ubi conſtat ſcelus,
Et tot revinci teſtibus factum poteſt,
Quot aula Satrapas, ipſa quot cives habet
Numeroſa Babylon. Nam neque abſtruſus domi,
Tectuſve latebris ſupplici Daniel genu
Suum obſecravit Numen, at aperto in loco;
Et unde fugere nequeat aſpectum: hinc nihil
Mandata veritus regia illuſit ſacras
Impune leges. Vidit indignans probrum,
Nec inulta ſiluit turba: conclamat; graves,
Dirum execrata facinus, intentat minas.
At non moveri viſus, aut victus metu

Venis

Votis pepercit; animum in errore obſtinat,
Iteratque vetitas uſque contemptor preces.
DAR. Confidite: ultor aderit, & ſontem manet
Æquanda ſceleri pœna: præcipites tamen
Retinere motus, æquitas, ratio admonent,
Alioque digna præmio, in rerum arduis
Probata virtus, & Viri conſtans fides.
Ipſa, ipſa Babylon novit, & qua panditur,
Utrumque didicit orbis Aſſyrii latus;
Quis ille, cujus poſcitur letho caput;
Quoties per ipſum parta Babyloni ſalus.
Ergo quis in me parcat opprobrium aſperæ
Jactare mortis, ſi quid in talem Virum
Properaſſe nimiùm videar? ah! ſi dura lex,
Regnique jura cadere Danielem volunt;
Æquas queratur nemo damnantis moras.
GAZ. Quas petis, iniquas ipſa lex damnat moras,
Damnantque Satrapæ pariter: iratus fremit
Et ipſe populus; ac niſi ſontis nece
Juſto furori protinus fiat ſatis,
Nequid ſiniſtrum tentet inſipiens, cave.
DAR. Frænare veſtrum eſt & coercere impetum.
GAZ. Populi furentis impetus neſcit modum.
DAR. Quieſcit ultro, ni quis incendat, furor.

SCENA II.

DARIUS, MITHRIDATES, GAZABAR,
ASTYAGES, PHRAORTES.

ASTYAGES.

Liceat remotis alloqui patrem arbitris.
DAR. Ite ambo, neque vos ullus excruciet labor.
Suum verendas uſque & illæſum decus
Leges manebit, ſpondeo; hoc unum, obſecro,
Conſulite; nequid deinde turbarum audiam.
GAZ. Quàm polliceri facile, tam pronum id foret
Præſtare, Princeps, quod petis: tecum hoc vide:
Aſt unus ipſe facere, quod mandas, potes.

SCENA III.

DARIUS, ASTYAGES, PHRAORTES.

DARIUS.

Ecquando tumidos ſpiritus tandem premam,
Cogamque dociles Regis imperium pati?

AST. Regnas; & iſtud, Genitor, ambages parit?
Agedum experire, jura dominantis probent;
Nati & ferendo perpeti diſcant jugum.
DAR. Primum quod inſtat, Nate, jam facto eſt opus.
Mox, crede patri, Sceptra quis teneat, ſcient.
Jam fare; qualem nuncias rerum exitum?
Quid me jubes ſperare? *AST*. Nil actum eſt, pater;
Et quam obtuliſti, rejicit Daniel fugam.
Suaſi, rogavi, quaslibet me me ſagax
Converti ad artes, cuncta tentanti irrita
Cecidere: perſtat uſque propoſiti tenax,
Nefaſque reputans fugere, dum ſolus Dei
Cultus nocentem fecit, horrendam priùs
Subire mortem, tale quàm probrum, velit.
DAR. Quæ par ſalutis eſt ſuper; vel quis modus;
Inire, quæ jam eſt una, ſi refugit viam?
AST. Me cura ſimilis angit: at, vel ſi annuat,
Vix ullus eſſe nunc fugæ poſſit locus;
Tam multa populi turba circumdat Virum;
Tantos & illa pertinax motus ciet.
PHR. Adeſt fideles ille Danielis comes;
Et ora lævum mœſta neſcio quid canunt.

SCENA IV.

DARIUS, ASTYAGES, PHRAORTES, JOSEDECUS.

DARIUS.

JOſedece. *JOS*. Sacros pronus advolvor pedes.
DAR. Quid vis? quis ægro luctus in vultu ſedet?
JOS. Actum eſt: periclo ni ſtatim ſalvum eripis,
Certamque rebus perditis affers opem,
Rex magne; fato lugubri Daniel perit!
DAR. Infanda nam quæ fata Danielem petunt?
JOS. Parvos penates populus immensùm fremens
Obſedit, & nil tale promeritum, neci
Dandam repoſcit victimam: tectis faces
Impune, paſſim tela cum ſaxis volant!
Ac ni furori fida ſociorum manus
Huc reſtitiſſet uſque, jam fracto objice,
Lymphata miſeros turba vertiſſet lares.
Nam gens iniqua Satrapæ, & dirum nefas
Meditata, ſtimulis acribus populum incitat;
Et læſa regni jura per totam ferens
Babylona, fontem mortis in pœnam vocat.
Te ſi qua miſeri cura Danielis movet,
Rex magne; ſtudio ſi quid aſſiduo poteſt

Meruiſ-

Meruiſſe, capiti funus infandum amove.
DAR. Gens perduellis has mihi turbas agit;
Odiiſque, ſpreto Rege, ſervire obſtinat?
At non inultum noverit jamjam ſcelus.
Phraorte, propera: reprime furialem impetum,
Mihique tecum ſiſte Danielem ocyùs
Sic jubeo: quiſquis ponere audebit moras;
Vel Mithridates, Gazabar vel ſi fuat,
Per aſtra juro, vindicem agnoſcet manum.
PHR. Rex magne, ſalvum præſto, vel noſtrum in caput,
Si quam minantur fata, tempeſtas ruet.

SCENA V.

DARIUS, ASTYAGES, JOSEDECUS.

DARIUS.

NAm quis tumultus inter ac triſtes minas
Danielis animus? quo videt vultu efferæ
Plebis furores, atque Satraparum truces
Advertit iras? *JOS.* Fortis, impavidus, ſui
Similis; nec ullo mortis infractus metu,
Utriuſque ſortis placidus expectat vices.
DAR. Sic ergo rigidus dulce conſilium abjicit;
Et, quam ſalutis facio, non patitur viam?
Tun'ipſe Amicum lentus in apertam rapi
Sinas ruinam? Tam parum ſolers fuit,
Aut tam remiſſas extulit vires amor,
Ut non amantem flecteret? *JOS.* Tene, ah! graves
Augere luctus, magne Rex? tene aſperum,
Heu me! quod alto pectori inflixit dolor,
Stimulare vulnus? quid ego inexpertum tuli,
Dum præviderem mente præſaga malum,
Funeſtum ut omen fallerem? Ut ſæpe inſtiti,
Periculoſo ne ſuum obſequio Deum
Coleret; iniquum donec Edictum abrogans,
Obicem amoveres ipſe. Sed fruſtra: horruit,
Meque execratus conſili auctorem impii,
Immotus uſque, durus, intractabilis,
Rupiſque more neſcius flecti, ſtetit.
En prodit ipſe. *AST.* Quanta tranquillo nitet
Gravitas in ore!

SCENA VI.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, PHRAORTES, JOSEDECUS.

PHRAORTES.

Vicimus; ceſſit furor
Populi impotentis: placidus imperium audiit,
Turbiſque poſuit, Regis ad nomen, modum.
En ipſe Daniel ſalvus ac ſoſpes ſubit.
DAR. Bene eſt, Phraorte; rurſus ad populum redi;
Ultraque ne quid agitet, attentus cave.
* Quæ te in pericla mittis, & ſtudio tui
Quantam ſub imo corde mihi curam injicis,
Magnanime Daniel! *DAN.* Quam geris pro me, exuas,
Rex magne, curam; quidquid eveniat, levis
Jactura noſtri fuerit. *DAR.* Ah! potiùs, rogo,
Vide, ut periclo, dum potes, vitam eximas.
Quid renuis? aut te cur fugæ tantùm piget?
Tibi Perſis ultro, Media hoſpitium dabit:
Potenſque gemini Cyrus ac Dominus ſoli,
Tanto beatus hoſpite, acceptum polo
Munus fovebit, & memor grates feret.
Te coluit ille quondam, & obſequio pari
Tuum fatetur atque veneratur Deum.
Ut te reviſet lætus! ut longas bene
Avidus utrimque redimet amplexus moras!
DAN. Iſtis levare parce, quam ſuades fugam.
Non renuit animus fugere; nec gravius pati,
Quod imperaſſe placeat, exilium timet.
Hinc in receſſus orbis extremos jube,
Deſerta mundi ſpatia, ſoliſque hactenus
Habitata monſtris teſqua; vel fragili rate
Penetrare cæcos æquoris vaſti ſinus;
Dum fata præter duta, caſuſque aſperos
Nil ſit timendum; te mihi teſtem invoco,
Te, qui latebras cordium aſpectas Deus,
Quocumque lethi genere ſi metuam mori.
Aſt una pavidum cauſa fugiendi facit;
Plenamque ſceleris animus horreſcit fugam.
DAR. Quid metuis? animus quod ſibi fingit ſcelus?
Scelus eſt periclum fugere, & immeritas procul
Arcere pœnas? *DAN.* Fugere ſi nequeam innocens,
Scelus eſt. *DAR.* Sed unde non potes fugere innocens,
Quæ te nocentem culpa, ſi fugias, habet?
DAN. Id quæris? Egone legis injuſtæ probrum

* *Ad Danielem.*

Suum

Suum & ſupremo Numini ereptum decus
Impune patiar? publicum vel ſi nefas
Palam improbaſſe videor, & læſos Dei
Reparaſſe cultus; jamne diſſimilis mei,
Fœdaque facinus inclytum aſpergens nota,
Dare terga retro transfuga infamis queam?
Ah! parce: vano fortè ſuperatus metu,
Cupiduſque vitæ ſi profugiſſem priùs;
Ad hoc redirem, magne Rex, turpem ut cruor
Per mille fuſus vulnera elueret fugam.
AST. Proh! quanta virtus! proh! Viri digna indoles
Meliore fato! *DAR*. Cur tuam præceps ruis
Ultro in ruinam? Ne mihi, quando hic ſuper,
Aditus ſalutis unus eſt; illum eripe.
Hoc me rogantem ſuſtine, vel ſi magis
Placet imperata facere, regnantem feras.
DAN. Mene iſta poſſe? quod jubes, Deus hoc vetat.
DAR. Nam cur vetaret? Nempe tam durum putem
Rigidumque Numen quod colis, vitam ut ſuis
Adimat, velitque ſceleris expertes mori?
Aliud dediſti ſpecimen; ut facilem, & bonum
Piumque quoties ipſe jactaſti Deum.
DAN. Nihil hinc refingam: facilis & bonus hic quidem
Piuſque Deus eſt, quem colo: aſt idem potens
Vitæ neciſque Dominus: utrumvis petat,
Utrinque fidum pariter obſequium exigit.

SCENA VII.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, PHRAORTES, JOSEDECUS.

PHRAORTES.

Populi invaleſcit ardor, ad primas redit
Furias, nec ultra Regis imperium valet
Frænare motus, ipſe ni præſens malo
Paret mederi? Civium iratis micant
Scelerata manibus arma; properato eſt opus;
Vel iniqua miſerum fata Danielem obruent.
DAR. Sic nullus aderit uſque turbarum modus.
Ibo, ibo. Sed enim ſceleris auctores, polum
Et aſtra teſtor, quas decet, pœnas dabunt.
DAN. Ah! potiùs, in me totus exundet furor;
Avidamque noſtro ſanguine exſatiet ſitim!
Meum omne ſcelus eſt; unus ad pœnas vocor,
Rex magne: me me victimam redde ocyùs;
Me perime: poſtquam noſter explerit cruor
Animos feroces, blanda pax populis, quies

Redi-

Redibit urbi. *DAR.* Fruſtra es. *DAN.* Hoc unum annue,
Per ſi qua pietas! Genibus affuſum vides,
Miſereſce. *DAR.* Redeo, Nate: Danielem
Tuere, neve Regia exportet pedem,
Caveto. *DAN.* Saltem patere, te comitem ut ſequar.
DAR. Reſiſte.

SCENA VIII.

DANIEL, ASTYAGES, JOSEDECUS.

DANIEL.

Juſtas ſurdus eluſit preces,
Fugitque; placidum te mihi experiar magis,
Magnanime juvenis; da levi pretio graves
Reſtringuere iras: cadere da populi manu.
Vel ſi nocentem durius lethi genus
Decuit; Leonum pergo feralem ad lacum,
Ubi præda rabidis debita obtingam feris.
AST. Huc ſequere potiùs, æquior donec viam
Fortuna pandat; ſi quid Aſtyages poteſt,
Animum probabis ipſe & addictam fidem.
DAR. Parebo: quovis vel reluctantem trahe.
JOS. O tu piorum tutor ac cuſtos Deus,
Quas tanta pietas meruit, exſolvas vices!

Finis Actûs tertii.

ACTUS IV.

SCENA PRIMA.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, JOSEDECUS.

DANIEL.

Fruſtra repugnas; hactenus ſatis eſt datum,
Rex magne, amori: cede; quid rurſum aſpera
Mollire tentas corda? ſpem vanam abjice:
Nec frœna patitur plebis inſanus furor;
Nec ponere odiis Satrapæ norunt modum.
Me crede mihimet, aut mei potiùs Deo
Committe curam: juſtus eſt cœlo Deus;
Preces nec ille corde conceptas pio

Aver-

Digitized by Google

Averſus unquam ſprevit. O utinam ſinu
Cordis paterent intimi, & quod vix loqui
Poſſim, videres! Grande neſcio quid ſibi
Promittere audet animus, & ſpes hic novas,
Omnen que pene quæ fidem ſuperent, fovet.
Fera bella moveant, corpus objectent feris,
Quos odia, quos & livor in noſtrum caput
Incendit hoſtes; ne time; inſontem haud petit;
Sua ſed nocentes pœna, Rex magne, obruet.
DAR. Quò raperis? Ecquid dura properantem juvat
Laceſſere ultro fata? Sed video ſatis,
Quæ fodiat ægrum cura; diſſimules licet,
Video innocentes, quos mihi nectis, dolos.
Te noſtra pietas angit, & quem pro tua
Ferimus ſalute, turbat ancipitem labor.
Hac nos levare mole vel proprio bonus
Ambis periclo: cadere tibi pulchrum æſtimas,
Pulſo tumultu blanda dum redeat quies.
Hinc robur animis additur; ſpes hinc nova,
Quam paſcis; & qua, facere ſi poſſis fidem,
Nobis dolorem pariter & curam eximas.
Tamen hæc omitte; nil agis: pia fraus patet:
Quantòque noſtri viſus es cupidus magis,
Tantò eſſe tua jam carior meruit ſalus.
Confide: quovis impotens Satrapas agat,
Vel ſtimulet ira; quidquid inviſum aggredi
In me meoſque populus effrænis paret;
Te noſtra, Daniel, dextra defenſum dabit,
Vixiſſe tecum potero, vel tecum mori.
DAN. Ah! parce: quid enim ſuadet imprudens amor,
Rex magne? quanquam nec tuo dignus forem
Amore, ſi quod loqueris, id meritò imputes.
Talem æſtimares nempe, qui mediter levem
Feciſſe fucum? qui palam imbellem velim
Jactare fruſtra, cultor incipiens, Deum?
Agnoſce, quale Numen Abrahamo ſata
Soboles vereri certet. Haud vano deos
Errore fictos, ſilice vel ſterili colit
Exciſa trunco monſtra; queis ſurdæ patent
Aures, & oculis qui nihil apertis vident.
Ille, ille quem nos colimus, & juſtas preces
Audit; labores, qui premunt miſeros, videt;
Opemque ferre rebus afflictis amat.
DAR. Eccur benignam retinet ulteriùs manum?
Cur invocatus non adeſt? vel cur opem
Gravibuſque differt facere medicinam malis?
Nempe opperitur ille, dum nullum ſalus
Abſumpta tandem linquat auxiliis locum.

Palam approbare Numen; hoc ipſum invoco,
Teſtorque; qui me cumque regnantem colit,
Unum perenni te Deum obſequio colet.
Confide, Daniel... *PHR.* Turbidus fert huc gradum
Cum Mithridate Gazabar.

SCENA III.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, GAZABAR, MITHRIDATES, PHRAORTES, JOSEDECUS.

DARIUS.

QUò vos furor?
Quò cœca rapiunt odia? ſic placidos mihi,
Sic obſequentes ſe probant? ubi, ubi pudor,
Pietas, fides, amorque? Nil Regis preces,
Nil juſſa valeant; non mihi inſignem Virum
Clarumque meritis, dulce præſidium imperi,
Urbiſque & orbis pariter Aſſyrii decus
Servare per vos liceat? *MITHR.* Inſontes cave
Onerare probris: noſtra nil in te fides,
Nil peccat animus: temet incuſa mali
Cauſam tumultus ipſe, dum juſto caput
Subtrahere letho tandiu meritum obſtinas.
DAR. Et perduelles, credo, quas turbas cient,
Mihi imputabunt; unus inveniar nocens.
Deſinite fucum facere; mendaces doli
Aſtuſque fictæ mentis hoſtiles patent.
Scio quò ferantur vota; quid tantum incitet
Animos feroces. *MITHR.* Legibus, Patriæ, Deis,
Regno Tibique reddere intactam fidem,
Hæc vota, Princeps, noſtra ſunt; animum hic fodit
Urgetque ſtimulus. *DAR.* Patriam, Regem, aut Deos
Curant ſceleſtis; dum ſuum Patriæ decus
Columenque Regno grande præceptum volunt!
Populos ad arma dum vocant; dum vim palam
Inferre Regi, nec meis me me ædibus
Pudet obſidere: quodque crediderim magis
Mihi luctuoſum, dum polo & terris potens
Noſtriſque toties Regibus temere petunt
Fatale Numen. *GAZ.* Apage peregrinum procul!
Mendaxque Numen: Belus eſt nobis Deus;
Gens noſtra reliquos neſcit ac refugit Deos.
DAN. Tamen hoc verendum noris ac diſces brevi
Numen tremendum, cujus aut fingis malè

Neſci-

Neſcire mendax, cognitum aut ſpernis genus.
GAZ. Quid ille poſſit, quem mihi jactas Deum,
Prior experire: pulchriùs nuſquam queat
Priore, ſi quid juris in terras habet.
Faceſſe legum juſſa & horrendæ ſpecus
Ingredere latebras: hinc Deus ſalvum tuus
Te præſtet; avidas, nequid officiant, premat
Fauces Leonum. Quid times? *DAN.* Timidum arguis?
Timeat inanem quiſquis aut Belum colit:
Simulacra vel qui caſſa reputavit Deos.
At te verende generis humani ſator,
Qui ſequitur, ille neſcit ignavos metus.
Documenta dabimus; quod jubes, ultro exequor.
Sequere, antecedo: nulla me retinet mora.
DAR. Ah! ſiſte Daniel. Voſque, ſi Regem decet
Quidquam rogare, ſupplici obteſtor prece:
Deponite iras; facite pietati locum.
MITHR. Nil vana peccat ira: ſed nullus poteſt,
Nullusve meruit eſſe pietati locus,
Dum læſa Regni jura vindictam exigunt.
DAR. Navata Regnis opera quod pretium feret?
MITHR. Hodierna laudem macula præteritam abſtulit.
DAR. Ah! video: plus vos odia, quam legum movet,
Studiumve Regni! *DAN.* Cur mihi oblatum doles
Teſtandi ubique Numinis veri modum?
Ne metue: tantùm fac datam exſolvas fidem;
Noſtrique Babylon vindicem æternùm colat.
Me, me ad Leones ducite. *JOS.* O fortem virum;
Et alia meritum fata! *DAR.* Nil ergo eſt ſuper,
Quo rigida moveam corda? nequicquam inſtiti,
Monui, rogavi utrumque; deſcendi ad preces
Haud Rege dignas! odia veſanis placet
Explere! Nil repugno; ſupplicium petat,
Triſtemque Daniel ſubeat immeritus lacum.
At ſi quis inde ſoſpitem reddat Deus,
Per ſceptra juro, fata vos eadem manent.
Hac lege vinctum rapite, quò ſuadet furor.
GAZ. Bene eſt & iſta lex placet. *DAN.* Princeps, vale,
Donec reducat Lucifer mundo diem.
DAR. Amice, ni ſpes iſta metuentem erigat;
Non te hinc revelli patiar. *JOS.* Accedam comes.
DAN. Subſiſte: quæ te cura ſollicitum tenet?
JOS. Certum eſt eaſdem perpeti tecum vices.
DAR. Tu, Nate, poſtquam fuerit ingreſſus lacum
Daniel, ſigillo, ne quis irrepat dolus,
Fauces barathri munies. *AST.* Juſſa exequar,
Dilecte Genitor... Si quod eſt Numen polo,
Sceleris nefandos pœna in auctores cadat.

Phraorte, ſequere pariter, & fidas mihi,
Quocumque ducit aditûs, excubias loca.

Finis Actus quarti.

ACTUS V.

SCENA PRIMA.

DARIUS *dormiens.*

TEn'video? ſalvus tun'mihi ac ſoſpes redis,
Generoſe Daniel? ergo miteſcunt feræ?
Tibi Leonum parcit immitis furor?
Ades huc: amicos Regis amplexus pete,
* Evigilat. Et noſtra ſe ſe gaudia... * Heu! quid dico? ubi eſt?
Quò raptus oculis & meo avulſus ſinu
Receſſit? an me fallit incautum ſopor?
Vigilemne larva ludit? ... O nimium breve
Quantus repente gaudium excepit dolor!
Nam quò ſiniſtri non agunt animum metus?
Vivit? cruentas pavit an Daniel feras?
Ah! ſi periclo victus occubuit neci;
Quid agam? Protervos ut dabunt de me jocos
Satrapæ feroces! turgidos quò non ferent
Impune faſtus? Stulte, properavi nimis!
Periculoſam debui fati aleam
Timere; variis debui invidiam artibus,
Longaque furias fallere injuſtas mora.
Tamen cliente pro ſuo nihil hic Deus
Feciſſet, olim tam potens? aliud decet
Sperare.... Nullus interim mihi ſe objicit?
Juſſus redire Natus eccur non adeſt?
Ah! video: triſti nuncio pavidas timent
Percellere aures! Quidquid eſt jam jam eruam.
Huc aliquis....

SCENA II.

DARIUS, PHRAORTES.

PHRAORTES.

ADſum. *DAR.* Nam quid hìc ceſſas? age,
Phraorte: Daniel vivit? *PHR.* Allatum eſt nihil,

Rex

Rex magne. *DAR.* Periit! Filius nondum eſt redux?
PHR. Vix prima cœlo luxit obſcuro dies.
Amica nobis fata ſi ſervent virum,
Mox victor aderit. *DAR.* Deſine ambages loqui;
Aperta loquere; vivit? an fatis minor
Ceſſit procellæ? *PHR.* Nil ego, atteſtor polum,
Vel fingo vel diſſimulo; quod notum eſt, loquor.
Aſt inquietam quid juvat triſti omine
Torquêre mentem? *DAR.* Terret incertum, modo
Quæ ſe videndam res mihi in ſomnis dedit.
Jam pene olympo pulſa nox ſolitum egerat
Ingrata ſpatium, corde ſub vigili graves
Lenire curas dum mihi ſomnus negat.
Tandem receptus languidis ægre ſopor
Oculis; & artus dubia tentavit quies.
Tum ſurgere atro viſus eſt Daniel ſpecu,
Totoque ſalvus corpore in lucem trahi.
PHR. Nihil iſta, Princeps, monſtra, quod metuas, habent.
DAR. Equidem, Phraorte: jamque lætitiæ impotens
Animique charos ibam in amplexus Viri
Cupidaque amantis colla prenſabam manu:
Cum noſtra ſubitò brachia elapſus, leves
Ut umbra in auras, fumus aut tenuis, fugit.
Hic rupit ægros anxius ſomnos dolor
Trepidumque miſero pectus implevit metu.
PHR. Et iſta cur te viſa ſollicitum exedant?
Illæſus oculos ante cum Daniel ſtetit,
Lætum eſt ſalutis omen; haud certo magis
Secunda poterant fata ſignari indice.
Paulùm opperire: protinus rerum abdita
Pandentur; & te liberum curis dabunt.
DAR. Phraorte, propera; lucis apparet jubar;
Ultraque clauſum premere Danielem eſt nefas.
Expecto reducem, quamlibet, ſi nos amas,
Moram amputabis. *PHR.* Quò jubes, ultro ſequor.
At ecce lætos celerat Aſtyages gradus.

SCENA III.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, JOSEDECUS, PHRAORTES.

ASTYAGES.

Gratare Regis, Genitor, & dignas Deo,
Quem colere Daniel præcipit, grates habe
In omne tempus. En tibi incolumis redit:
Medioque raptus mortis horrendæ ſinu,

Digitized by Google

Datamque præſtat pariter & repetit fidem.
DAR. Non ergo inani cecinit augurio Deus;
Blandiſve amantem falſus illuſit dolis?
Cum te per umbras noctis illæſum obtulit
Animo videndum! nunc ades; juſtos licet,
Quos tu movebas, ponere æternùm metus:
Ah! patere, amico tandem ut amplexu fruar;
Cœloque charum pronus ut venerer caput!
DAN. Quòd vivo lethi victor & duras vices
Elapſus, ad te ſoſpes huc refero gradum,
Rex magne; noſtri munus hoc totum eſt Deï.
Ille, ille ſceleris ultor, & recti potens
Fiduſque cuſtos, capite ab inſonte arcuit,
Et dira rabidis ora concluſit feris.
DAR. Agnoſco: neque me, ſpondeo, immemorem dies
Videbit ullus. *DAN.* Ergo juratus fidem
Exſolve; Deus hanc poſcit. *DAR.* Exſolvam; Deum hunc
Iterum iterumque teſtor, acceptam refers
Cui tu ſalutem: debitas pœnas luet
Cum Mithridate Gazabar. Raptum ocyùs
Utrumque, mitti jubeo feralem in lacum.
Phraorte, tuus hic eſto, quem decuit, labor.
DAN. Ah! parce, Princeps; non ego ultricem peto
Nec læſus ipſe vel Deus dextram exigit.
Manſueſcere ille docilis, & veniam bonus
Annuere, ſceleris cùm ſui auctores piget.
DAR. Abſiſte: leges imperi infectum vetant
Quodcumque Regum juſſa ſancitum ſemel
Voluere: ſi quem legis immunem aſperæ
Fieri decebat, merita tibi dudum inclyta
Hoc vindicabant. *DAN.* Quid ais? *AST.* Expertum dabunt,
Quid noſtra poſſint Numina: auxilium ferant,
Impune quotquot jactitant nobis, Dei.
DAR. Phraorte, juſſa perage. *DAN.* Da potius, precor,
Ut vana Superum monſtra, quos falsò vetus
Sacravit ætas, abnegent, tecum & colant
Amenrque, ſolus qui coli meruit Deus,
Solus & amari meruit: abſolvet reos
Hac lege, veniam & ſponte placatus dabit.
DAR. Fruſtra reſiſtis, Numen ulciſcar ſine,
Deſpecta cujus jura vindictam exigunt;
Placabit iras fuſus amborum cruor.
DAN. Placare, Princeps, ipſe, placandum mihi
Relinque Numen, quod ſcelus cumque arguis,
Lacrymis piabo; lacrymæ exarmant Deum.
DAR. Vinctum huc utrumque pertrahe, & Proceres mone
Adeſſe Satrapas.

SCE-

SCENA IV.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, JOSEDECUS.

DARIUS.

Quæ dedi, actutum exequar
Promiſſa, Daniel; quem tuæ agnoſcis Deum,
Colis & ſalutis vindicem; huic toto procul
Regno, fidele populus obſequium feret.
At noſtra coram juſſa dum Satrapæ audiant,
Tu pauca placidis auribus dicta excipe.
DAN. Quodcumque placeat, præcipe; imperium ſequor.
DAR. Quod meruit ingens animus & tantis fides
Spectata monſtris, nemo delatum decus
Tibi jam invidebit; quem tenes laudis gradum
Securum ab omni deinde te præſtat metu.
Proin deſtinatos jam diu, & meritos cape
Titulos honoris; Satrapas reliquos ſuper
Dominare; noſtro quidquid imperio ſubeſt,
Uno minorem Rege te dominum ſciat;
Cultumque tanto muneri reddat parem.
DAN. Parere potiùs liceat æternùm, obſecro.
Procul & tumultu, placida ſectantem otia,
Fugientis ævi trahere relliquias breves.
Nimium, ah! ferendo, magne Rex, didici hactenus,
Quid odia poſſint; lubrico quàm ſtent loco,
Regnantum habenas, quot quot attrectant manu.
Mea me pericla ſaltem, ut erudiant, ſine;
Doceantque miſeras fugere, quas ſubii, vices.
DAR. Dediſce tandem quos tibi fingis metus.
Cuicumque ſummi robur aſpirat Dei,
Hominum tumultus ſpernere & triſtes minas,
Vel ſi movebunt bella, tranquillus poteſt.
Fruſtra ergo refugis: hic Deus, per quem ſalus
Recepta, cujus munere hanc lucem aſpicis,
Tuam viciſſim commodes, repetit manum;
Et, quæ voluto cœpta, conſiliis juves.
DAN. Conſulere per te cuncta noviſti ſatis,
Rex magne: neque te moneat ut quiſquam, indiges:
At noſtra ſi fors opera, quod poſcas, habet;
Certam probabis uſque Danielis fidem.
DAR. Te, Nate, pariter iſte ſpectabit labor:
Attende docilis pauca, quæ ſuadet Pater:
Altoque fige pectori, ſi quid ſapis.
AST. Crede obſequentem, Genitor, & quod vis jube.
DAR. Quam tota Babylon, Nate, mox legem audiet,

Suum

Suum unde vero Numinì cultum adſtruam,
Tuum eſt tueri deinde; nec quidquam pati,
Lex unde pereat, vel ſuus legi vigor.
Quodcumque vitæ jam Patri reſtat, breve eſt.
Ætas labore fracta & annorum gravi
Onere fatiſcens, Nate, me dudum admonet,
Inſtare propiùs lucis extremum diem.
AST. Quid loqueris? Omen, Genitor, ingratum amove.
DAR. Tibi ſceptra, Nate, quando contigerint, Deum hunc
Hodierna cujus Numen aſſeruit dies,
Venerare; quamvis Satrapæ adversùm fremant,
Et pertinaces patriis libent Dcis;
Deus ille tibi ſit potior; hunc cultu pio
Ubique populi vel reluctantes tremant.
AST. Confide, Genitor: Natus haud ſtimulis eget,
Exempla quem paterna ſollicitant ſatis.
DAR. Te, Nate, Daniel meliùs erudiet Patre.
Tibi ſit parentis inſtar; hunc audi; hunc ama;
Huic cordis ultro pandere arcanos ſinus
Ne pigeat unquam. Sana regnanti ingeret
Conſilia: quidquid loquitur, hoc ipſum loqui
Cœleſti ab arce crede veracem Deum.

SCENA V.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, PHRAORTES, JOSEDECUS.

DARIUS.

CUr abſque Satrapis hìc ades? *PHR*. Pœnas dedit
Uterque dignas ſcelere. *DAN*. Quid loquitur? *DAR*. Dedit
Uterque pœnas? *JOS*. O Deus! *PHR*. Verum heu! nimis,
Rex magne! *DAR*. Nam quis facinus eſt auſus? *AST*. Pater,
Facinoris, ille quiſquis eſt, laudem feret.
DAR. Phraorte, quo, quo geſta ſit tandem modo,
Rem pande totam. *PHR*. Denſa dum populi manus
Facto obſtupeſcit: atque Danieli æquior,
Partæ ſalutis laudat auctorem Deum;
Rem Mithridates mente non placida tulit,
Fervens & ira Gazabar populum increpat,
Graveſque, ſi quid muſſitent, addit minas.
Hic fremere plebs accenſa, denſari globus,
Factoque in ambos impetu immanem ad lacum
Pertrahere utrumque. Turbidus toto interim
Cœlo reſultat clamor, & trepidos ciet
Ab urbe cives. Satrapas fruſtra vocat
Hinc Mithridates; inde terribiles Deum
Intentat iras Gazabar: populus ferox
Nil audit: animos ipſe nequicquam inſtiti

Mol-

Mollire, denſamque, & manu & voce admonens,
Penetrare turbam: clamor hic unus ſonat,
Aureſque vox hæc una cunctorum ferit:
Uterque pereat: patrii aut ſi quid Dei
Poſſunt, amicam utrique jam præſtent opem.
Nec plura: ab alto gurgite in præceps ruunt.
Avidis cadentem faucibus prædam occupant,
Rabidi leones, nec pavimentum ſinunt
Venire ad imum corpora; elatos vorant
Artus per auras; nec prius ceſſat fames,
Abſumpta donec fruſtra membrorum intima
Condantur alvo. *JOS.* Pœna conſequitur ſcelus!
PHR. Animos repente tacitus invaſit ſtupor;
Mox plauſus ingens oritur, atque unum polo
Vulgi frementis turba, quod Daniel docet,
Ineſſe clamat Numen. *DAN.* O lætam nimis,
Ni fata luctu digna funeſtent diem!
Pœnam nocentum quolibet credam bene
Pretio redemptam! *AST.* Nempe tam miſeras preces,
Hæc vota facias? Quam luunt, meritò obtigit
Utrique pœna hæc; ultor Aſtyages foret,
Niſi occupaſſet ipſe vindictam Deus.
PHR. En Satraparum lecta procedit cohors.

SCENA ULTIMA.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, PHRAORTES, JOSEDECUS, SATRAPARUM, TURBA.

DARIUS.

Adeſte, noſtri grande præſidium Imperi,
Dilecta, Satrapæ, capita; quis tandem polo
Terriſque ſummus imperet rerum arbiter
Hodierna vidit pariter ac ſtupuit dies.
Deus hic piorum tutor ac cuſtos, lacu
Danielem ab imo ſervat, hic idem impios
Vindex ſeverus fraudis artifices premit.
Ergo quis illo potior, aut cujus meo
Veſtroque Numen dignius cultu putem?
Audite, Proceres, voſque, terrarum ultimas,
Excipite vocem, quotquot habitatis plagas:
Danielis unum novit ac metuit Deum
Darius; unum & tota, quàm latè patet,
Aſſyria metuat atque veneretur, jubet,
Tuque ò, perenne cujus imperium eſt, Deus;
Utrumque mundi qui latus nutu moves;
Populi piumque Regis obſequium, precor,
Et in omne tempus recipe juratam fidem.

Finis Actus quinti & ultimi.

CROE-

CROESUS.

TRAGOEDIA

ACTA LUDIS SOLEMNIBUS

ANNO M.DCCV.

PRÆFATIO.

CRœſus Lydorum Rex infauſtum apud Perſas quos invaſerat martem expertus, cum rediiſſet ad ſuos, viciſſim à Cyro Perſarum Rege oppugnatus victuſque eſt. Qui Sardes recipere ſe coactus, urbe non ita multò poſt expugnata, vivus in Cyri poteſtatem incidit. Is damnatus morte, cum duceretur ad rogum, movit calamitate ſua victoris clementiam, & ab eodem vita donatus magno deinceps apud Cyrum in honore habitus eſt. *Herodotus Lib.* I. *Hiſt.*

Quem narrat Herodotus regnandi finem Crœſo fuiſſe, ita ſecuti ſumus, ut hæc pro licentia Fabularum præter Hiſtoriæ fidem appoſuerimus. Primum; Cambyſem Cyri filium, cum Crœſus bellum Perſis inferret, ab Aty Crœſi filio fuiſſe captum, & Sardes inter captivos abductum: hancque extitiſſe Cyro cauſam oppugnandi viciſſim Crœſi, ſuum ut filium reciperet.

Alterum; Solonem fingimus, à quo Crœſus audierat, dum illi ſuas opes oſtentaret magnificentiùs, neminem ante obitum eſſe beatum reputandum, ad hæc uſque tempora in Lydia remanſiſſe, quibus excuſſus regno Crœſus fuit; ſic ut ipſe ſuis uſurparet oculis rerum perturbationem, quam multò ante Lydorum Regi prædicere viſus eſſet.

Atque hæc præmonendum Lectorem cenſuimus, non ut excuſemus apud eum, ſi quid ſit vel additum vel immutatum extra Actionem Tragœdiæ primariam; ſed ne in Fabularum licentia veritatem hiſtoricam requirat.

ACTORES.

CROESUS, Lydorum Rex.
ATYS, Crœſi Filius.
CYRUS, Perſarum Rex.
CAMBYSES, Cyri Filius.
MYSUS, Aty pariter atque Cambyſi intimus.
HYDASPES, Militiæ apud Cræſum Præfectus.
TAXILUS, Cyri Legatus.
CLEANTUS, Caſtris apud Cyrum Præfectus.
SOLON, Philoſophus Crœſo à Conſiliis.
LEGATUS, Lacedæmoniorum.

Scena Sardibus, in Crœſi Palatio.

CROE-

CROESUS.
TRAGOEDIA.

ACTUS PRIMUS.
SCENA PRIMA.
ATYS, MYSUS, HYDASPUS.

ATYS.

Cedemus ergo? Martis ancipitem timet
Tentare Crœſus aleam? Ad patrios lares
Ferox redibit Cyrus, & ſpoliis ovans
Sine cæde victor vincla Cambyſi eximet?
Proh! durum, Amici, nuncium! Hoc genitor ferat?
Aut ipſe prædam propria partam manu
Impune nullo ſubtrahi pretio ſinam?
HYD. Male ominari parce; ſpes alias facit
Paratus ultro ſpérnere hoſtiles minas.
Certuſque, fata quidquid adverſum parent,
Urbem tueri miles. Injecit novum
Animis vigorem Sparta; quam Sardes petunt,
Jurata ferre rebus anguſtis opem.
ATYS. Armata veniat Sparta, quid demum juvet,
Amice, genitor velle ſi pacem obſtinat;
Cyrique furiis obſequens legem accipit,
Quam ponere ipſum deceat? *HYD.* Armorum vices
Jam refugit, ipſe patrio haud dudum ſolo
Aggreſſus hoſtes? Unde mutatus? novi
Quid incidiſſet? Fortè, ſi factum excutis,
Iniqua lævum fama rumorem ferat.
ATYS. Omitte: nimiùm certa res; conſtat ſatis
Patris voluntas. Video me acciri jubet;
Tam luctuoſum nempe ut imperium audiam.
Utinam ſiniſtrum conſili auctorem mali
Noviſſe liceat! *MYS.* Ergo ſic notus parum
Moleſtus uſque pacis ignavæ artifex,
Bellique ſemper oſor invifus Solon?
Scis ipſe, quale, quàmque funeſtum hactenus
Occinerit omen augur infelix; niſi
Cultor perennis otii, ingrato pater
Bello abſtineret. Victus inſtanti prece
Timiduſque fati Crœſus, ad votum omnia

Cum

Cum cœpta fluerent, Perſico ceſſit ſolo.
Hoſti repente ſenſit injectos metus,
Turpemque lucro Cyrus apponens fugam,
Nunc urget ultor mœnia, & raptam inſolens
Prædam repoſcit. *ATYS*. Plura ne incaſſum adjice.
Ah! video; neque pars ulla me latuit mali,
Quod ille fecit!.... Perfidus tantum audeat,
Patriſque fretus gratia infeſtum obicem
Opponat auſis grandibus? Legem hanc ſequar?
Lentus triumphi patiar ereptum decus?
Piget pudetque; nemo me bello arceat
Inultus; hoſti rapere vel palmam veret.
Ibo, ibo, Myſe: quiſquis objiciet moras,
Per aſtra juro .... *HYD*. Reprime præcipitem impetum,
Triſtes & iras contine: huc Crœſus ſubit.

SCENA II.

CROESUS, ATYS, MYSUS, HYDASPUS.

CROESUS.

SAtis eſt iniquo Marte pugnatum hactenus.
Nunc longa tandem pace felici ratum eſt
Finire bella. Nate cedamus Deis:
Superum voluntas certa: funeſtum occinunt,
Totique dirum Lydiæ intentant malum;
Si, quæ vetarunt arma, pergamus ſequi.
ATYS. Vox hæc Solonis nempe; luctificum hoc canit
Omen peritus augur? *CROES*. Ut ſileat Deum
Interpres ille fidus, haud ſileant tamen
Toties iniquo bella pugnata exitu.
Nil moror; honeſtis quando fœderibus licet,
Accipio pacem. Liberet Sardes metus.
Moveatque Cyrus caſtra, Cambyſem dabo.
ATYS. Pax illa placeat; Fœdus & honeſtum voces,
Dilecte Genitor, dum tibi legem irrogat;
Votique compos hoſtis in patriam redit?
Quid auſit ultra petere, ſi victus fores,
Et ille victor? *CROES*. Facere quid deceat, priùs
Mecum peregi, Nate: me populi ſalus,
Me cura regni movit atque urbis quies.
ATYS. Nam tu quid urbi? quid times regno, Pater?
Hinc, inde, muros multiplex operum labor,
Et militum vis denſa ſecuros facit.
Nec ardor animis, æmula aut virtus abeſt.
Dic ipſe facti teſtis, & Patri refer,
Hydaſpe, quanto quiſque veſanum ambitu

Inva-

Invadere hoſtem poſcat, & ſegnes moras
Increpitet. *HYD.* Utinam civium animoſam indolem
Spectaris ipſe propiùs! Ut quidvis pati,
Ultroque ferre quodlibet mortis genus
Nullus recuſet, dum procul Cyrum arceat;
Hoſtiſque tumidas efferi reprimat minas.
CROES. Me tanta virtus recreat, hic animus placet;
At quo periclum quiſque pertimuit minùs;
Hoc me cavere plura metuentem decet.
Proin una Pacis deinde ſollicitum rapit
Animum cupido. *ATYS.* Quæ triumphato venit
Ab hoſte, Genitor, illa pax ſolidam magis
Parit quietem. Vince: Mæonia procul
Belli tumultus omnis errabit plaga.
CROES. Abſiſte; dubiam non placet belli aleam
Adire, certam colere dum pacem licet.
ATYS. Haud iſta Natum ſapere docuiſti Pater.
Tu quando pulchra laudis incenſus fame,
Lentum & peroſus pacis ingratæ otium
Peregrina adires arva; nec patrio ſatis
Beatus, alio regna tentares ſolo.
Ille, ille, qui nos Cyrus obſeſſos tenet,
Suas & urbes vidit obſidio premi;
Senſitque eoſdem, quos facit, trepidos metus.
CROES. Utinam liceret, Nate! Quæ cupidum antea
Animum incitabat laudis immenſæ ſitis,
Non hæc ſub ægro corde conſenuit: pares
Movet illa ſtimulos nunc quoque; aſt rerum ſtatus,
Tempus nec iſtas jam ſibi curas petit.
Urgere deinceps abſtine. *ATYS.* Imperium exequar:
Silebo. At unum rurſus adjiciam, ſine,
Dilecte Genitor. Quod rogas, ultro annuit
Et expetitum Sparta ſubſidium parat.
Jam ſubiit urbis mœnia, & lætum hoc ferens
Legatus ad te nuncium affatus petit.
Mutata, credis, ille conſilia audiet
Impune? nihil aut credet illuſum ſibi?
Ah! gentis hujus indolem noſti, Pater,
Male ſuſpicacem. *CROES.* Ne te hic exſtimulet labor;
Me cura ſpectat illa: quid deceat loqui,
Notum ac paratum eſt.

Digitized by Google

SCENA III.

CROESUS, MILES, &c.

MILES.

Regis alloquium rogat
Spartana ab urbe miſſus orator. *CROES*. Bene eſt;
Liber pateſcat aditus; admitti placet.

SCENA IV.

CROESUS, ATYS, HYDASPUS, MYSUS, LEGATUS LACED.

LEGATUS.

SAlvere Regem Sparta Lydorum jubet,
Regniſque faciles optat æternum Deos.
CROES. Quos Sparta nobis optat, huic pariter precor,
Divos faventes. *LEG*. Quam petis, præſtat volens,
Certamque faciet rebus in dubiis fidem.
Confide, Princeps: lecta bellantum manus
Parata quidvis aggredi obſeſſam advolat
Quamprimum ad urbem. Perfidus jam jam volet
Caruiſſe bello Cyrus, & patrium, retro
Cedere coactus, turpiter repetet ſolum.
CROES. Agnoſco fidei veteris illuſtres notas;
Meritaſque, quantùm jam licet, grates ago.
At longioris deinde me belli piget;
Cupiduſque pacis animus incertam fugit
Rurſum experiri Martis ingrati aleam.
Huc uſque pacis una Cambyſes mora;
Unuſque belli nodus inviſi ſtetit.
Amore victus, filium ut repetat pater,
Per tot labores, Lydiæ emenſus plagas,
Totamque in armis Perſidem ſecum trahens
Jam menſe deno pertinax urbem obſidet.
Nec luſit operam Cyrus; aut niſu irrito
Metuendus aries tandiu muros quatit.
Jam patuit aditus multiplex: læto ferox
Superbit hoſtis exitu, & triſtes minas
Intentat, urbem fortè ſi per vim occupet.
Cavere ſatiùs, ante quàm feriat, malum.
Cauſam amputemus; reddo Cambyſem patri.
Hac lege Cyrus Marte fatali abſtinet,
Pacem &, ſoluto Sardium obſidio, ferit.
LEG. An bella faveant, paxne conveniat magis,

Rerum

Digitized by Google

Rerum hoc tuarum eſt; ſtatue quid porro juvet;
Quodcumque jubeas, magne Rex, præſto ſumus,
In utrumque prompti. *ATYS*. Cur, Pater, facilem abjicis
Tibi quem Triumphi commodant Superi locum?
Cur non in hoſtes ruimus? an pavidos ſuper
Auſpicibus iſtis Cyrus incutiat metus;
Palamque raptis tumidus exuviis ovet?
CROES. Quem laudis una ſtimulat incenſum fames,
Nec Martis ullos ſortis aut caſus timet.
Tamen iſta ſapere te decet, decet & loqui;
Magnanime Juvenis: laudo generoſam indolem;
At crede Patri. Quæ mihi pacem occinunt,
Et iniqua reddunt bella, ſi nondum vides,
Olim videbis, Nate, cum tempus feret,
Et ſiverit ætas. *ATYS*. Quidquid eſt, natum doce,
Nec jam erudire pigeat. *CROES*. Haud opus eſt; neque
Res ipſa poſcit. *ATYS*. Si quis arguerit Patrem,
Studioque belli, quam facis, pacem improbet;
Namquid loquar? vel unde depellam probrum?
CROES. Ne te iſta ſtimulet cura: me rerum exitus
Et ipſa, ſpero, facta purgabunt ſatis.
Quieſce porro: teque ad obſequium para.
LEG. Ergo reverti militem in patriam jubeſ,
Nec quid juvare poſſit obſeſſos habet?
CROES. Utinam referre gratiam meritis parem
Liceret! Operam Sparta cum noſtram exiget,
Vir magne, certam norit in Crœſo fidem.
LEG. Obſequor: & urbi tale reſponſum dabo.
CROES. Hydaſpe, propera: Caſtra Perſarum pete:
Alloquere Cyrum. Nil moror; legem impleo,
Quam dixit ipſe: reddo Cambyſem, ocyùs
Urbis viciſſim mœnia obſidio levet.
* Mihi Solonem ſiſte: tu, Nate, interim
Populos beatæ pacis ad amorem refer.

* *Ad Myſum.*

SCENA V.

ATYS, MYSUS.

ATYS.

SUbſiſte, amabo, Myſe: te paucis volo.
MYS. Eloquere, Princeps; quodque fert animus, jube.
ATYS. Quo ſis mihi, quo ſemper & fueris loco,
Huc uſque, feci, Amice, ne ignores, reor.
Spectata dudum ſcilicet probitas, fides,
Experſque fuci candor & purus doli,
Reliquos tot inter, Aula quot Proceres habet,

Mihi te verendum fecit & amandum magis.
MYS. Jam nota, Princeps, loqueris: impenſus favor
Amorque meritis major. An forſan nocens
Ego ſim, ſcelus ne quodpiam ingratum arguat?
Quid fluctuantem detines? *ATYS*. Ego nil queror,
Amice, ſolitam tu fidem tantùm approba.
MYS. Bene eſt, abunde eſt; nunc age: qua, qua voles,
Animum experire. Quantus in venis fluit,
Totus profundi ſanguis hic pro te ambiat.
ATYS. Ut me iſta virtus recreat! haud poſcit tamen
Sibi tempus iſta, Myſe; leviora exigam.
MYS. Tuum imperare eſt. *ATYS*. Poſtulo arcani fidem;
Operique, tacitus quod ſtruo, admoveas manum.
MYS. Utrumque præſto; plura nec dubitem exequi.
ATYS. Disjicere pacem, Myſe compoſitam, & novas
Utrinque cauſas ſerere bellorum paro.
MYS. Quis eſſe, amabo, jam queat belli modus,
Dum lex utrinque pacis & fœdus placent?
ATYS. Adverte: meque magna tentantem adjuva.
Cambyſe in uno pacis & belli mora eſt:
Et inire fœdus genitor incaſſum ambiat,
Ni reſtitutus ante Cambyſes patri
Siſtatur. Ergo tu mihi raptum abdito
Juvenem in latebris, hic ubi abſtruſus, dolo
Quem meditor, obicem ponere haud ullum queat.
Mox quando Crœſus legis impoſitæ memor
Suum Parenti filium reddi volet,
Tu multa ſimulans, fraudis innocuæ artifex
Fugiſſe Cyri in Caſtra Cambyſem feres.
Haud ipſe deero mihimet interea, & meas
Ubique præſens, ſedulo partes agam.
Rem credet ultro Crœſus, & Cyrum arguet:
Cyrus negabit, ſeque deluſum æſtimans
Vindex ſoluti fœderis bello acriùs
Incumbet, & me compotem voti dabit.
MYS. Nil poſcis ultra? *ATYS*. Providus primum expedi,
Quod inſtat: is ſi ritè procedat dolus,
Quid machinandum deinde confeſtim ſcies.

SCENA VI.

MYSUS.

QUò dira Juvenem Martis in præceps rapit
Libido? quidve conſili rurſum parat
Inimicus uſque pacis? Infelix nimis,
Cambyſe! quantum hic nuncius luctum afferet,
Dum fortè vanum pacis augurium foves.

Adeſt! nec omen levius illuſit! viden'
Animus in ipſa lætior fronte ut nitet!

SCENA VII.

CAMBYSES, MYSUS.

CAMBYSES.

GRatare Amico, Myſe, mutato redit
Fortuna vultu melior; hic demum aſpero
Finem labori ponet optatum dies!
Actum eſt: negatæ pacis abrumpit moram,
Longoque Sardes Crœſus obſidio levat.
Quodcumque reſtat exili ſpatium breve eſt,
Hodie paterno dabitur amplexu frui.
MYS. Utinam! Quis ægrum pectus incendit dolor?
Quæ te remordet cura? *MYS.* Nondum eſt pax rata,
Ut rere. *CAMB.* Nam cur ergo feſtivum ſonat
In urbe pacis nomen, & partum canit
Populus Triumphum? cur opem Crœſus negat
Admittere ultro, Sparta quam Lydis tulit?
MYS. Amore pacis ambit inviſum quidem
Finire bellum Crœſus: at paci obicem
Qui poſuit Atys uſque, nunc etiam obſtinat
Protrahere Martem. *CAMB.* Nam quis armorum furor?
Bellive fructus eſſe tam longi poteſt?
MYS. Fructum rogas? Tu præda victori excidis,
Si ponit arma Crœſus: hoc juveni dolet,
Et ſanciendam, qua valet, pacem impedit.
CAMB. At tu ſiniſtras, Myſe, Cambyſis vices
Miſeratus, ultra ſi quid indulges bonus,
Hinc me feroci ſiſte victori precor.
Da, da ſuperbos ſupplicem amplecti pedes;
Prenſare manibus genua; ſi fortè efferum
Rigidumque pectus ſe prece infringi ſinat.
MYS. Quid loqueris? ah! tu potiùs aſpectum fuge;
Spes hæc ſalutis una: tu juvenem aſperes,
Si te, latebris dum coerceri imperat,
Prodire patiar. *CAMB.* Vincula injiciat ferox,
Rurſumque jubeat carcere abſtruſum premi?
MYS. Ignoſce: duræ legis imperium exequor
Invitus. *CAMB.* Et tu rebus in duris manum
Renuas benignam ferre? nil miſerum juvet,
Quod te ſim amicum nactus, & toties datam
Ipſe obligaris jurejurando fidem?
MYS. Quam non inanis ſit fides tibi quam dedi,
Magnanime Juvenis, faciet eventus palam;

Permitte mihi me; ſequere. *CAMB.* Quandoquidem jubes,
Sequor; ſuperbam, ſed age, victorem alloqui,
Amice, per te liceat. *MYS.* Et, ſi quid licet
Tentare melius, me tibi addictum ſcies.

Finis Actus primi.

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

SOLON, MYSUS.

SOLON.

NAm quid Solonem Crœſus huc rurſum vocat?
MYS. Mox adfuturus ipſe compertum dabit,
Quodcumque poſcis. *SOL.* Vera quid refugis loqui?
Aut implicatas nectere ambages amas?
Ah! video! neque me fata metuentem aſpera
Vanum fefellit omen! Armorum impotens
Animos feroces rurſus invaſit furor;
Nullamque blandæ pacis admittit moram.
An non cruento plus ſatis Marti datum eſt?
Quid adire certum deinde diſcrimen placet?
MYS. Ten'iſta ſapere ſemper, & inanes metus
Injicere? In armis una monſtratur ſalus,
Vel nulla. Nempe Crœſus arbitrio nequit
Commiſſa regere ſceptra, ni dextram admoves,
Et glorioſi præripis facti decus;
Quoſcumque Superi Regio tollunt gradu,
Habiles eiſdem præparant ſceptro manus.
SOL. Quid innocentem, Nyſe, nequicquam increpas?
Haud iſta merui probra; nec dubiis fides
Spectata rebus tale flagitium arguit.
Fallacis utinam quotquot obſequii aucupes
Aulam frequentant, regium & ſtipant latus,
Sceleris & ipſi pariter expertes forent!
MYS. Quò verba tendunt iſta? Quis meruit nocens
Magis videri, vel quis à culpa vacat:
Qui ſuadet, an qui prohibet admitti nefas?
SOL. Arcere diras mœnibus patriis faces,
Hoſtem timendum pellere, exitio ac nece,
Longoque cives ſolvere afflictos metu;
Si quid nefandum eſt, fateor, auctores ſumus.
MYS. At parta bello decora præripere & gravem

Capiti

Capiti imputare Regio probri notam;
Si quid Soloni creditur, grandis loco
Meriti putandum. *SOL.* Quam mea in partem trahant
Obſequia Proceres Aulici, injuſtum genus,
Deſpicere dudum, Myſe, jam didici, modò
Aſſerta regni conſtet & Regis ſalus.
Quibus illa demum charior fuerit, brevi,
Ni fallit omen, exitus rerum feret.
Quieſce ſodes interim, & ſi quid ſapis,
Injurioſis pone maledictis modum.
MYS. Nativa ſi quid fortè ſimplicitas loqui
Perſuaſit, animus unde ſe offenſum putet,
Ignoſce; Nihil hic ira, nil livor malus
Odiumve peccat; una quem regis movet
Pietas, amorque ſtimulat, hic metuit nihil.
At ipſe greſſum regia huc infert domo.

SCENA II.

CROESUS, SOLON, MYSUS.

CROESUS.

Expenſa rite cuncta: quam dudum occinis
Pacem, ecce tandem Marte poſthabito ſequar.
Fruſtra reſiſtat Aula, fruſtra ſe obicem
Paciſve deinceps gnatus opponat moram,
Vincis: cruento ponet hic finem dies
Bello, nec hoſtis faciet ulterius metum.
Quam Cyrus ipſe fœderis legem tulit,
Accipio, Amice; reddo Cambyſem patri:
Pax in propinquo eſt; rumor ad Perſas iit,
Lætoque Cyri caſtra jam fremitu ſonant.
Dirus quieſcit interim armorum furor,
Et vetera ponunt odia; tam cunctis placet
Diuturna tali bella componi exitu.
Expecto reducem Taxilum; hoc liber duce
Optata patris caſtra Cambyſes petet.
SOL. Audita ſuperis vota, nec ſurda pias,
Vel dum minantur, aure ſuſcipiunt preces.
O me beatum! genibus advolvar tuis,
Et, ſiquid ultra liceat, amplectar manum.
Equidem verebar; nam quid arcanos adhuc,
Quos excitabas ipſe, diſſimulem metus?
Equidem verebar, avida ne laudum fames,
Mortalia uſque corda quæ ſtimulis fodit,
Conſilia rueret noſtra, nec memorem ſatis,
Quàm triſte capiti Numina intentet malum,

Iterum ſubire Martis ancipitem aleam
Suaderet. *CROES.* Ægrè vicimus, ſolus ſteti
Adversùs omnes: bella dum cuncti ambiunt,
Unus ego pacis fautor armorum impetum
Tumidoſque retudi ſpiritus: tamen haud piget;
Mutare vel factum velim: obſtrinxi fidem
Cyro tibique; fata quæcumque incidant,
Implebo. *SOL.* Cupidum perge felici omine
Animum fovere pacis: armorum exitus,
Amica vel ſi fata, quos velles, darent;
Pax una potior. Pace nil melius Dei
Dedere terris, pace nil melius dabunt.

S C E N A III.

CROESUS, SOLON, MYSUS, TAXILUS, HYDASPUS.

H Y D A S P U S.

Adduco reducem Taxilum; quo ſint modo
Peracta per me cuncta, referentem audies.
Salvere Cyrus Lydiæ Regem jubet;
Ultroque pacti fœderis legem accipit.
Jam poſuit arma Miles, & cœpto abſtinet
Operum labore; craſtinum lucis jubar
Cum revehet orbi Phœbus, obſidio & metu
Solvemus urbem, ſpondeo, & patrium ocyùs
Curis ſoluti deinde repetemus ſolum.
Oppigneratam Tu fidem actutum expedi
Pariter, meaſque trade Cambyſem in manus.
CROES. Nihil morarum eſt; quam dedi exſolvam fidem,
Suoſque amores protinus reddam patri.
Sit ille pacis pignus æternæ, precor;
Sacroque Regem vinculo utrumque alliget.
I, Myſe; nobis ſiſte Cambyſem ocyùs.
At cur citato Gnatus adproperat gradu?
Vel efferato quis ſedet vultu dolor?

S C E N A IV.

CROESUS, SOLON, MYSUS, TAXILUS, HYDASPUS, ATYS.

A T Y S.

Dilecte Genitor .... *CROES.* Nate, quid rerum accidit?
ATTS. Heu! prodimur! Lentuſque ſpectator ſedes?
Adeone pacis ſubdolæ ignoras dolos?
CROES. Illudor?... ita ne eſt, Taxile? *TAX.* Atteſtor polum,

Rex

Rex magne, ni quid penitus obſcurum canit.
CROES. Aperta loquere; quas mihi fraudes ais?
Quos mihi malignus hoſtis inſtruxit dolos?
ATYS. Adeſte Superi! ſcelere pro tanto pares
Exigite pœnas .... Nempe Cambyſem petis,
Dum patria inter caſtra ſecurus latet;
CROES. Hoſtilia inter caſtra Cambyſes latet?
Quis vincla ſolvit ergo? quis juvit fugam?
Quis auctor operis, quis fuit facti comes?
Effare; ſceleris, Gnate, quodcumque eſt refer,
Vel ſi meorum fraude commiſſum nefas.
ATYS. Utinam liceret noſſe, quod fruſtra rogas,
Dilecte Genitor! hoſpite at carcer vacat.
CROES. An vi revulſus patuit, an apertus dolo?
ATYS. Concluſus imo rite vim nullam indicat,
Vigiles nec ulla parte ſuſpectos facit.
CROES. Queis ergo noſtras artibus fugit manus?
ATYS. Hic urbe paſſim diditus rumor calet,
Quod nocte furtim proxima elapſus loco,
Et per latebras inde rimatus viam,
Qua murus aditum pervius facilem dabat,
Caſtris potitur patriis. *CROES.* Quid ego hæc moror?
Aut quid peracti ſceleris inquiro modum,
Cum decuit hoſtis perfidi ulciſci ſcelus?
Hæc facere Cyrum non pudet? tales mihi,
Dum pacis agitat fœdera, inſidias ſtruit?
Ad quæ reſervor! *TAX.* Apage confictas malè,
Dudum & retuſas, ipſe quas artes paras?
Cur vana fingis ſomnia? & noſtram arguis,
Infidus ipſe, pacta dum violas, fidem?
CROES. Infidus ego ſim? *TAX.* Cuncta quò ſpectent, ſatis
Pervideo: trahere tempus in longum placet,
Moraſque rurſum nectere, ut lapſos queas
Reficere muros; nil agis, fraudes patent.
Proin ſtatue demum, quod voles: plura haud licet
Adjicere: nobis redde Cambyſem ſtatim:
Vel ſi repugnas, conſcios teſtor Deos,
Clauſo ante veſper quàm polo condat diem,
Convulſa ab imo mœnia exitium dabunt;
Cunctoſque mucro barbarus cives metet.
ATYS. Etiamne miſeram ſortis ingratæ vicem
Ludat ſuperbus hoſtis, & amaros ſales
Addat malignis artibus? Perge, ut lubet,
Scelus inchoatum perage, nec triſtes minæ
Pavidos, nec hoſtis ſubdoli terret furor.
TAX. Bene eſt, abunde eſt; robur atque animum exere,
Probandi utrumque dabitur actutum locus.

SCENA V.

CROESUS, SOLON, ATYS, MYSUS, HYDASPUS.

SOLON.

QUid eſſe credam? tene mutatum rear?
Verbiſne memet ludere ambiguis ames?
CROES. Hoc credis? Egone tam tibi notus parum?
Ah! noſtra potiùs fata miſeratus dole.
Me prodit hoſtis, forſan & produnt mei.
Quò, quò pudor, quò pulſa conceſſit fides
Amorque? tales perfidi excubias agunt?
Sic patria cordi eſt? *SOL.* Me tui caſus movent;
Tantòque ſortem graviùs adverſam queror,
Rex magne, quantò gravius in bello malum.
CROES. Utinam liceret bella vel pacem ſequi,
Amice! Cœli lucidas teſtor faces,
Et, qui latebras cordis inſpiciunt, Deos;
Ni colere ſtudia pacis in lucro putem;
Triſteſque, quas minaris, armorum vices
Metuam experiri. *ATYS.* Barbarus tantum audeat,
Novumque fatis tumidus ingeminet probrum?
Et hoc feremus, Genitor? illuſum tuis
Impune regnis orbis extremus ſciet?
Arma, arma Genitor; vindicem agnoſcat manum,
Sacrum & vereri noverit Regum decus.
CROES. Me ſtimulus idem, Nate, me ſimilis fodit
Pectore ſub ægro cura; ſed cladem horridam,
Si quid Soloni creditur, Superi canunt.
ATYS. Timere Cœli deſine irati minas,
Genitor; piorum jura tutantur Dei;
Ac, ſi paratum fulmen impendet polo,
Petet nocentes. *SOL.* Imo fatales time
Varioſque caſus; ſæpe vis fati aſpera,
Dum vult nocentes plectere, inſontes premit.
ATYS. Inimica quidquid fata luctificum parent,
Sunt arma nobis, Marte ſunt fortes viri,
Et corda vinci neſcia; his fretos licet
Vel contra iniquam ſtare fatorum aleam.
CROES. Age ergo, Nate; dulce ſolamen domus,
Et ſpes parentis una, virtutem exere.
En inſtat hoſtis, cuncta proviſam interim;
Et quando nulla potior occurrit via,
Viciſſe patri dabitur aut pugnæ immori.
* Amice, ſequere: ac, ſi quid etiamnum potes,
Affer ſupremam rebus in miſeris manum.

* *Ad Solonem.*

SCE-

SCENA VI.

ATYS, MYSUS, HYDASPUS.

ATYS.

HYdaſpe, ſequere tu quoque; ac ſi quid novum
Minetur hoſtis inſolens, dic me affore
Socium pericli, pariter & facti ducem. *a*
Viden' *b* ut ſecundos vota ſucceſſus habent?
Gratare ſuperis! pacis ignavæ probrum
Depulimus, una quæritur bello ſalus,
Fruſtraque Martis oſor obſiſtat Solon.
MYS. Et noſtra pariter vota fortunent Dei!
At quanta moles protinus rerum ingruet
Ferenda, fauſtis pugna ni fatis cadat!
ATYS. Quid loqueris? & quò ſolita jam virtus abiit
Times? nec erubeſcis. *MYS*. Haud, princeps, pudet
Timere, tua me cauſa dum timidum facit.
ATYS. Ah! mitte curam, Myſe, quam pro me geris:
Jam gravius inſtat aliquid; eſt animis opus
Et non timore. *MYS*. Nemo degenerem arguat
Impune; cur hìc trahimus indecoras moras:
Eamus: iſto fervet impatiens ſinu,
Totuſque fundi ſanguis in lucro putet.
ATYS. Reſiſte; amoris grandius ſpecimen peto.
MYS. Eloquere, Princeps, quiſquis haud refugit mori,
Nihil ille facere renuat, aut metuat nihil.
ATYS. Adeſto fidus uſque Cambyſi comes,
Suiſque latebris ſedulò juvenem occule.
Fortuna noſtrum læta dum Martem annuat....
Sin' fortè, caſum flebilem avertant Dei!
Victoria hoſti cedat, & noſtrum in caput
Patriumve ſi quid ira victoris ferox
Meditetur; illum adibis & per te audiet,
Cambyſem, iniqua morte quem raptum gemit
Lucis beato munere incolumem frui.
Si quid rogare pergat ulterius, ſiſte.
Perdiſcet ex me, cujus arbitrium penes
Fortuna gnati ſit ſui. Hinc tumidos premet
Senſus; vel in nos ſi quid iratus velit
Statuere, pœnam filio metuet parem.
Sic ipſe legem victor à victis feret.
MYS. Mandata peragam. *ATYS*. Si modò hæc præſtes memor,
Quocumque ſtabit res loco, in tuto ſumus.
MYS. Unum viciſſim patere, Princeps, ut rogem.
ATYS. Effare, quid vis, Myſe? *MYS*. Cambyſi brevem.

a Egreditur Hydaſpus.
b Ad Myſum.

Ne facere renuas placidus alloquii moram.
ATYS. Quid me velit? vel ipſe, quæ res ſunt ſtatu;
Quid commodare jam queam? *MYS*. Hunc audi tamen,
Neque me precantem elude. *ATYS*. Vin quantam facis?
Cave ergo nulli viſus huc portet pedem.

SCENA VII.

ATYS.

JUvenem videbo? mene ut inflecti ſinam?
Pulchrumque patiar facinus inverti prece?
Cur ſpes inanes credulus fruſtra foves
Miſerande juvenis? Nempe quod nequiit pater,
Exoret hoſtis! cœptus ah! nimiùm bene eſt,
Ut diſplicere tam citò poſſit dolus!
Inſtemus operi; nemo mihi prædam auferet
Impune; vel ſi magna cantantem obruat
Mors atra, pulchrum eſt laude pro tanta emori.
Adeſt: viriles, anime, nunc demum juvat
Induere ſenſus.

SCENA VIII.

ATYS, CAMBYSES, MYSUS.

CAMBYSES.

SUpplicem, abjectum aſpicis;
Et, quod vel ipſa non dedit victoria,
Hoſtis ſuperbi corda tentantem prece.
Eheu! quid iras perſequi ulteriùs placet?
Quò bella tendunt? quos tibi armorum ambias
Feliciores deinde ſucceſſus dari?
Vincis, Triumphi præda victoris jugum
Subii, meaſque vincula aſtringunt manus.
Tibi paret ipſe Cyrus; obſeſſæ licet
Immineat urbi propior, & crebro ariete
Quaſſata latè mœnia expediant viam;
Tamen arma ponit, pacem & armatus rogat.
Nam quæ trophei potior optandi ſeges.
Veniat? quid ultra poſcis? *ATYS*. Inceptum urgeat;
Adituſque in urbem quando tam facilis patet,
Fauſto laceſſat impiger pugnam alite.
CAMB. Quem vis laborum nulla, non caſus graves
Periculorum, nullus aut mortis gradus
Infregit; ille, credis, hodierni aleam
Adire Martis metuat? At refugit pium.

Fuliſſ-

Digitized by Google

Fudiſſe Cyrus ſanguinem; & certis bonam
Pacem triumphis anteponendam putat.
ATYS. Si cupidus adeo pacis ingratos fugit
Belli tumultus; unde fatali obſtinat
Inſtare bello? Liberet Sardes metu,
Patrioque ſtudia pacis in regno colat.
CAMB. Abibit ultro; da ſequi ut poſſim comes;
Bellique cauſas amputa & pacis moram.
Natum parenti redde; non avidum hic tenent
Aliena Cyrum regna; nec avaram quatit
Libido mentem: non opes Crœſo invidet:
Patrem una ſoboles cogit inviſas ſequi
Pugnas, & iſtis retinet invitum locis.
Te noſtra tangant fata; communis ſalus
Te moveat; anceps pendet armorum exitus,
Dubiumque belli cœca ſors Martem regit.
Quæcumque Cyro vereor, hæc eadem potes
Crœſo vereri; militant ſpes & metus
Utrinque; palmam neuter incertam arroget.
Cede ergo; iniquis parce dilectum caput
Objicere fatis. *ATYS*. Fata quàm verear parum,
Quæcumque jactas, ſi modò Cyrus velit,
Lux iſta dirimet. Quæ dedi, Myſe, interim
Faceſſe juſſa.

SCENA IX.

CAMBYSES, MYSUS.

CAMBYSES.

Fugit intractabilis;
Nullum & relinquit, quo capi poſſit, modum.
Ah! video; durus & mihi mortem imperat!
Exequere juſſa, Myſe, devotam neci
Se ſiſtit ultro victima. *MYS*. Ingratum abſtine
Omen vereri; tale nil Atys jubet;
Nec ſi juberet, exequi imperium velim.
Te, te mihi permitte; quodcumque incidat,
Securitatem præſto; vel noſtrum in caput,
Si quam minantur fata, tempeſtas ruet.

Finis Actus ſecundi.

ACTUS

SCENA II.

CYRUS, TAXILUS, MILITES, SOLON.

CYRUS.

TEn' video? tene conſili artificem impii
Prodire latebris, tamque victoris parum
Oculos vereri? Redde Cambyſem; patri
Reſtitue Natum, barbare; aut meritum in caput,
Per ſceptra juro, dignus erumpet furor.
SOL. Animi furentis impetus cæcos preme,
Juſtumque diſce rebus in lætis modum.
Quo jam loco ſtas, Cyre, tot rerum potens,
Geminique dominus imperi: nequid tamen
Tibi tuiſque viribus fortè imputes,
Victo vel hoſti victor inſultes, cave.
Quas experiris proſperi Martis vices.
Agnoſce Divum munus, grates refer.
Sin'inſoleſcis, fortis adverſos time
Reſtantis ictus. Lubrico quàm ſtent gradu
Qui ſceptra tractant, triſte documentum dabit
Idem ille Perſis nuper incutiens metum,
Hodie pudendis Crœſus in vinclis jacens.
Utinam, ſuperbas quando præfidens opes,
Regnique nimiùm fragile jactabat decus,
Prudens monentem ſana voluiſſet ſequi!
CYR. Nempe admonebas ſana, per ſummum nefas
Datus cruentæ quando Cambyſes neci?
SOL. Cur iſta memoras? *CYR.* Nempe damnabor nocens
Dum cædis auctor impiæ laudem feret?...
Quid vana perdo verba? Carnificem hinc procul
Mortem ad cruentam, miles, actutum rape.
SOL. Fruſtra cruentæ mortis intentas genus.
Non ille vitæ cupidus, aut timidus mori,
Qui vitam eodem ponit & mortem loco.
Tu proinde ſtatue quod voles; vitam haud moror
Nil fata meritus ultima: at falsò increpas,
Et me peractæ cædis auctorem arguis.
Non ipſe ſuaſi, Crœſus aut fecit nefas.
CYR. Quis ergo ſceleris eſt reus, ſi tu innocens,
Si Crœſus ipſe crimine inflicto vacat?
Da proditorem, dure, carnificem cedo?

SCENA III.

CYRUS, TAXILUS, SOLON, MYSUS, MILITES.

MYSUS.

AB hoſte victo ſi quod officium valet,
Rex magne; nuncium ecce lætandum fero
Quem fraude Crœſi credis extinctum mala,
Tuus ille natus vivit, & lucem aſpicit
Meliore fato. *CYR.* Vivit? ò lætam diem!
O me beatum! vivit? & cur non adeſt?
Cur non parentis natus amplexum petit?
Effare. *MYS.* Vivit hic quidem, & conſtans it
Totam per urbem rumor; aſt ubi ſit, latet.
CYR. Et perduelles rurſus illudent, reor?
Latet? .... at latere ſaxo ne poſſit diu.
Fatere verum, perfide; aut teſtor polum,
Laceros per artus enſis errabit ferus,
Animamque lenta morte feralem eruet.
MYS. Hæc illa merces nempe? Sic penſat memor
Officia Cyrus? .... Plura nequicquam exigis.
Lacera, perure, diſtrahe, in partes ſeca;
Eripere vitam te penes; novi id quidem:
Elicere porro, quod latet, tamen haud potes.
CYR. Jam conſtat animus hic ſibi; at præſens dolor
Magnifica reprimet verba. Tu vinctum huc trahe
Crœſum; patrique natus accedet comes.

SCENA IV.

CYRUS, TAXILUS, SOLON, MYSUS.

CYRUS.

ET tu * ſilebis pariter? & miſerum patrem
Beare verbo dum potes, perges gravi
Necare luctu? Præmium quodvis roga,
Nil moror; & illud dante me actutum obtines.
Hanc, oro, fidei dexteram pignus cape:
Ultroque longas patris ærumnas leva.
SOL. Quem non paratæ mortis inflexit timor;
Putas eundem muneris fallax bonum
Expugnet? Animum quàm malè in noſtrum inſpicis;
Et quàm Solonem, magne Rex, noſti parum.
Nunc diſce verum, & adde, quam merui, fidem
Si fortè noſtris cuncta conſiliis regi,

* *Ad Solonem.*

Iſtave

Iſtave Lydi credis imperii manu
Tractari habenas; hanc, precor, mentem exue.
Nec Crœſus unquam detulit tantum decus;
Nec ambii ipſe regium imprudens gradum.
At ſumma rerum ſi tamen me me penes
Aut pars fuiſſet; Perſicum pridem ſolum
Tecum regreſſus inde Cambyſes foret;
Neque hic dies ferale vidiſſet malum.
Nunc quæ latebra filium abſtruſum tegat,
Rogare plura parce; compertum nihil.
CYR. Ergo potitus urbe, regnique arbiter,
Disjicere paſſim mœnia, in planum dare
Dum cuncta poſſum, filio nequeam tamen
Adhuc potiri! Cætera, immites Dei,
Quæ vos dediſtis cumque, ſi doni piget,
Eripite Cyro: nil querar. Natum at patri
Recipere per vos liceat.

SCENA V.

CYRUS, CROESUS, ATYS, SOLON, TAXILUS, MYSUS.

TAXILUS.

En Crœſus ſubit.
CYR. Quibus in latebris uſque Cambyſem tenes,
Infide? Vivit? an tuo pœnas dedit
Furore dignas? Loquere.... quid lentus ſiles?
Quò vertis ora? Ten' reluctantem fodit
Urgetque tacitus ſceleris admiſſi pudor?
Poſt pacta, poſt promiſſa, ſic ſervas fidem;
Ictique teſtes fœderis metuis Deos?
CROES. Proh! ſancta pietas! proh! gubernator poli
Audis, nec iſta plectis offenſus probra?
Ergo nocentem te ſatis nondum æſtimas,
Dum fraude vincis, perfide? inſidias, dolos
Dum nectis hoſti; ni malis captum artibus
Etiam & amaris durus illudas jocis?
CYR. Quid eſſe dicam? quis ſtupor mentem obſidet?
Virtus, an hoſte perſtat in victo furor,
Amice? * *CROES.* Macte; fortiter; partes ſagax
Te verte in omnes, & novum quiddam genus
Molire fraudis, docte ſimulandi artifex.
CYR. Piget ah! morarum!... quamdiu victum feram
Illudere hoſtem? Tu mihi ludum amove,
Bello perinde caſſus & caſſus joco:
Et redde natum. *CROES.* Nempe quem retines malè,
Ruptiſque profugum vinculis non te pudet.

* *Ad Taxilum.*

Rapuiſ-

Rapuiſſe; certum fœderis pacti obſidem!
CYR. Etiam negare pergis, & natum obſtinas
Celare?... Quanquam cur ergo indulgens nimis?
Ah! ſtulta pietas, ſentio, hos animos facit!
Adhibenda vis eſt: adiget invitum loqui,
Imoque latitans pectore arcanum eruet.
Ite, ite celeres; ruite & inviſos ſolo
Æquate muros: undique & ferrum & faces
Impune volitent: mœnia in cineres eant;
Totaque fuſus urbe decurrat cruor.
Adſint: flagrantis patriæ buſtum hauriant
Natus paterque, donec aggeſtas ſuper
Strages ſuorum triſte ſupplicium luant.
ATYS. Quis te impotentem cœcus impellit furor?
Et, quò vereris ire, præcipitas gradum?
I, perge; triſtes perfice imprudens minas:
Saturare noſtro ſanguine: at neque ſic tamen
Natum obtinebis, moneo. Quin etiam hæc cape,
Tecum & revolve, ſi ſapis. Quidquid paras
Iratus in nos, pariter in natum paras
Tuus ille cunctos ante Cambyſes cadet
Piacularis victima: hic primus cruor
Tibi litabit.... Vivit incolumis quidem;
At fata juvenis me penes, vitam aut necem,
Statuere cum lubebit, utramvis feret.
CYR. Sceleſtus! *CROES*. Heu me! Nate, quid loqueris? *ATYS*. Pater,
Ignoſce; me ſi Martis impatiens amor,
Partique bello decoris exſtimulans fames
Periculoſæ fortis ancipitem aleam
Tentare adegit.... Puduit, atque etiam pudet,
Impoſtam ab hoſte fœderis legem pati;
Et prædæ inultum facere jacturam meæ.
Hoſtem fefelli; Teque, ſpes quando hæc ſuper
Unamque pacem colere ſuaderet Solon,
Pariter fefelli, Genitor. At nihil hinc time;
Secura præſto cuncta; Cambyſes latet,
Me præter unde nullus abſtruſum eruat.
Iſto ſuperbi pignore, infrendens licet
Rumpatur hoſtis, poſſumus leges dare,
Dilecte Genitor. *CYR*. Dure, ſic victus furis?
ATYS. Et vinctus. *CYR*. Iſthæc lentus ut patiar? probrum
Feram hoc inultus? Vindicem nam quid manum
Retinet? Sceleſtus pereat ordiri hinc placet,
Quas luere pœnas meruit inviſum genus.
Miles nocentis in caput ferrum exige.
CROES. Ah! parce, Princeps. *ATYS*. Perge; nil vitam moror,
Dum mecum eodem ſcelere Cambyſes cadat.
CROES. Quid loqueris? heu! quo te rapit vis efferа,

Oblite

Oblite ſortis, Nate, quam patimur? viden',
Ut iniqua miſeram fata præcipitant domum!
Animos feroces pone; quos caſus dedit,
Induere ſenſus. *ATYS*. Hoc velit Crœſus? Pater
Hoc jubeat? Imas potiùs horrendæ ſtygis
Deſcendam ad umbras, ante.... *CYR.* Mandatum ocyùs
Faceſſis? Enſem pectori conde intimo.
CROES. *a* Reſiſte. *b* Sacros pronus advolvor pedes;
Miſereſce Nati: neſciam flecti indolem
Noſti juventæ: tempus exiguum peto,
Cunctoſque docilem, ſpondeo, ad nutus habes
Fruſtra repugnas, Nate, cedendum eſt malis:
Obſequere Cyro. *ATYS*. Diſcat imperium pati
Et ipſe Cyrus. *CYR.* Scilicet legem irroges,
Moriture? Tenebris ipſe Cambyſem eruam.
Vinctum interim pertrahite, cœciſque abitum
Arcere latebris, dum ſcelus letho piet.
Fidus ſeorſim, Taxile, obſerves patrem.

a *Ad Militem cujus retinet manum.*
b *Ad Cyrum.*

Finis Actus tertii.

ACTUS IV.

SCENA PRIMA.

CYRUS, CLEANTHUS, TAXILUS.

CYRUS.

NAm quæ mihi latebra Cambyſem tegit?
Ubi Te requiram, Nate? nequicquam angulos
Scrutatus omnes, neminem infelix pater
Invenio, luctus qui graves miſerans levet!
Eheu! quid egi victor & tota potens
Dominator urbe? Victus etiamnum furit,
Et quam meretur ferre mihi legem irrogat!
Conſilium, Amici, rebus in miſeris date.
Quid agam? ſiletis? *TAX.* Quid trahis fruſtra moras?
Vincis, triumphas, hoſtis in vinclis jacet;
Tibique lentus tam diu illudi ſinas?
Faſtum inſolentem reprime; quid poſſis, ſciant,
Et perduelles jura victoris probent.
CYR. Tun' iſta jubeas, Taxile? an menti excidit
Eadem quod illi fata Cambyſi parent?
Abſiſte: vivat potiùs, & rurſum ferox

Inſultet hoſtis: perferam opprobrium volens;
Dum ſalvus eſſe natus & ſoſpes queat.
TAX. Iſthæc vereri parce: cum præſens necis
Aderit periclum, juvenis inſanus dolor
Miteſcet, &, quod renuit, excipiet jugum.
CYR. Erras, Amice: neſcius flecti metu
Animus reſiſtet uſque: ſenſiſti ſatis,
Præda ſuperbus ut ſua, & patris preces
Rigidus: meaſque ſprevit indocilis minas?
Cedamus urbe: patrium indecores ſolum
Repetamus: ultra progredi Perſas vetant,
Cyrumque Superi odere; felices nimis,
Nobis, vel iſta lege, ſi Natum annuant!
TAX. Hic ergo fructus unus, hæc merces erit
Per tot labores parta? Nec præter probrum
Quidquam hinc feremus? *CYR.* Fodere cur miſerum obſtinas,
Amice, pectus? ſentio: facti pudet:
Reſiſtere ardet animus; at vincit tamen
Natura, vox & patris invitum trahit.
CLEANT. Obſequere juſto, nam quid obluctans pater
Pugnes amori? Sed age, quin hoſtem premis
Et ipſe, qua te parte concluſum obſidet.
Amat parentem gnatus; hinc juvenem dolo
Pete innocenti; finge ſublatum nece
Crœſum, & paterni funeris cauſam argue
Natum rebellem, fraude Cambyſem mala
Dum condit uſque; ni ſe ad obſequium refert,
Eadem minare fata: perculſum obruent
Pietas, dolor, metuſque: nec longùm abnuet
Retegere, quod jam refugit arcanum loqui.
CYR. Bene eſt: monentis ſana conſilium ſequor;
Nil me piget tentare, dum nato fruar,
Cleanthe: quam tu pandis, inſtemus via,
Accerſe juvenem; contine Crœſum interim
Clauſum tenebris arctiùs, ne, quas paro,
Spectandus ulli demat inſidiis fidem.
Quin & per urbem rumor hic totam ſonet
Vixiſſe Regem Lydiæ. *CLEANT.* Imperium exequar,
Invicte Princeps.

SCENA II.

CYRUS, TAXILUS.

CYRUS.

Quò feror? vel quid jubes
Sperare Cyrum, Taxile? *TAX.* Inceptis favent;

Mox

Mox & parentis vota cumulabant Dei.
CYR. Utinam! ſed ægro pectori curæ incident,
Et, dum beatas ſpes facis, geminant metus.
TAX. Ecquid times, Rex magne? *CYR.* Properavi nimis!
Quos pertinaci futiles hoſti dolos
Inſtruimus, ipſum fortè Cambyſem oppriment.
Juvenilis animus neſcit in rebus modum:
Triſtes in iras ibit; & luctu impotens,
Quaſcumque pertuliſſe crediderit Patrem,
Meum refundet durus in Natum vices.
TAX. At vincla, carcer, fida cuſtodum cohors,
Vel ſi nocere vellet, objiciunt moram.
CYR. Equidem fatebor; eſſe ſecurum licet;
Me cuncta terrent interim; impatiens amor
Jubet timere cuncta, dum Nato frui
Negatur!... Itane rebus invideant bonis,
Luctuque ſemper gaudia inficiant Dei.
TAX. Atys en adeſt, Rex magne.

SCENA III.

CYRUS, ATYS *vinctus*, TAXILUS, CLEANTUS.

C Y R U S.

CAmbyſem ocyùs
Reſtitue, vel quæ pervicax genitor tulit,
Eadem verere fata. *ATYS.* Quis pepulit ſonus
Feralis aures? quod mihi intentas malum?
Quæ fata ſubiit Genitor? Ambiguas procul
Omitte voces... heu! ſilet!... mentem explica.
CYR. Morieris. *ATYS.* Ergo Genitor infelix perit!
Et abominandum, dure, patraſti ſcelus?
Non te verendi Regis auguſtum caput,
Non ipſa Crœſi fama præcipitem arcuit?
Quin me petebas, barbare, altoſque in ſinus
Ferrum exigebas? Impia erravit manus;
Te mens fefellit effera; illuſit furor,
Tyranne. Quod aves ſcire, neſcivit pater;
Totum hoc ſub iſto pectore arcanum latet.
Illinc revelle, ſi potes: macte, excute
Pectus: nefandos advoca mentis dolos,
Dudum perite fraudis ac ſcelerum artifex.
CYR. Ferrum revellet meliùs. *ATYS.* Et notum canis.
Quos arte nequeas vincere, incautos ſoles
Jugulare ferro: ſic tibi immeritus parens
Cecidit; at iſtud diſce: nequicquam furis;
Ferrove credis poſſe Cambyſem erui.

Inuſitatum finge pœnarum genus,
Atrox, cruentum, barbarum, immane, horridum.
Tamen latebris uſque condetur ſuis
Tuus ille Gnatus, nec priùs dabitur patri,
Pœnas viciſſim donec exſolvat pares.
CYR. Crudelis! *ATYS.* Iſtud, Cyre, cur in me jacis
Abſiſte; tua laus illa; nil feci hactenus
Crudelis ut ſim. Non tamen longa eſt mora;
Paulum opperire; mox erit, Nati ut madens
Cruore, tantum hæc dextera mereatur decus.
CYR. Cavere noſtrum eſt, nequid injuſtus dolor
Nocere poſſit; mors cita hoſtiles minas
Prævertet, & nos, ſpero, ſecuros dabit.
ATYS. Erras; paratis capta jam laqueis fera
Expectat ictum; quaque percuſus cadam
Tibi vel inſons victima; hac ipſa nocens
Tuus ille Gnatus & mihi cadet & patri
Mactatus hora. *CYR.* Proh! feram, ſuperi, indolem!
CLEANT. Nam quæ libido te mala in præceps rapit,
Magnanime juvenis? fata cur celeras tua?
Ah! vive potius: vive, dum potes, & ſalus
Te facilis ambit. *ATYS.* Et mori in lucro putem
Dum vivere hoſtis deſinat mecum. *CYR.* Bene eſt
Cumulabo vota; tempus in medio breve,
Dum vivis, ultro ni paras juſſa exequi.
Caveto, miles, Regia exportet pedem.

SCENA IV.

ATYS.

NUnc tandem in auras liber erumpat dolor,
Dudum ſub alto pectore impatiens premi.
Ergo occidiſti, Genitor; & quanquam innocens
Tibi cauſa mortis ipſe ſum! Per me ſtetit,
Regnaret alta, Marte compoſto, quies.
Belli tumultum, ſolus incendi facem!
Tamen an inultus debui faſtum pati
Superbientis hoſtis? an patrio in ſolo
Impune tulerim legis injuſtæ probrum?
Quid anime loqueris? quidve diſſimulas ſcelus?
Ignoſce, Genitor, ſum reus: culpa nequit
Vacare, quod tu conſilî hortator boni
Palam improbabas!... facinus ulciſci ratum eſt,
Nondum expiati victimam manes petunt;
Gemina litetur: hoſticus primum fluat,
Meus inde ſanguis ibit acceptus magis.
Favete Superi!... fallor an celerem gradum

Huc Myſus infert: lætus augurium ſequor.
Meliùſne quiſquam grande conſilium adjuvet?

SCENA V.

ATYS, MYSUS.

MYSUS.

ACcede propiùs, Myſe. *MYS*. Princeps! *ATYS*. Quid gemis?
MYS. O rem nefandam! *ATYS*. Fare, quid portas novi?
MYS. Eheu! per urbem rumor inceſſit vagus
Periiſſe Crœſum! *ATYS*. Vera tu nimiùm refers,
Amice: vixit Genitor! *MYS*. O tetrum diem!
Regem ò ſiniſtras ſortis haud meritum vices!
ATYS. Queſtus inanes pone: vindicta eſt opus.
Et, qua ſtetiſti ſemper, antiqua fide.
Properemus: inſtat hora, quas fecit breves
Inducias Tyrannus, addamus lucro.
I, Myſe, latebris perime Cambyſem in ſuis,
Cæſoque dignas immola inferias patri.
MYS. Quid ille fecit? quod ſcelus miſerum jubes
Juvenem piare? *ATYS*. Quod ſcelus Genitor luit,
Fas omne contra ſtratus indigna nece?
MYS. Nil parricidæ nomen inviſum times;
ATYS. Et parricida Cyrus: hoc facti auſpice,
Me nulla facies ſceleris aut terret nota.
MYS. Atenim procellæ quanta vis charum in caput
Impendet! Ille patria avulſus plaga,
Tot & viarum ſpatia, tot caſus graves
Periculorum, & Martis ancipitem aleam
Expertus, iſto fortè ſi natum queat
Redimere pretio; queis ſibi ereptum audiet
Animis eumdem? quis erit irarum modus?
ATYS. Ne te iſta, Amice, cura ſollicitet; volo,
Quodcumque tandem me necis ſpectet genus,
Quietus ut ſis. Ne time, effrænem impetum
Ludam, nec hoſtis cogar arbitrio mori.
MYS. Me nulla ſtimulet curà? tranquillus, reſes
Ut ſim, cruentum dum tibi fatum inſtruis?
Tantique memet adigis in partem mali?
An ſic repente debitam oblitus fidem
Meritoſque amores videar? hoc unum dari
Princeps, fidelis obſequi pignus roges?
Ah! potiùs aliud, quod voles cumque, exige,
Me nulla terrent fata: dic pro te ruam
Medios per enſes; dic inacceſſa, invia
Generoſus emptor funeris tentem loca:

Ibo. ibo: meus hic, quantus in venis micat,
Ardet profundi ſanguis!... at parce id, precor,
Jubere, clades unde tibi certa ingruet,
Mihi perenne triſtis exitii probrum.
ATYS. Obſequere tantùm; nec mihi cladem time;
Tibi nec verere dedecus: dum ſtrenuam
Navas amico rebus in duris manum.
MYS. Tamen ah! per iſtos, quos ego amplector, pedes,
Et lacrymis perfundo: da veniam; & ſine,
Iterum iterumque facinus inviſum abnuam.
ATYS. O dura nimium fata & inmites Deos!
Etiam negatur gravibus ærumnis leve
Solamen, ut quis ſe mihi exhibeat pium!
Vel tu faceſſe juſſa, vel amicum abdico.
MYS. Lex dura! *ATYS*. Tamen hac lege conſtabit fides:
Hac lege, tibi ſi dulce quid reſtat meum,
Amor eſt probandus.... *MYS*. Ergo ſuſpecti ſumus;
Nec adhuc videri poſſumus, Princeps, ſatis
Amaſſe. *ATYS*. Laudo facta, facienda expecto.
MYS. Nihil recuſo; facere quod poſſim, impera.
ATYS. Dixi, imperavi: perfice; hoc unum mihi
Specimen amoris poſco Cambyſis caput.
MYS. Fugis? reſiſte, nil moror, juſſa exequar.

SCENA VI.

MYSUS.

JUſſa exequeris, Myſe? nec facti pudet:
Tua peribit ille Cambyſes manu,
Cujus parabas ipſe tutari dies,
Quicumque tandem mortis inſtaret gradus?
Tun' mancipatæ tam citò fidei immemor?
Da veniam, Amice, lingua præcipitem abſtulit.
Nec corde in iſto tale conceptum eſt nefas.
Et te quid ægrum pœna Cambyſis juvet,
Miſerande Princeps? quem tibi fructum parit?
Qui premeret hoſtem caſus, obrueret pari
Temet ruina; ſic ego in utrumque impius,
Dignus vocari tortor amborum forem.
Utrique potiùs, dum licet, per me ſalus
Præſtetur; ultro Cyrus hoc rerum ſtatu
Quidvis, potiri ſi queat Nato, annuat.
Talibus adire decuit illecebris patrem.
Bene eſt. Paternis reddat imperiis Atym
Cyrus; ſuumque hac lege Cambyſem ferat.

Finis Actus quarti.

ACTUS

ACTUS V.

SCENA PRIMA.

CYRUS, MYSUS.

CYRUS.

VErumne reputem, quod patri miſero refers?
An fallere hoſtem fortè, & ambiguis adhuc
Noſtros amores ludere incœptas dolis?
MYS. Cœlum hoc, &, æqui ſi quis eſt vindex Deus
Ultorque veri, teſtor; ambiguum hic nihil,
Rex magne; vera memoro; Cambyſem Tibi
Siſtam, nec ultra filium flebis pater.
CYR. Ubi, ubi eſt? locorum quo mihi tandem latet
Meus ille Natus? Fate, da longos, precor,
Finire luctus. Heu! mihi quanto ſtetit!
Quanto petitus ambitu, quanto datus?
Si reſtituto nunc tamen Nato licet
Gaudere; Nec ſpes credulum vana foves
Etiam parentem. *MYS.* Pone ſollicitos metus,
Mox aderit, & me vera pollicitum ſcies.
CYR. Id eſſe credam? parce, vix ſe animus capit,
Creditve, quod ſperare deſiderat, bonum.
At ne mihi, ſpes unde tam certas facis,
Narrare pigeat. *MYS.* Tu, quod occultum doles,
Quod noſſe Lydi victor & regni arbiter
Fruſtra labores, unus id poſſum loqui.
Quin illa ſoboles, luce quod fruitur, meum
Agnoſce munus, & mihi acceptam puta
Juvenis ſalutem; debitum letho caput
Servavit iſta, dum Tibi indulget, manus.
CYR. Ne metue, dignam munere impenſo feres
Dignamque Cyro gratiam, neque me inclyti
Facinoris ulla cernet immemorem dies.
Age ergo, Patri redde Cambyſem ocyùs;
Nec noſtra differ gaudia. *MYS.* Aſt unum ſine
Viciſſim ut ipſe poſtulem, ac, ſi quam utili
Laudem mereri licuit obſequio, annue.
CYR. Ah! poſce quod vis; regiam aſtringo fidem;
Id impetrare dabitur. *MYS.* Hoſtiles Atys
Exercet animos uſque, nec flecti poteſt;
Per Te parentem dum ſibi ereptum gemit.
Quales in iras Juvenis igneſcet dolor;
Quando ſolutum carcere, & patris in ſinu

Digitized by Google

Dulci fruentem amore Cambyſem audiet!
Tunc, fortè ſi quid peccet imprudens amor,
Miſereſce: placida mente juvenilem impetum,
Æſtuſque acerbi pectoris prudens rege.
Regnum, Parentem, nobilis palmæ decus
Quicumque eodem victus amiſit die,
Non invidendas jus leve in lacrymas habet.
CYR. Superabo vota, tu modò ereptos patri
Reſtitue amores. *MYS.* Proximus reducem vides.

SCENA II.

CYRUS.

O Læta demum fata! Participes juvat
Boni recentis facere, quos miſeri orbitas
Movit parentis. Miles huc adſit; fores
Referentur; & Atym ſiſte quam primum mihi.

SCENA III.

CYRUS, TAXILUS, CLEANTHUS.

CYRUS.

Vicimus, Amici, vicimus; plauſus date.
Dii noſtra cumulant vota; nunc Cyro placet
Viciſſe, quando dulcis optati venit
Fructus triumphi; quando præter ſpem & preces
Natus parenti redditur, Nato parens.
TAX. Miteſcit ergo Juvenis ingenium ferox,
Vel cedit ægro mortis infractum metu?
CYR. Imò: furores acuit, & flecti impotens
Rimatur avidus uſque vindictæ modum,
Tamen expetitam rebus in duris opem
Superi obtulere: ſalva res: nihil eſt ſuper
Deinceps timendum. *CLEANT.* Pectus evincet ferum
Genitor ſuperſtes, nec erit irarum locus;
Ubi nullus iras inde ſtimulabit dolor.
CYR. Alios in uſus haud mihi Crœſus latet
Amice; Natum ſtringere amplexu ſemel
Si liceat, & Atys pariter incolumi patre
Fruatur: atro Crœſus ereptus ſpecu
Amicum in hoſte non reluctantem probet
Hoc ipſe perages, Taxile.

Digitized by Google

SCENA IV.

CYRUS, SOLON, TAXILUS, CLEANTUS.

SOLON.

Affatum peto,
O Rex! Solonem ſuſtine, & juſtas cape
Patiens querelas. *CYR.* Fare, quid quereris? *SOL.* Rogas?
Nil te remordet ſceleris admiſſi memor
Animus, nocentem pœna non ſequitur comes?
Crudelis! an non ergo ſævitum eſt ſatis,
Impune miles urbe dum tota furit?
Dum ſaxa paſſim, dum volant ferrum & faces,
Et ubique largus civium exundat cruor,
Niſi ipſe Regum ſanguine inficias manus?
CYR. Abſiſte probris, futilem & linguam preme,
Nil me quod egi cumque pœniteat; tuum eſt,
Si quid monenti credis, hinc Reges procul,
Regum & vereri facta. Plebeium genus,
Nec vile vulgus ſenſa dominantum capit.
SOL. Sua ſic ſceleſtis ſemper improbitas placet;
Suoſque ſitiens ſceleris errores amat!
Perge, &, ſecundis aura dum velis favet,
Suſdeque cuncta verte, confunde, erue.
Pereant nocentes, pariter inſontes cadant:
Tibi fas nefaſque, ratio, vel demens furor
Militet in æquo. Cyre regnas, & tuum
Hodie ſubactus orbis ad nomen tremit.
At ne ſiniſtras ſperne fatorum vices.
Luceſcet olim fortè, qui faſtum terat,
Et inſolentes ſpiritus reprimat dies.
Parco moleſtus eſſe; nil addam ſuper;
Abſcedo; ſanum quando conſilium abjicis.
Quem ſpernis hodie, forſan hunc olim voles
Audiſſe, cum te fata devictum prement.
CYR. Quæ fata jactas, ſpernere hæc animus poteſt,
Et quas inanis augur intendis minas.
Proin conticeſce: faciet eventus palam,
Quàm ſint iniqui, quotquot invaſit procax
Libido, factis Regum ut infigant notam.

S C E N A V.

CYRUS, SOLON, ATYS, TAXILUS, CLEANTHUS.

TAXILUS.

EN prodit Atys. *CYR.* Anne mutatus redis,
Sanoque pateris eſſe conſilio locum?
ATYS. Mutatus ut ſim, Cyre? mactatus pater
Lentum me, inertem, cædis immemorem impiæ
Sentiret? An tu facinus indignum putas
Obliterari poſſe, vel natam in ſinu
Juſtæ ultionis tam citò extingui ſitim?
Paulum opperire; tu modo expertus ſcies,
Num ceſſit alta mente repreſſus dolor.
CYR. Quò te impotentis cœca vis animi rapit,
Dirumque cogit aggredi fruſtra ſcelus?
Omitte furias Aty: nil cupidus juvet
Animus nocendi; ludit incautum ferox
Suis & ira credulum illaqueat dolis.
Caſſi laboris deſine; in tuto ſumus.
ATYS. Quæ cauſa tumidum, tamque ſecurum facit,
Dignas paterno ſcelere, dum poſitus necis
Ipſo ſub ictu, filius pœnas luit?
Non me feſellit ira vel inanis labor,
Ut reris; oculos, Cyre, mentemque adjice;
Quid ora vertis? ecce feralem vides
Fati miniſtrum. *CYR.* Quid ait?... immane hoc nefas
Audere potis es? *ATYS.* Gaudii hic cumulus foret,
Idem & triumphi, dextra ſi noſtra hæc feros
Tuliſſet ictus: certæ ſed certa ultio eſt;
Nec capta fidam victima eluſit manum.
CYR. Cor pepulit horror; membra quatiuntur metu;
Animuſque varias raptus in partes labat
Incertus! An me fraude deceptum mala
Luſiſſet hoſtis? *ATYS.* Odia nunc ſe ſe explicent:
Feriale pectus concute. Unde urget ſtupor
Oculos inertes? ora quis pallor repens
Mutavit? Iras acue; quid lentus ſiles?
Sic in paterno languet obtuſus ſinu
Amor dolorque? *CYR.* Perfide, & amaros ſales
Etiam ingeras? Urgere nihil iſtis opus
Stimulis volentem: quæ petis tanto ambitu,
Cumulabo vota. Miles ad mortem hunc rape.
ATYS. Bene eſt, abunde eſt: jam mihi factum incipit
Placere, luctu debito implevi patrem.
Age nunc, volentem perime; quodcumque imperes

Genus cruentæ mortis, apponam lucro.
CYR. Hinc rapere ceſſas, miles, infandum caput?
I, ſequere; mortis paſce maleſanam famem.
ATYS. Etiam antecedo.

SCENA VI.

CYRUS, ATYS, SOLON, CAMBYSES, MYSUS, TAXILUS, CLEANTHUS.

ATYS.

Quis mihi ſe ſe objicit?
Vigilone? mendax an mihi illudit ſopor?
Ubi ſum? *MYS.* Obligatam, Cyre, perſolvo fidem.
Natum reviſis. *ATYS.* Et mihi fuit hæc fides
Promiſſa? dignum hoc obſequi & amoris refers
Pignus, ſceleſte? *CYR.* Patris in amplexum involа,
Dilecta Soboles; cujus aſpectum Deos
Toties rogavi. *CAMB.* Genitor! *CYR.* O lætam diem!
O ſoſpitalem! nil ego exhauſtos queror
Per te labores, Nate, nil patrio piget
Caruiſſe Regno tandiu, & belli grave
Tuliſſe pondus: per tot ærumnas juvat
Redempta patri Sobolis afflictæ ſalus.
Abſolve juſſa Taxile.

SCENA VII.

CYRUS, CAMBYSES, ATYS, MYSUS, SOLON, CLEANTHUS.

ATYS:

Alienam abſtine;
Hoc moſtra meliùs peraget imperium manus.
Tu, Myſe, ferrum commoda, ſaltem hoc leve
Da, da fidelis ſpecimen obſequii feram.
MYS. Ah! parce, Princeps. *CYR.* Contine effrænem impetum.
ATYS. Et hoc negabis, dure? *MYS.* Per te hos, precor,
Quos lacrymis perfundo ſuppliciter, pedes,
Inflecte mentem; robur antiquum advoca;
Altoque magnas pectore ærumnas preme.
Non me ſubegit mortis ignavus pavor,
Grandiſve pepulit blanda ſpes cupidum boni,
Ut, quod latebat, proderem arcanum. Polum
Animique teſtes intimi adjuro Deos.
Sed ſancta pietas, ſed amor, obſequium, tui
Sed cura capitis: parce, meruiſſem minùs

Dici

Dici fidelis, ni feſelliſſem fidem.
Tu, care Juvenis *, dum tibi impendi libens,
Quamcumque licuit, rebus in duris opem;
Meruiſſe amicum ſi quid officium poteſt,
Repende miſero Principi, & veniam obtine,
Quam vel reluctans ipſe conceſſam ferat.
CAMB. Nil dubium, Amice, ſic erit; veniam annue,
Genitor; & hoſtem dum neci ereptum vetas
Perire, amicum redde. *CYR.* Qui cogit mori
Nolentem, in æquo eſt, quique properantem impedit,
Priùs ergo placeat vita; quam facilis darem,
Vitam recuſet. *CAMB.* Vivere invitum jube,
Tam dulce ſenſim diſcet imperium pati.
Et tu ſeveram pone rigidamque indolem,
Magnanime Juvenis, heu! mori quid te juvet,
Nullus ubi mortis eſſe jam fructus poteſt?
ATYS. Illuſus, exſpes, proditus, regno & patre
Spoliatus ultra protraham ingratos dies?
Ah! potius!... An me cardine hoc rerum ultimo
Ægrum levare nemo ſuſtineat? manum
Mihi nemo amicam commodet? ferrum altiùs,
Huc conde ferrum, Myſe, ſi fœdum cupis
Obliterari facinus. Hæc reſtat via,
Vel nulla.

* Ad Cambyſem.

SCENA ULTIMA.

CYRUS, CAMBYSES, TAXILUS, CLEANTHUS, CROESUS, ATYS, SOLON, MYSUS.

CYRUS.

Nati funus arcebis pater.
CROES. Nihil recuſem, Cyre. Tu noſtrum in caput
Refunde, quidquid Juvenis imprudens furor
Piare meruit. *ATYS.* Quid ais? huc ferrum & faces
Vertantur; unus debeor morti nocens!
Proh! quanta te, mi Genitor, adduxi in mala,
Dum cœca tumidum laudis immodicæ ciet
Juvenem libido! Vivis! at per me haud ſtetit,
Quin triſte fatum ſceleris alieni reus
Lueres; cruore da nefas toto eluam.
Et Tu nocenti, quam voles pœnam irroga;
Mea fata merui, Cyre; ne dubita; en habes
Paratam in ictus victimam. At ſi quid licet
Miſero precari, vivat incolumis pater,
Nec ſervitutis ſubeat immeritus jugum.
Unum hoc rogantem ſuſtine, hoc unum mihi

Spe-

Sperare fas ſit. *CROES*. Potiùs ah! ſi quid valet
Placidum movere pectus; haud pro me velim
Rogare quidquam deinde, vel, quæ me premunt,
Vitare duras ambiam ſortis vices.
At ille fato dignus & dignus patre
Meliore Natus vivat, & longos dies
Fidele tanto præſtet obſequium Duci.
Ego interim, Rex magne, ſi vitam annuis,
Cœcas latebras inter & nemorum abdita,
Sortiſque fragilis triſte ludibrium, exigam
Quodcumque lucis ſuperat; & veras nimis
Quas uſque ſurdis auribus voces Solon
Injecit, animi liber, & ſtrepitu procul
Memorabo. Felix nullus ante obitum fuit.
CYR. Meliora noſtrum eſt fata, Natoque & Patri
Præſtare. Non me cœdis horrendæ ſitis,
Non impotens libido dominandi fera
Tentare bella pepulit: armavit manum
Erepta ſoboles, meque tot rerum aſperos
Caſus adire juſſit. Expertus Deos
Faciles, recepi dulce votorum caput.
Iras quid ultra perſequi ingratas velim?
Nunc pulſa cedant odia; bellorum furor
Ponat; beata redeat ex longo quies,
Et utrinque populos jungat & Reges amor.

Finis Actus quinti & ultimi.

INTERMEDES

CHANTEZ A LA TRAGEDIE DE CRESUS.

SUJET.

Les differens eſtats où ſe trouvent en très peu de temps les Lydiens dans la Tragedie de Creſus, ont fourni l'idée des Intermedes qui accompagnent cette Piece. Ces Peuples après un long ſiége, ſe crurent enfin au bout de leurs travaux & preſts à gouſter les douceurs de la Paix, par la réſolution où eſtoit Creſus de finir la guerre, en rendant Cambyſe à Cyrus, qui redemandoit ſon fils les armes à la main. Mais Cambyſe ayant alors diſparu par les intrigues d'Atys fils de Creſus, la Guerre troubla bien-toſt de ſi belles eſperances, & ſe ralluma avec plus de fureur que jamais; juſqu'à ce que Cyrus ayant pris Sardis capitale de la Lydie, y eſtablit enfin une paix tranquille & à l'épreuve des changements. Ces trois évenements de la Tragedie donnent lieu aux trois Intermedes qui ſuivent, La Paix Naiſſante, la Paix Troublée, la Paix Eſtablie.

PRE-

PREMIER INTERMEDE.

LA PAIX NAISSANTE.

LA RENOMMÉE.

C'Eſt trop long-temps ſouffrir d'une guerre cruelle;
Vivez, Peuples, vivez ſous de plus douces loix:
C'eſt l'heureuſe nouvelle,
Que vous porte en ces lieux la Déeſſe à cent voix.
Ne craignez plus de funeſtes allarmes;
Une douce & tranquille Paix.
Doit bien-toſt ſucceder à la fureur des armes:
Et par un retour plein de charmes,
Faire ſentir icy tout ce qu'elle a d'attraits.
Banniſſez les regrets;
Ne verſez plus de larmes:
Vos deſirs à jamais
Vont eſtre ſatisfaits.

UN LYDIEN.

O Ciel! que veut-on nous apprendre?
Quel agréable bruit vient de ſe faire entendre,
Les Dieux touchez de nos malheurs,
Voudroient-ils eſſuyer nos pleurs?

DEUX LYDIENS.

Recevons cet heureux préſage;
De nos maux le Ciel eſt content:
Ne craignons point qu'il nous engage.
Dans un plus long tourment.
Sa colere
Ne dure guere:
Et ſouvent
Le changement.
N'eſt l'affaire,
Que d'un moment.

CHOEUR DE LYDIENS.

La paix va ſucceder à la fureur des armes;
Banniſſons deſormais
Les ſoupirs & les larmes:
Nos deſirs à jamais
Vont eſtre ſatisfaits.

UN

Digitized by Google

UN LYDIEN.

Hélas ! que de mortelles craintes
Ont precedé ce moment bienheureux !
Que nos cœurs ont ſouffert de cruelles atteintes,
Avant que d'arriver au comble de nos vœux !

UN AUTRE LYDIEN.

Ne ſongeons plus qu'à faire éclater noſtre joye :
Qu'on n'entende par tout que chants mélodieux :
Les gages précieux
De la charmante Paix que le Ciel nous envoye,
Ne ſouffrent point de regrets odieux.

UN TROISIEME LYDIEN.

Quand l'horreur d'un prochain naufrage
Nous menace d'un triſte ſort ;
S'il eſt doux d'échaper à l'orage,
Il eſt encor plus doux d'en retracer l'image,
Quand on eſt au port.

DEUX LYDIENS.

Après les funeſtes allarmes
D'une longue captivité,
On reſſent beaucoup mieux les charmes
De la Liberté.

TROIS LYDIENS.

Les plaiſirs ſeroient moins aimables,
Si les chagrins n'avoient leur cours :
Et les beaux jours
Seroient moins agréables,
S'ils duroient toûjours.

UN LYDIEN.

Enfin nos prairies
Vont eſtre fleuries :
Les paiſibles Troupeaux
Sauteront ſur l'herbette,
Au ſon de la muſette,
Et des chalumeaux.

Que dans cet aſyle,
Tout ſera tranquille !

Les Bergers deſormais
Sans murmure & ſans plainte,
Sans ſoucis & ſans crainte,
Chanteront la Paix.

Que tout s'intereſſe,
Que chacun s'empreſſe:
Et vous petits oiſeaux,
Sous ce riant feüillage,
Meslez voſtre ramage
Au bruit des ruiſſeaux.

CHOEUR DES LYDIENS.

Conſervons de ce jour à jamais la mémoire,
Chantons, réjoüiſſons-nous,
Diſons tous:
La plus belle victoire
Ne pouvoit rien nous donner de plus doux.

Fin du premier Intermede.

SECOND INTERMEDE.
LA PAIX TROUBLEE.

LA DISCORDE.

VOus vous flatez en vain d'une fauſſe eſpérance;
Peuples, vous n'eſtes pas échapez à mes coups.
La Paix, où vous aſpirez tous,
Ne peut vous dérober à ma juſte vengeance.
De la fiere Diſcorde éprouvez la puiſſance,
Et redoutez ſon terrible courroux.
Pour vous, empreſſez a me plaire,
Eſprits du séjour ténebreux;
Voſtre ſecours m'eſt néceſſaire;
Sortez de vos antres affreux.

CHOEUR DE FURIES.

La Diſcorde cruelle
Nous appelle:
Suivons ſes loix;
Rendons-nous à ſa voix.

LA

La Paix prétend icy reſtablir ſon empire:
On ſonge à me bannir à jamais de ces lieux:
Pour ce deſſein audacieux,
Tout s'unit, tout conſpire.
Ma rivale m'inſulte, & triomphe à mes yeux:
Ah! ſi du noble feu, que le dépit m'inſpire,
Vous ſentez comme moy les tranſports furieux:
Vengez-vous, vengez-moy d'un affront odieux.

CHOEUR DE FURIES.

Nous courrons tous à ta défenſe;
Repoſe-toy ſur nous du ſoin de te venger.
Quiconque oſera t'outrager,
Verra punir ſon inſolence.

LA DISCORDE.

Que ce noble courroux
A pour moy de charmes!
Aux armes, aux armes:
Vengez-moy, vengez-vous.

UNE FURIE.

Portons de tous coſtez la guerre & le carnage;
Signalons noſtre bras
Par de ſanglants combats.
Quel orage!
Quel ravage!
Quel horrible fracas,
Va ſuivre nos pas!

UNE AUTRE FURIE.

Voicy-la tempeſte,
Qui s'apreſte.
Mille traits épars.
Volent de toutes parts:
Rien ne nous arreſte;
Un ſeul de nos regards
Renverſe les ramparts.

UNE TROISIE'ME FURIE.

De prétendre
Se défendre
Contre nos efforts;
C'eſt deſcendre
Sur les ſombres bords;
Et ſe rendre
Au ſéjour des Morts.

Digitized by Google

Je triomphe à mon tour, & la Paix ma captive,
Du milieu de ſes fers pouſſe une voix plaintive.
Et vous que je condamne à d'éternels regrets,
Allez, Peuples, vantez les charmes de la Paix.

CHOEUR DE LYDIENS.

O le rude eſclavage!
N'aurons-nous donc jamais que les pleurs en partage?
O cruelles rigueurs!
O mortelles douleurs!

DEUX, ou TROIS LYDIENS.

Quoy ſans ceſſe accablez ſous le poids de nos chaiſnes!
Quel tourment de languir toûjurs!
Ne verrons-nous jamais finir le triſte cours,
De nos malheurs & de nos peines?

CHOEUR DE LYDIENS.

O cruelles rigueurs!
O mortelles douleurs!

Fin du ſecond Intermede.

TROISIEME INTERMEDE.

LA PAIX ESTABLIE.

LA PAIX.

LE Trouble enfin cede à la Paix.
Ceſſez, Peuples, ceſſez deſormais de vous plaindre:
Des rigueurs du Deſtin vous n'avez rien à craindre,
Vos maux ſont finis pour jamais.
La Diſcorde en vain dans ſa rage,
Contre moy, contre vous a mis tout en uſage;
La cruelle juſqu'aux Enfers,
S'eſt ouvert un paſſage:
Mais le calme bien-toſt fera ceſſer l'orage;
Pour le repos de l'Univers,
J'ay contraint la Diſcorde à rentrer dans les fers.

CHOEUR DE LYDIENS.

O retour plein de charmes!
Quittons les armes:
O charmante paix!
Que vous avez d'attraits!

UN

UN LYDIEN.

Pourquoy tant vanter ſes bienfaits?
Les maux qu'a cauſé ſon abſence,
L'emportent ſur les biens que produit ſa préſence:
Charmante Paix,
Ayez de la conſtance;
Ou ne nous revoyez jamais.

Sans ceſſe en butte à mille traits,
Entre la crainte & l'eſperance?
Nous verron-nous toûjours languir dans la ſouffrance?
Charmante Paix,
Ayez de la conſtance;
Ou ne nous revoyez jamais.

L A P A I X.

Pourquoy vous allarmer d'une crainte inutile?
Voſtre ſort deſormais va devenir tranquille.
C'eſt pour toûjours,
Que j'ay choiſi ces lieux pour mon aſyle:
C'eſt pour toûjours;
Vous n'aurez plus que de beaux jours.

CHOEUR DE LYDIENS.

O retour plein de charmes!
Quittons les armes!
O charmante Paix!
Que vous avez d'attraits!

L A P A I X.

Le Heros par qui je reſpire,
N'a fait tant de fameux exploits,
Et n'a triomphé tant de fois,
Que pour reſtablir mon empire.
Pour loüer le plus grand des Roys,
Uniſſez tous vos voix;
Chantez ſa gloire,
Publiez en tous lieux l'éclat de ſa victoire.

CHOEUR DE LYDIENS.

Pour loüer le plus grand des Rois,
Uniſſons tous nos voix:
Cantons ſa gloire,
Publions en tous lieux l'éclat de ſa victoire.

UN LYDIEN.

De ce bras qu'il a deſarmé,
Il euſt pû ſans qu'on duſt ſe plaindre,
Punir l'Univers allarmé.
Mais il a préferé le plaiſir d'eſtre aimé,
A celuy de ſe faire craindre.

UN AUTRE, ou DEUX LYDIENS.

Aux ſiécles à venir, lorſque la Verité
Prendra ſoin d'écrire l'hiſtoire
De ce Conquerant ſi vanté:
Laquelle aura des deux plus merité,
D'eſtre placée au temple de mémoire;
De ſa bonté,
Ou de ſa gloire?

UN TROISIEME LYDIEN.

On ſe fait un plaiſir de vivre ſous ſa loy;
Par tout on l'aime, on le revère.
De ſes ſujets, s'il eſt le Roy,
Il en eſt encor plus le Pere.

UN AUTRE LYDIEN.

Content d'une Courronne, il borne ſes deſirs;
Mais pour arreſter nos ſoupirs,
Dans un Fils qu'il aime,
Il nous donne un autre luy-meſme.
Qu'il eſt beau de le voir aujourd'huy,
Pour affermir la Paix ſur la terre & ſur l'onde,
Partager entre ſon Fils & Luy,
Les plus beaux Empires du monde.

PETIT CHOEUR.

Pour celebrer ſes glorieux exploits,
Uniſſons tous nos voix:
Chantons ſa gloire,
Publions ſa bonté;
Heros jamais a-t'il mieux merité,
Que l'on conſervaſt la mémoire,
De ſa bonté,
Et de ſa gloire?

GRAND CHOEUR.

Chantons ſa gloire,
Publions ſa bonté:
Heros jamais a-t'il mieux merité,
Que l'on conſervaſt la mémoire
De ſa bonté,
Et de ſa gloire?

Fin du troiſiéme & dernier Intermede.

DAMO-

Digitized by Google

DAMOCLES,

SIVE

PHILOSOPHUS REGNANS.

DRAMA:

ACTUM BIS LUDIS PRIORIBUS.

ANNI M. DCXCV. & M. DCCII.

ILLUSTRISSIMO VIRO

MARCO RENATO

DE VOYER D' ARGENSON,

URBANÆ DISCIPLINÆ PRÆFECTO.

DUm publica ac privata totius Urbis commoda, tranquillitatem, diſciplinam ſedulò feliciterque promoves, VIR ILLUSTRISSIME; *an polliceri mihi poſſim, ſatis tibi fore otii ab ea ſollicitudine quam parit tot negotiorum moles, ut brevem hanc Fabulam, ſub præſidio tui nominis in publicum venire geſtientem, ultro perlegas? Quanquam & hoc operum tuorum eſt, amandare procul à bene morata civitate, ſi qui tam præpoſterè ſentientes de re Politica, quàm ſenſit olim Damocles, invenirentur.*

Ut ut eſt, VIR ILLUSTRISSIME; *ridebis mehercule novum in Damocle Politici viri genus; qui hauſtam ex inani Philoſophorum ſchola, ut ſibi videbatur, ſapientiam, graviſſimis quibuſque rebus moderandis parem crederet.*

*Ridebis inquam, Tu qui in ea familia natus es, quam non ſola armorum gloria, vel ab ipſis Caroli Calvi temporibus * ad noſtram hanc ætatem uſque propagata nobilitat; ſed etiam ſumma Rei Politicæ laus, in adminiſtrandis ſapienter Provinciis, in ſanciendis opportunè Fœderibus, in Legationibus feliciter obeundis illuſtravit. Tu, cujus Avus egregiam in Gallia, in Hiſpania, in Italia cum navaſſet operam, Legatus demum Chriſtianiſſimi Regis apud Venetos extinctus, perenne rerum bene geſtarum, Sereniſſima Republica magnificis ſumptibus procurante, monumentum promeruit. Tu cujus Pater, obita apud eoſdem Venetos Legatione, ſic omnium conciliavit animos, & ad amorem pacis adduxit; ut, ad perpetuam rei memoriam, Reſpublica gentilitio Legati, & poſterorum ipſius ſcuto ſuum ipſius inſeri voluerit: approbante publicis literis Rege Chriſtianiſſimo & renumeratam fidelis Miniſtri ſui dexteritatem atque ſapientiam gratulante.*

* *Anno* 877.

Sed quid ego illa prædicem quæ tam noſtris, quam peregrinis Annalibus copiosè ſunt conſignata? Ignoſces, VIR ILLUSTRISSIME, *hæc ſi delibaſſe videar, qui nihil ambiam aliud, niſi meam erga te ſingularem obſervantiam teſtari.*

VIR ILLUSTRISSIME.

Tibi dedititiſſimus, GABRIEL FRANCISCUS DE JAY, è Societate JESU.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Mirum fortè videbitur, quod ex Audito Viro, qualem Hiſtorici pingunt, Poeta Philoſophum effinxerit; illudque prætermiſerit in Damocle, quod præcipuum narrari ſolet. Nam quis neſcit Damoclem fuiſſe unum ex Dionyſii Siciliæ Regis aſſentatoribus, qui regnandi captus illecebris, Regum & ipſe fortunam voluit experiri? eo demum exitu, ut imminentem capiti nudum enſem, qui juſſus erat appendi, dum metuit, intelligeret; non tam lætam eſſe, quàm putabat, Regnantium conditionem.

Hoc ipſum teſtatur Tullius in Tuſculanis: idemque deſignare voluit Horatius *lib.* 3. *Od.* 1.

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet; non ſiculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem,
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent.

Tamen ſenſi, dum hæc Fabula ſemel atque iterum exhiberetur, non tam incommodè mandatas fuiſſe homini Philoſopho partes Damoclis: & eſſe multa Principi optimo ſuorumque amanti, quæ vel diſtricto enſe metuenda magis viderentur.

Hoc igitur mihi, uti ſpero, facilè condonabitur; ſi nihil aliud de Damoclis hiſtoria, ſive fabula retinuerim, niſi quod Regum ſortem ambiret, periculorum aut neſcius, aut ſecurus. Cætera quæ pro Fabularum licentia finximus, ita ſunt temporis illius, quo res contigiſſe dicitur, moribus accommodata, ut ſin minus vera ſunt, veriſimilia certè videri debeant.

Etenim nulla fuit olim regio Philoſophorum tam amans, quam Sicilia. Illuc quaſi in ſuum domicilium appellebant, quotquot artem illam profitebantur: & reliquis pulſa Græciæ partibus ſchola Pythagorica, tutum in eo regno præſidium invenit. Erat verò Philoſophicæ gentis ea confidentia, tanta ſolertiæ, quam Philoſophia dabat, opinio; ut tum demum felices fore populos jactitaret, cum aut Reges philoſopharentur; aut, quod ipſis ſapiebat multò magis, Philoſophi regnarent.

Digitized by Google

A C T O R E S.

DIONYSIUS, Siciliæ Rex.

A U L I C I.

CLEOBULUS.

AMYNTAS.

PHILOPATER.

LAMACHUS, Carthaginienſis Legati perſonam ſimulans.

NICANDER, Legati Epirotæ perſonam ſimulans.

NICETAS, Tonſorem ſimulans.

DAMOCLES, Philoſophus.

Scena Syracuſis, in Palatio Dionyſii.

Digitized by Google

DAMOCLES,
SIVE
PHILOSOPHUS REGNANS.
DRAMA.

ACTUS PRIMUS.
SCENA PRIMA.
DIONYSIUS, AMYNTAS, CLEOBULUS.

DIONYSIUS.

QUID eſt Amynta? fare, qui Siculas calet
Rumor per oras? noſtra dum Superi approbant
Conſilia, Populus facta quo vultu aſpicit?
AMYNT. Subactus hoſtis, proſpero bella exitu
Confecta, longæ pacis aſpirans quies,
Satis hac beatas ſorte Syracuſas probant.
DION. Utinam beatas! ſed age; nil veteres dolent
Belli ruinas? nemo penſatos malè
Queritur labores? nemo regnantem arguit?
Amice, ſi quid noris erratum, doce.
Simulata mitte verba. *AMYNT.* Simulatum nihil,
Invicte Princeps: quà latus Siculum patet;
Nomen verendum pariter & amandum geris.
DION. Id eſſe credam? blanda nequicquam obſtinas
Occinere. Meliùs diſce Regnantum vices,
Amice: cunctos, quo vides poſitum in gradu,
Non, ſi velim, feciſſe contentos licet.
AMYNT. Cumulare populi vota qui potuit, nihil
Ultra expectandum fecit; aut, ſi quid Deos
Rogare deinceps liceat, incolumis diu
Regnes, precamur! *DION.* Sortis ò cumulum aſperæ!
O dura Regum fata! men' cupidum boni
Rectique amantem nullus errantem avocet;
Rebuſque amicam commodet dubiis opem?
Cleobule, fuci neſciam expecto fidem.
Præſtabis? *CLEOB.* Ultro: vera narrantem audies,
Rex magne; ſolitam præſto, quam repetis, fidem.

Dum

Dum cuncta faciles cæpta fortunant Dei:
Egregia cœlo facta dum populi ferunt;
Habilemque celebrant ſceptra moderantis manum:
Tibi parce nimiùm plaudere; eſt media gravis
In urbe cenſor, rigidus, intractabilis,
Cujus ſeveræ cuncta cenſuræ patent,
Vel ipſa Regum geſta. Terribilem virum
Reverere, quantus, quantus es: non te hæc ſatis,
Quacumque fulges, purpura illæſum dabit.
DION. Quis ille, quodve nomen? *CLEOB.* Eſt ſecta Sophus,
Hominique nomen, Damocles. *AMYNT.* Stultum hinc procul
Et inficetum, ſi quod eſt uſquam, caput
Omitte ſodes: nempe curandum putas,
Aut condolendum; ſi quid hoc hominum genus
Fortè improbarit? Regiis parce auribus
Ingerere nugas futiles. *CLEOB.* Verum petis,
Rex magne? verum refero. Sit ſanum caput,
Vacuumne cerebro, nil moror: vades dabit,
Quiſquis volet; Pol non ego. *DION.* Hoc ſenſu places,
Cleobule: cedo jam amabo, quid demum arguat?
CLEOB. Is rebus atram ſingulis figit notam.
Decreta, leges, dicta, facta vellicat,
Inſanientis artifex ſapientiæ.
DION. Hominem placet videre. *CLEOB.* Ni falſum auguror,
Mox aderit. *DION.* Unde hoc æſtimas? *CLEOB.* Librum edidit.
DION. Et illum amaris, ſcilicet, fartum probris?
CLEOB. Imò: ſed altam; ſi qua debetur fides
Homini, volumen continet ſapientiam.
DION. Quis porro titulus? *CLEOB.* Titulus? hic eſt: *Philoſophus*
Regnans, & artem ritè regnandi docens.
AMYNT. Regi dicatus eſt liber? *CLEOB.* Sic dicitur.
DION. His me erudire quippe documentis parat?
CLEOB. Omnino: & illa ſi modò ſerves memor,
Rex magne; populis pollicetur auream
Felicitatem, nomen æternum Tibi.
DION. Documenta noſtin' illa? *CLEOB.* Quæ didici, eloquar,
Si lubeat. *DION.* Age ſis. *CLEOB.* Credis hoc quiddam arduum
Efficere, ut omnes ſe beatos æſtiment?
DION. Eheu! periclo ſatis id expertus meo!
CLEOB. Et ille primam Regibus legem irrogat,
Omnem ut querelis penitus occludant viam.
DION. Artemne, qua quis aſſequi hoc poſſit, docet?
CLEOB. Tumultuoſi Martis ancipitem aleam,
Cauſaſque belli barbaras procul in plagas
Mandare: pacis colere perpetuæ otia:
Omnes amicos, hoſtem habere neminem:
Populos tributis atque vectigalibus
Eximere; per ſe regere, moderari omnia

Humo-

Humeriſque rerum pondus immenſum ſuis
Ferre, adminiſtro nemine: hæc Rege bonum
Magnumque, veri Damocles ſiquid crepat;
Ars illa populos ſola felices facit.
DION. Tam facilis utinam, digna quàm Regem foret
Ars illa! *CLEOB.* Facilem Damocles artem hanc fore
Ubique jactat: quando Philoſophos penes
Erit poteſtas ſumma. *DION.* Philoſophos penes
Rerum poteſtas ſumma? Tam ſtultas preces,
Hoc perduellis mente concipiat nefas?
Ni Regis iras pigeat indignum in caput
Laxare; ſaxo vindicem me me ſciat;
Interque pueros aut Sophiſtarum greges
Abſtruſus, inde proprio diſcat malo
Regum vereri facta. Sed ludos dare
Præſtat mihi vobiſque. *AMYNT.* Si ludos amas,
Rex magne; ludos meliùs haud quiſquam dabit.
Non ille larva vel cothurnis indiget,
Cui barba ſeſquipedalis è mento fluat.
DION. Accipite, quales mediter inſidias viro.
Negotiorum mole defeſſum gravi
Me velle fingam pondus inviſum imperi
Abjicere: dein virtute vel meritis parem
Nullum profeſſus Damocli, aut habilem magis,
Imperii habenas regere qui poſſit, virum;
Suadebo, ſolium ut ipſe conſcendat; nova
Populis daturus jura. Conſilium placet,
Cleobule? *CLEOB.* Lepidam, per Deos, ſcenam offeret
Siculi repente culmen imperii tenens
Philoſophus! *DION.* At vos ille ſpectabit labor;
Hæc machinari, ſtulta queis ſapientia
Impingat, & veſana dominandi fames.
CLEOB. Permitte nobis cuncta; noſtras, ut decet,
Partes agemus. Quibus at impenſis luat
Faſtus ineptos? numquid indigna Sophus
Impune Regum ſceptra tractarit manu?
AMINT. Quid ille perdat? curta res hominum id genus
Brevis & ſupellex ſequitur. *CLEOB.* At mento gravis
Dependet olli Barba: plus ſatis eſt: jube
Barbam recidi. Cuncta Philoſopho abſtulit,
Auferre Barbam qui poteſt....

SCE-

SCENA II.

DIONYSIUS, AMYNTAS, CLEOBULUS, PHILOPATER.

PHILOPATER.

REgem alloqui,
Niſi eſt moleſtum, Damocles quidam velit.
Ingens volumen in ſuo geſtat ſinu:
Animumque tacitus magna meditantem exhibet.
DION. Cleobule, veſtem regiam & capitis decus,
Sceptrum, & omnes, ire queis reges ſolent,
Mihi apparatus provide. Cum res feret,
Huc advolabis. *CLEOB.* Imò, ſolertem inſuper
Rex magne, doctum & præſto tonſorem Tibi.
AMYNT. Cleobule, ne te hæc cura ſollicitet: labor
Meus ille fuerit, ſi voles; cupidum dabo
Hominem jocorum, ludicri artificem doli.
Mihi crede, partes rite tonſoris geret.
CLEOB. Eſto: ipſe propero, juſſa quo Regis vocant.

SCENA III.

DIONYSIUS, AMYNTAS, PHILOPATER, DAMOCLES *cum Libro.*

DAMOCLES.

REx, vive: fauſtos Damocles optat tibi
Spondetque, ni forte refugis, æternùm Deos.
DION. Ten'video tandem, proximum Superis caput?
Oracla cujus, lapſa ſeu fuerint polo,
Siculus veretur orbis. Heu! quæ te mihi
Invidit uſque ſors mala? *DAM.* Ah! nihil hinc dole:
Tibi vixit uni Damocles. *DION.* Egone id putem?
O me beatum! *DAM.* Noſter hic faciet fidem,
Regnantum in uſus, & tuos, ò Rex, Liber,
Difficilis operæ, nuper in lucem datus.
Fructum hunc laboris ardui; & amoris cape
Perenne pignus: hoc duce errabis nihil;
Altaque populos pace compoſtos diu
Summis & imis pariter acceptus reges.
DION. Summis & imis pariter acceptus, diu
Populos in alta pace compoſtos regam?
Utinam liceret! fruſtra es; infectum canis.
Ars illa nulli nota Regnantum fuit.

DAM.

DAM. Rerum poteſtas ſumma Philoſophos penes
Si quando fuerit; quod ais infectum, brevi
Factum videbis. *DION.* Nil moror, per te, obſecro,
Exequere; votis quod ego nequicquam omnibus
Dudum ambii; quod & aſſequi nunquam autumem.
Oneri bonus ſuccede: meliori volens
Permitto ſolium. Siculi habenas imperi
Inflecte. Populi Damoclem Regem ſciant;
Pronoque ſacrum vertice agnoſcant caput
Totas pererrans præco Syracuſas, jube, * *Ad Philopatrum.*
Mandata referat noſtra. Cleobulum admone,
Amynta; ut adſit illico; & tanto ferat
Parata Regi decora.

SCENA IV.

DIONYSIUS, DAMOCLES.

DAMOCLES.

Sic regnum abjicis
Deliberata mente? nec facti piget,
Olim aut pigebit? *DION.* Longa dum populis quies
Aſpirat; omnes dum beatos efficis
Beatus ipſe; quid mihi optandum eſt ſuper?
Hac lege ſceptri reputo jacturam levem
Moderare Siculos. Interim Dionyſius
Procul tumultu, ſorte contentus ſua,
Quamcumque Superi lucis uſuram dabunt,
Hanc exiget. *DAM.* Non ille, qui mortalium
Perſtringit oculos, purpuræ inſanus nitor;
Non imperantum, ſceptra, quæ decorant manus,
Aut regias corona quæ cingit comas,
Tentavit unquam Damoclem: hoc unum ambio,
Dum Regni habenas dextra non refugit, palam
Feciſſe, quanta, Rege Philoſopho, bona
Sperare populis liceat.

SCENA V.

DIONYSIUS, DAMOCLES, AMYNTAS, NICETAS *Tonſorem ſimulans cum Tonſoris ſupellectili,* CLEOBULUS *cum apparatu Regio.*

DIONYSIUS.

Antiquum ocyus,
Et obſoletum, Damocles, cultum exue.

Depone

Depone primo pallium; & latos tegat
Regalis humeros purpura. Galerus locum
Cedat coronæ. Tonſor eſt aliquis, grave
Et inane pondus qui metat? *CLEOB.* Præſto eſt, ſua
In arte tonſor habilis, aut nuſquam fuit.
NIC. Proh quanta! quam prolixa! quàm ſurgit bene
Foliata mento Barba! ne peream malè;
** Accedit Nicetas ad Damoclem cum Novacula; & ab eodem repellitur.* Si talis unquam ſub mea cecidit manu. *
Quid refugis autem? ne time: vix ſenſeris.
Tam leviter ambas dextra percurret genas!
DAM. Faceſſe, parricida. Si regno fruar;
Pro ſcelere tanto, quas decet, pœnas dabis.
CLEOB. Permitte: cultus iſte non regem ſapit,
Nec Barba ſeſquipedalis. *DAM.* Inſulſum genus!
Facitne Reges purpura, aut gemmis nitens
Regale ſceptrum, dum vacat cerebro caput?
Removete vana decora: plus ſapientiæ
Hoc continetur pallio, quod deſpicis,
Quàm tota capere regia ſupellex queat.
AMYNT. Hoc ludicrum habitu nempe Regnantem approbet,
Metuatve populus? *DAM.* Amabit, hoc unum volo.
** Surſum.* *NIC.* * Ridebit, aut illudet; hoc certum ſcio.
DION. Hirſuta facies forſan incutiet metum,
Moraſque amoti faciet; hoc ſaltem feras,
Pars amputetur aliqua. *DAM.* Ne minimum quidem,
De ſegete tota, patiar avelli pilum.
Vel recipe regnum; vel mihi intactas opes
Relinque. Neſcis, ſentio, quanto ſtetit
Alenda pretio Barba. Nil ſapiam magis,
Quàm ſapere didicit reliqua gens mortalium;
Niſi me illa vili pignora è vulgo eximant.
Proin parce deinceps obloqui; ac ſi me jubes
Regnare; diſce Regis imperium pati.
DION. Parebo. Populos igitur arbitrio rege.
Regem exuo. Vos, Damocli obſequium & fidem
Jurate, Proceres. Primus advolvar pedes,
Et imperantis oſculer dextram fine.
** Egreditur.* Abſcedo. * *CLEOB.* Noſtra pariter obſequia excipe.
DAM. Procul hinc inanes mittite obſequii notas.
Nos alia tangit cura. Ne Siculi diu
Populi moremur gaudia: agnoſcat ſuum,
** Egrediuntur.* Ametque Regem. * *AMYNT.* Quos parat nobis jocos!
NIC. Philoſophe, veſper antequam claudat diem;
Vah! ſi vel unus ſtabit in mento pilus.

Finis Actus primi.

ACTUS

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

DAMOCLES *tum Libro*.

JAm ſecla redeunt aurea; Philoſophi imperant!
Procul hinc tumultus Martis: æternam domi
Foriſque pacem, quid quid eveniat, volo.
Lex prima Regni. Mutuus populos amor
Regemque ſociet: nulla quod pietas queat
Exigere, nunquam turpis eliciat metus.
Vectigal omne penitus exſcindi placet,
Et abrogari: nulla me vivo prement
Tributa Siculos. Dives eſt Princeps ſatis,
Populorum amore qui fruitur. Utinam hanc forent
Artem eruditi ſapere, quicumque imperant!
Nil profuturas facilè deſpiciant opes.

SCENA II.

DAMOCLES, AMYNTAS.

AMYNTAS.

INvicte Princeps; Regis alloquium petit
Siculi Adminiſter imperi: graves ait
Urgere cauſas. Nunquid admitti placet?
DAM. Siculi Adminiſter imperi affatum petit?
Quiſquamne Siculum regere qui regnum autumet,
Me præter? *AMYNT.* Omnes ut decet parent Tibi.
At iniqua rerum te nimis moles premat;
Niſi ſit Miniſter, ferre qui partem adjuvet.
DAM. Quieſcat ille, quiſquis eſt. Per me omnia
Præſtabo ſolus, ne time: haud ergo impares
Oneri ferendo cuilibet humeros gero?
AMYNT. Etiamne Proceres conſili in partem abnuis
Adhibere? *DAM.* Procerum plena nil fuco moror
Conſilia. Si quid pariat ambages, Liber
Reſolvet ille meliùs: hinc ſana eruam
Conſilia: nil hic ſubdola fronte obteget,
Metuetve, rectum quidquid eſt, palam eloqui.
Proin mecum eodem ſedeat in ſolio velim;
Regem unde propiùs ipſe conſiliis regat. *

* [illegible] in Solio deponit.

SCE-

SCENA III.

DAMOCLES, AMYNTAS, CLEOBULUS.

CLEOBULUS.

POEnorum ab urbe miſſus Orator petit
Regem alloqui, ſi liceat. *DAM.* An notum tibi,
Quid portet ille? quid velit? *CLEOB.* Quid ſit rei,
Docebit ipſe meliùs; huc inſert gradum.
DAM. Abſcedite ambo: neminem arbitrum velim
Adeſſe; ſi res poſtulet, utrumque ocyùs
Revocabo. *AMYNT.* Juſſus exequi promptos habes. *

* *Egrediuntur Amyntas & Cleobulus.*

SCENA IV.

DAMOCLES, LAMACHUS *Legati Carthaginenſis perſonam ſimulans.*

LAMACHUS.

REx vive. Tecum pacis æternum rogat
Carthago fœdus. *DAM.* Quam petit, Dux inclyte,
Carthago pacem, Damocles ultro annuit,
Amicus uſque pacis. *LAM.* Hoc animo forent,
Quicumque populis jura legeſque irrogant!
Amare pacem perge, & invicta manu
Contunde, quiſquis auream pacem abjicit.
DAM. Nam quò iſta demum pertinent? Pacem petis,
Et dira ſuades bella. *LAM.* Pacem non amas;
Niſi pacis hoſtes perdis. En toto ruit
Epirus in nos agmine; & latè impias
Pœnorum in arva detulit belli faces.
Proin arma junge ſocia: nobiſcum opprime
Hoſtem beatæ pacis. *DAM.* An nullus poteſt
Modus eſſe pacis alius? inviſum mihi eſt
Belli vel ipſum nomen; & pacem execror
Bello redemptam. *LAM.* Pacis in bello tamen
Spes una; fruſtra nectere ambages velis,
Pœnos vel armis adjuva; vel ſi negas,
Tibi Pœnus hoſtis imminet. *DAM.* Belli furor,
Humana quò non pectora in præceps rapis!

Digitized by Google

SCENA V.

DAMOCLES, LAMACHUS *Legati Carthaginenſis perſonam ſimulans*, AMYNTAS.

AMYNTAS.

Legatus alter, magne Rex, aditum rogat.
DAM. At unde porro? *AMYNT.* Miſit Epirus. *LAM.* Bene eſt.
Jam noſſe dabitur, Hoſtis an Amici velis
Partes tueri. *DAM.* Nullus hoſtis eſt: cùr non licet
Omnes amicos eſſe? *AMYNT.* Quid referam? *DAM.* Mone,
Amynta, ut adſit. *AMYNT.* * Captus eſt: bellè dolus
Procedit. *DAM.* Unde rebus in miſeris ſalus
Aderit? In ipſo limine an victus cadam?

* Seorſum.

SCENA VI.

DAMOCLES, LAMACHUS *Legati Carthaginenſis perſonam ſimulans*, NICANDER *Legati Epirotæ perſonam ſimulans*.

NICANDER.

Ingratus aures rumor ad noſtras iit:
Quòd ferre Pœno militi auxilium paras;
Pactamque toties Regibus noſtris fidem
Abrumpis. *DAM.* Imò pacis auctorem puta.
Ah! ſinite amica pacis utrique ingeram
Conſilia: coeant mutuum in fœdus, precor,
Epirus & Carthago. *NIC.* Nil agis; bellum placet,
Eſt in propinquo miles armatus: vide
Quid agas? amicum te ſibi Epirus negat,
Niſi Pœnus hodie norit ultricem manum.
LAM. Te Pœnus hoſtem reputat; æternas niſi
Juratus iras, urbe rivalem ejicis.
DAM. Quò, quò ſceleſti ruitis? inſano modum
Ponite furori: veſtra vel ſi jam nihil
Placare poſſit odia; quid amantem otii
Cupidumque pacis aſperant? Unum ambio
Petoque: amicus eſſe ut ambobus queam:
Hoſtes, & ambo patior! *NIC.* Haud tales ſibi
Tempus querelas poſcit: abrumpem ocyùs
Moras inanes. Ede reſponſum. Abnuis?
Jam jam furenti miles accinctus face
Ferroque, cuncta clade fatali eruet.
Turmas reviſo. *DAM.* Cur fugis? paulum, obſecro,
Subſiſtere. *LAM.* Fœdus quando Pœnorum abjicis;
Abſcedo pariter. Funus urbi, ſi potes,

Digitized by Google

Defende; moneo: proxima obſeſſos dies
Muros videbit. *DAM.* Parce; nam cur ſic furis?
Meliora loquere.... Fata Regnantum aſpera!
Deliberandi tempus exiguum date;
Annuite, Proceres conſili in partem ut vocem.
Præſtare ſolus numquid ut poſſim omnia?
NIC. Abſolve; tempus urget; ulteriùs moras
Non patior. *LAM.* Aut rem perage quamprimum; aut vale.
DAM. * Tu me ergo; recti ſolus interpres, Liber;
Quid facere deceat cardine hoc rerum, doce.
NIC. *a* Delirat: animus ſede non conſtat ſua.
Pedem inde referam. *LAM.* *b* Video: res loquitur palam.
c Maleſane; prædam utrique peropimam dabis. *d*

* *Recurrit ad librum quē in ſolio poſuerat.* a *Ad Lamachum.* b *Ad Nicandrum.* c *Ad Damoclem.* d *Abſcedunt Lamachus & Nicander.*

SCENA VII.

DAMOCLES.

Quid agam? vel unde rebus anguſtis opem
Parabo? Cupido pacis en jam jam imminet
Fatale bellum. Dura nequicquam bonus
Mollire volui corda: conſilia & preces
Sprevere. Quanquam hæc levia: quem ſummum reor
Cumulum malorum; meus hic, afflicto, Liber,
Spes una, medias inter ærumnas ſilet!
Quid deinde ſupereſt? Egone, quos repuli malè,
Revocabo Proceres? Quibus at irriſum modis
Sanique egentem conſili excipient? ... Tamen
Res urget: hoſtis geminus ad portas ruit.
Niſi ingruenti promptus occurram malo,
Urbs luctuoſo tota fato concidet:
Me vincla, vel mors durior vinclis manet!...
* Sed unde ad aures clamor inſonuit meas?
Fit ſtrepitus: aliquis portat huc celeres gradus.
At concitatum ne quis in vultum intuens,
Pavitantis animi forſan agnoſcat metum:
Hilaranda facies.

* *Fit ſtrepitus poſt ſiparium.*

SCENA VIII.

DAMOCLES, AMYNTAS, CLEOBULUS.

CLEOBULUS.

Magne Rex! *DAM.* Quid eſt novi,
Cleobule? *AMYNT.* Princeps! *DAM.* Fare. *CLEOB.* Proh dignum vice
Meliore Regem! *DAM.* Quis tremor pectus quatit?
Silent; & ora triſtis obſcurat dolor!

Quid

Digitized by Google

Quid eſſe credam? Nam quid ancipitem tenes?
Effare, Amynta. *AMYNT.* Potiùs æternùm mihi
Silere liceat! *DAM.* Quidquid eſt, effer palam,
Cleobule: jubeo, loquere. *CLEOB.* Terribilis pavor
Diffuſus animis grande præſagit malum.
Populus per urbem mente lymphatus furit;
Sibique clamat adeſſe ſupremum diem.
Vis nulla, nullus judicum aut legum pudor
Sedare potuit uſque maleſanos metus.
Quin & procacem verſus in rabiem timor,
Extrema quævis aggredi jam jam parat.
Vidi ipſe, dum plebs rabida præcipitem huc gradum
Urgeret; atque, parce ſi dico, ò nefas!
Regis verendum nomen oneraret probris.
DAM. At unde motus ille? quis tales ciet
Impune turbas? *AMYNT.* Fecit his turbis viam,
Uterque greſſum Regia qui jam extulit
Legatus. Ambos ira vecordes agit:
Queſtique de te graviùs, exitium horridum,
Totique diras proximam in lucem faces
Minantur urbi. *DAM.* Perfidi! Hoc illis dolet,
Quod auctor uſque pacis infandum execror
Belli furorem. *AMYNT.* Populus hinc dirum infremit,
Gemino nec hoſti pars ſatis, triſtem occupat
Animo ruinam. *DAM.* Rebus an miſeris ſuper
Spes nulla? Amici, quæſo, conſilium date.
Veſtram fidem repoſco. *CLEOB.* Conſilium petis?
Per te ipſe meliùs cuncta præſtabis modò.
Vel ſi qua mentem cura ſollicitam quatit;
Tuus ille quaſvis ſolvet ambages Liber.
DAM. Ah! ne mihi negate, quam repetunt, opem,
Iniqua nimiùm tempora. *AMYNT.* In bello ſalus:
Si tamen amorem pacis ingenitum potes
Excutere. *DAM.* Video: pax quidem melior foret,
Sed bella tempus poſcit. Ad bellum ocyùs
Inſtruite cuncta. Vincor; & durum eſt quidem,
Sed vincor. Ira vindices jam ſentient
Epirus & Carthago. Jacta eſt alea.
In utramque gentem Siculus irrumpat furor;
Dignaſque tanto ſcelere pœnas exigat.
CLEOB. Bellè iſta. Belli nervus atenim deficit
Pecunia; hauſtæ proximis bellis opes;
Et unde ſumptus ſufficitur, Ærarium
Inane penitus. *DAM.* Robore & ferro eſt opus,
Cleobule; non auro, vel argento. *CLEOB.* Putas,
Servire gratis miles ut velit? aut levi
Paſcatur aura? *DAM.* Dum vocat Patriæ ſalus,
Nemo pericli particeps eſſe abnuat.

Digitized by Google

CLEOB. At arma ſaltem miles & victum roget;
Utrique ni tu provides, bellum cadit.
DAM. Itane eſt? Malorum bella proh! quantum trahunt!
At vos, Amici, facite quid agendum ut ſciam.
Et quando bella regias poſcunt opes,
Opes parandi, quis erit, ubi deſunt, modus?
AMYNT. Unum ſcio, Rex magne. *DAM.* Quis demum obſecro?
AMYNT. Tributa nempe ſolita, vel ſi res ferat,
Majora populis imperes. *DAM.* Me ne exequi
Id poſſe? Siculos jamne vobis excidit
Per me ſolutos onere vectigalium?
Facti an pigeret tam citò? *AMYNT.* Rectè, an ſecus
Id feceris; penſare porro jam tuum eſt;
At ratio ſuper hæc una, qua regnum licet
Tutari ab hoſte? *DAM.* Numquid ultro commodet
Patriæ ruenti populus? *AMYNT.* Ut populi indolem
Malè æſtimaſti! quod placet, ſaltem hoc petas,
Rex magne; vel ſperes nihil. *DAM.* Regem, obſecro,
Vos regite: veſtræ, nil moror, ſapientiæ
Permitto cuncta... Mene Philoſophum tamen
Proprii indigentem conſili alieno regii
Et tu ſilebis uſque nequicquam Liber
Toties vocatus? Abeo; ſi ſtrepitu procul
Potiora miſero fortè conſilia ingerat. * (* Egreditur.)
CLEOB. Quid noſter ille Damocles? *AMYNT.* Tota, ædepol.
Incœpta belle Fabula; ut ſtructos ſibi
Ultro volenſque bellua in caſſes dedit!
CLEOB. Quid Lamacus & Nicander? an quiſquam, putas,
Utroque melius agere Legatos queat?
AMYNT. Partes uterque rite commiſſas agunt.
Aſt inchoatus quando ſuccedit dolus,
Urgenda res eſt. *CLEOB.* Ne te hic exſtimulet labor.
Ordimur: alios debet inſulſum caput,
Dabitque nobis, ſpondeo, actutum jocos.

Finis Actus ſecundi.

ACTUS

ACTUS III.

SCENA PRIMA.

DAMOCLES, MILES *armatus Damoclem Theatrum trajicientem inſequens.*

MILES.

ITe, ite: larvam Regis, infandum caput
Mactate celeres, rapite: tela, vim, faces
Inferte. *DAM.* * Superi! prodor; illudor, petor!
Adeſte, ſocii, milites; opem date
In perduelles, impios, nefarios.
Nihil ago, nil promoveo, nullus advolat,
Apparet, adſtat... Efferi! implacabiles!
Eheu! cruentam vix ego effugi necem...
Quis me locus tuetur? Occidimus!... Labant
Genua, per artus frigidus ſudor fluit;
Et anhela dirus corda terrificat pavor,
Tantiſne redimi debuit Regnum malis;
Vel inane Regis nomen? ò fallax bonum!
Quantum malorum fronte ſub blanda tegis!
Quanquam vel iſtud rebus in miſeris adeſt
Solamen: haud me cœca dominandi fames,
Vel fulgurantis purpuræ inſanus nitor
Stimulavit unquam, lubricas Regum vices
Subire. Volui, fata ſi ſinerent, novas
Inſtruere ad artes omne Regnantum genus.
Volui beatæ pacis æternæ otia
Præſtare Siculis: dura vectigalium
Abolere penitus jura: cunctos inſuper
Beare. Noſtris uſque cœptis obfuit
Mortalium gens cœca; nec gravibus malis
Adeſſe patitur ægra medicantis manum.
Jam quid juvet regnare? *MIL.* a Nam quò transfuga
Se ſe recepit? Ruite pollutam domum,
Retegite latebras. b *DAM.* c Rurſus ingeminat fragor!
Suos & in me populus intractabilis
Acuit furores! Nil moror; Regnum auferat.
Regem coactus indui, Regem exuam
Lubenter... At ſi barbari & lucem parant
Eripere; quid agam? Facilè quis regno poteſt
Carere; vita non poteſt. * Aliquis gradum
Accelerat. Heu me! Nullus effugio eſt locus.
Abſcondar, & ſilebo: ſeceſſum dabit
Hic angulus.

* *Per aliū Theatri aditum egreſſus.*

a *Regreſſus in Theatrū, Damoclē cogit latebras quærere.*
b *Abſcedit.*
c *Emergens à latebris.*
* *Fit ſtrepitus.*

SCENA II.

DIONYSIUS, AMYNTAS, CLEOBULUS, DAMOCLES *ſic abſconditus, ut animadverti mox poſſit.*

DIONYSIUS.

Cleobule, numquid dixeras
Regem huc receptum? *CLEOB.* Plebis elapſus modò
De manibus, iſtam viſus in partem, fugam
Celeraſſe. *DION.* Nemo eſt, quis habet hunc tandem locus?
CLEOB. Latitabit. *AMYNT.* *a* Hem! *DION.* *b* Reſiſte. *CLEOB.* *c* Pol
ipſe eſt. *DION.* *d* Sile.
e Ubicumque, Amici, lateat, hinc Regem illico
Retegam. Urbi flebile exitium ingruit.
Hinc hoſtis, inde plebis inſanus furor
Mox cuncta latè vertet. *AMYNT.* O rerum vices!
DION. Totam rebelles Regiam armatis tenent
Complentque turmis; ſaxa jam, ferrum & faces
Impune volitant: clauſtra multiplici ariete,
Veroſque poſtes cardine emoti labant.
Populi furentis impetum atque iras graves
Ni rex verenda comprimat præſentia;
Quæ ſpes ſalutis ſuperet, haud video ſatis.
CLEOB. Putas ſalutem rebus afflictis ferat:
Per quem exulaſſe fertur è regno ſalus?
Imò quietis obicem & pacis moram
Plebs efferata Damoclem plecti nece
Per fas nefaſque repetit; & tota abditum
Veſtigat aula. Ni fugam celerem paret;
Et abominandum ſubtrahat populo caput,
Malè occupatum ſanguine imperium luet.
DAM. *f* Nam quis beatæ commodet fugæ modum?
AMYNT. Unde ille gemitus prodit? An Regem intueor?
Rex magne, quis te caſus afflixit ſolo?
Permitte. *g* *DAM.* Nomen parcite inviſum mihi
Objicere: Regem pariter & regnum execror.
h Tu recipe ſceptra quæ dabas: tibi hæc volens
Reſtituo: regno fruere: Syracuſas rege.
Ego in latebras abditus rurſum meas,
Meliora ſceptris otia æternùm ſequar.
DION. Mihi ſceptra reddis ſcilicet? regnum volens
Reſtituis? Ergo, quam dedi pacem, adjice:
Securitatem redde: populorum integros
Reſtitue amores. Iſta, cum regnum dabam,
Dedi omnia: ecquid reddis? En tota furens
In urbe populus ferrum & infeſtas quatit

a Latitantem Damoclē animadvertens & Dionyſium admonens. b Submiſſa voce. c Submiſſa voce. d Submiſſa voce. e Clara voce. f E latebris ſuis. g Damoclem erigit. h Ad Dionyſium.

Miſcet-

Digitized by Google

Miſcetque flammas: hoſtis inſtat mœnibus
Utrinque: nomen Regis in probrum incidit.
Regnare nam quis hoc ſtatu rerum velit?
Aut redde cuncta, quæ dedi, aut regnum, ut potes,
Tuere. *DAM.* Sceptra regere dum licuit; Tui
Miſertus, ultro commodam exhibui manum.
At iniqua Siculis fata quandoquidem negant;
Felicitatis ne quid in populum aureæ
Per me redundet; ſceptra quid diutiùs
Retinere placeat? vel quid iratos morer
Placare vobis irrita Divos prece?
Nunc ergo damnis, ſi voles, præſentibus
Medere. Populos noſtra queis proſint magis
Conſilia, quos & reddere beatos queam,
Alios reviſo. *DION.* Futiles etiam jocos
Adjiciat? &, quæ fecit, inſultet malis
Sceleſtus? Aberat iſte nequitiæ modus,
Ut temeritati jungeret proterviam.
Aſt impudentes reprimam faſtus modò,
Philoſophicoſque ſpiritus. Quæ deſpicis
Reſumo ſceptra: primus at Regem ſcies.
Hinc rapite, jubeo, vile & inſulſum caput,
Dignamque populo victimam actutum date.
Placabit iras forſan effuſus cruor.
DAM. Miſereſce potiùs.... genibus affuſum vides,
Rex magne; miſero, ſupplici veniam annue,
Facti piget doletque. *AMYNT.* a Captus eſt. *CLEOB.* b Magnam, ædepol,
Rem faciet, hunc ſi frangat incolumis dolum.

a Submiſſa voce ad Cleobulum.
b Submiſſa voce.

SCENA III.

DIONYSIUS, DAMOCLES, AMYNTAS, CLEOBULUS, PHILOPATER.

PHILOPATER.

Actum eſt; utrinque miles infeſtus ruit,
Inſtatque portis: plebis ingeminat pavor,
Novumque furere rurſus in Regem parant.
DION. Parcat furori populus, & ponat metum.
Regnum recepi: Damocles ſolio excidit,
Et inſolentem debita ſuperbiam
Pœna expiabit. Hoſtis alloquium pete,
Amynta; & æquis legibus pacem roga.
Lex illa pacis prima; turbarum caput,
Auctorque belli Damocles letho cadet.

SCENA IV.

DIONYSIUS, DAMOCLES, CLEOBULUS.

DAMOCLES.

LEx dira! lex iniqua! quid feci miſer?
Cujuſve tandem criminis pœnas luo?
DION. Crimen petis, ſcelеſte? dum patriam obruis?
Dum luctuoſi ſuſcitas belli faces?
DAM. Invitus. *DION.* Inconſultus. *DAM.* Ah! me perdidit
Fatalis error. Sapere cur volui nimis;
Veterique fruſtra ferre medicinam malo?
Utinam tenebris uſque primis abditus
Inviſa nunquam ſceptra tractaſſem manu!
Omni periclo procul & inſano metu,
Hoc involutus Pallio, & mihimet vacans,
Sine nube ſoles ducerem! Heu! quanto ſtetit
Fatalis aulæ, tempus ad modicum, leves
Captaſſe plauſus! Triſte documentum ſumus,
Majora nequis viribus tentet ſuis,
Ultraque ſortem regium affectet decus.
CLEOB. * Spem facere ſi quam lucis afflicto placet;
Hac lege Barbam ſponte reſecandam dabit.
DION. Experiar. * Iſta ſapere decuiſſet priùs,
Philoſophe. *DAM.* Video. At numquis eſt veniæ locus?
Num mitigari triſte ſupplicium poteſt?
Non me cruenti terreat lethi gradus;
Vel emori tam grande crediderim malum.
At quanta, Superi! nomini Philoſophico
Labes paratur, ſiquid in noſtrum genus
Feralis auſit carnifex.... * Quid intueor;
Vel quò quietis publicæ oſores pedem
Impune referunt? Fugio, conſpectum horreo.

** Ad Dionyſiũ ſubmiſſa voce.*
**Ad Damoclem.*
** Lamachum & Nicandrum videt.*

SCENA V.

DIONYSIUS, DAMOCLES, AMYNTAS, CLEOBULUS, LAMACHUS *Legati Carthaginenſis perſonam ſimulans*, NICANDER *Legati Epirotæ perſonam ſimulans*.

LAMACHUS.

TIbi magna faciles optat æternum Deos
Carthago, legem & pacis oblatam accipit.
NIC. Hac Lege pariter priſtinum Epirus velit
Renovare fœdus. *DAM.* Ut meam coeunt bene

Amico

Ambo in ruinam! *DION.* Libero pactam fidem.
DAM. Perii! *DION.* Ecce veſtras Damoclem trado in manus.
DAM. Per ſi qua pietas. *DION.* Veſter eſt. *DAM.* Veniam obſecro,
Largire. *DION.* Non eſt jam meum: quidquid fuit
Mihi juris in te, Damocles, totum exui.
Habes utrumque mortis ac vitæ arbitrum.
LAM. I nunc. Profundi carceris latebras pete,
Devota furiis victima; & meritam necem
Hic opperire. *DAM.* Conſcium teſtor polum;
Ut innocens hæc patior! *NIC.* O frontem æream!
Et pervicacem! quis nocens ſi tu innoçens,
Scelerate? Tene, vile, deſpectum caput,
Fæx ima plebis, culmen ad ſummum imperi
Moviſſe greſſus; atque polluta manu
Maculaſſe Regum ſceptra? *DAM.* Si videor nocens,
Rex magne, quidquid ſceleris admiſſum fuit,
Te, te petebat; ipſe quin plectis reum?
Noſterve ſi te potiùs inflectit dolor,
Miſereſcis? Ah! ne tam pium pecca in genus:
Vixiſſe per te liceat! hoc tu ſi dabis,
Nil deprecabor, quam voles, pœnam irroga.
DION. * Quidquamne miſero Damocli indultum placet, ** Ad Lamachum & Nicandrum.*
Invicta bello pectora? *LAM.* Hoc per te æſtima,
Rex magne. *NIC.* Quod vis ſtatue, nil in me moræ eſt.
DION. * Agnoſce vitæ munus, & grates habe; ** Ad Damoclem.*
Vives. *DAM.* Periclo quis Deus tanto eripit?
DION. At, ne quod unquam ſimile pertentes ſcelus,
Refecta mento Barba documentum dabit.
DAM. Sic flecteris? ſic noſtra miſeraris mala?
DION. * Æquum probatis ambo? *LAM.* Sic fieri placet. ** Ad Lamachum & Nicandrum.*
DAM. Superi! *NIC.* Philoſopho pœna par. *DION.* Bene eſt. *AMYNT.* ** Seorſum.*
* Habet.
DION. Huc Tonſor aliquis.

SCENA ULTIMA.

DIONYSIUS, DAMOCLES, AMYNTAS, CLEOBULUS, LAMACHUS, NICANDER, NICETAS
Tonſoris perſonam ſimulans.

NICETAS.

PRæſto ſum. *DAM.* Vitam, precor,
Auferte potiùs. Vita quid miſerum juvet,
Hoc ſi carendum, quo ſine in vita nihil
Sit expetendum jam mihi? *NIC.* Agnoſcis virum,
Philoſophe? *DAM.* Triſtem cuncta mihi caſum occinunt!
NIC. Men' parricidam? *DAM.* Parce. *NIC.* Si regnum foret,

Virtu-

Virtutibus me nempe cumulares meis?
DAM. Quid loqueris? *NIC.* Iſta nil ego Barba hactenus
Vidi comatum melius, aut ſpiſſum magis.
Quas inde noſtris laribus exuvias paro!
DION. Rem perage, Tonſor, ocyùs. *NIC.* * Novaculam
Acuere liceat. *DAM.* Non feram; lucem potes
Adimere, Barbam non potes. *NIC.* *a* Jam ne pilus
Effugiat unus. *DION.* *b* Age ergo. *NIC.* Mentum commoda,
Philoſophe. *c* Renuis? *DAM.* Facinus immane, impium!
DION. *d* Reſiſtis? *DAM.* O tu, quiſquis es cœlo, Deus!
Qui fulmine arces crimina; hoc cernis nefas,
Et pateris? *DION.* Ah! ludi piget? ferrum expedi,
Cleobule, ferrum. *NIC.* *e* Vis? *CLEOB.* *f* Negas? *DAM.* *g* Paulum, obſecro,
Subſiſte. *NIC.* Mentum trade. *DAM.* *h* Tantiſper. *DION.* *i* Moras
Impune nectis? *DAM.* *k* Æquior nunquam fuit
Deliberandi cauſa; moriendum mihi eſt,
Pretioſa vel ſi Barba depereat ſemel,
Philoſophus eſſe deſino .... Quid agam?... Mori
Præſtiterit. *DION.* Ergo morere. *DAM.* *l* Quanquam! *DION.* *m* Nil agis,
Cleobule. *DAM.* Liceat verbulum. *DION.* Nil audio.
DAM. Rex magne... *DION.* Fruſtra es. *NIC.* Morte nil durum magis.
Barbam mihi permitte. *DAM.* *n* Jam ſi quid ſuper.
DION. Eloquere. *DAM.* Rigidus quando flectique impotens
Barbæ inſolentem ferre jacturam imperas:
Patere in latebris triſte peragatur nefas;
Neu media facinus videat indignum dies!
DION. Hoc impetras, uterque ſi factum probet.
DAM. Probamus. *NICAND.* Eſto. *DION.* *o* Fidus adſtabis comes,
Erepta mento ſpolia dum referas. *NIC.* Mihi
Haud deero. *DION.* *p* Tu mulctatus, hinc Reges procul,
Regum & vereri facta. *DAM.* Nam quo me, invida
Sors, adigis? *CLEOB.* Abiit. *AMYNT.* Ludicram, ſi qua extitit,
Dignamque ſcena Fabulam! *DION.* His utinam jocis
Lenire curas liceat interdum graves.

* *Novaculam acuens.*
a Ad Dionyſium.
b Ad Nicetam.
c Damocles Nicetam repellit.
d Ad Damoclem.
e Accedens ad Damoclem cum Novacula.
f Damocli diſtrictum enſem intentans.
g Ad Cleobulum.
h Ad Nicetam.
i Ad Damoclem.
k Medius inter Novaculam & diſtrictum enſem.
l Haſtam in ictum Cleobuli manum retinens.
m Ad Damoclem.
n Ad Dionyſium.
o Ad Nicetam.
p Ad Damoclem.

Finis Actus tertii & ultimi.

ABDO-

ABDOLOMINUS.

DRAMA.

ACTUM LUDIS PRIORIBUS.
ANNI M. DCXCVI. & M. DCC.

ILLUSTRISSIMO VIRO
LUDOVICO CHAUVELIN,
COMITI CONSISTORIANO.

Notus, opinor, Tibi eſt, VIR ILLUSTRISSIME, *qui ſiſtitur iterum Abdolominus; niſi forte nec leporem eumdem, nec priorem haberet gratiam, ex quo Tuus eſſe* * *deſiit. Tamen agnoſces adhuc, uti ſpero, aliquam Abdolomini illius ſimilitudinem, qui placuiſſe tibi jam viſus eſt; quem laudaſti ultro; cui, applaudente celeberrimo conſeſſu, ipſe applaudere non dubitaſti.*

Equidem, ut fatear quod res eſt, nihil mihi eſſet magis expetendum, quàm ut tam bellè, tam eleganter, tam venuſtè loqui hic poſſet, quàm loquentem olim audiviſti. Felix Fabula noſtra fatum polliceri poſſem, neque patrocinio cujuſquam viderer indigere. Num tali præſidio cum deſtituta ſit; æqui bonique conſules, VIR ILLUSTRISSIME, *ſi te Patronum ambiat, & tuo nomine freta geſtiat in lucem prodire?*

* *Filiorum alter junior perſonam Abdolomini, cum exhiberetur, ſuſtinebat.*

Quanquam parum prudens ego fortaſſe, qui levibus nugis pretium apud te quæram, & gravioribus rebus occupatum temere interpellem. Ignoſces tamen, VIR ILLUSTRISSIME. *Etenim quis opportunior erat aut ſtudii erga te mei ſignificandi locus, aut geminam tibi gratulandi ſobolem; quæ ſtudiorum tam feliciter defunctâ laboribus, latiſſima parentem expectatione cumulat?*

Quanto

Digitized by Google

Quantò uberior jam jam veniet lætandi ſeges; cum in utroque Filio expreſſas ad vivum miraberis virtutes illas, quas coluiſti ſemper impenſiùs, patientiam in labore, in officiis diligentiam, in obeundis muneribus integritatem, Religionem in Deum, ſtudium in propinquos, humanitatem in omnes?

Felix ego, ſi venire tecum in partem gaudii mihi tun liceat; & novum aliquod meæ erga te obſervantiæ renovare monimentum poſſim!

Vir Illustrissime.

Tibi deditiſſimus, Gabriel Franciscus
le Jay, è Societate Jesu.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

HAbent hoc Poetæ cum pleriſque commune parentibus, ut inter eos partus, quos ediderint, aliquem vulgò ſingulariter diligant & ſuaviùs deoſculentur. Ignoſcendum quidem, id ſi ratione facerent, aut huic amori prærogativo publica vox ſæpe non diſſentiret.

Tamen fateor non fuiſſe me ab ea contagione penitus immunem, qui hunc qualemcumque mediocritatis noſtræ fœtum ante alios amaverim; neque me unum ab ea parte excuſandum arbitrarer, niſi ſuffragaretur multitudo; quæ, ſi quid unquam putavit editum à nobis in re Dramatica probabiliter, priores Abdolomino ſemper detulit.

Argumentum hujus Dramatis mutuati ſumus ex libro quarto Quinti Curtii, qui hanc hiſtoriæ Alexandri Magni particulam his prope verbis narravit.

Sidone expugnata permiſerat Hephæſtioni Rex Alexander, ut, quem vellet è Sidoniis, Regem urbi præficeret. Is in clariſſimos Juvenes duos, quorum erat uſus hoſpitio, id refundere muneris cogitabat. At illi negarunt hoc licere ſibi more patrio, qui è regio ſanguine orti non forent: ſed Abdolominum quemdam indicant, qui longa cognatione regiæ ſtirpi annexus ſuburbanum hortum exigua ob inopiam colebat ſtipe. Hic diu cunctatus ducitur ad Alexandrum, & vel invitus ac reluctans Sidoniorum Rex appellatur.

Nunc ſi dicere liceat, quamobrem Abdolomini Fabulam cæteris, quas edidimus hactenus, prætulerim: ſenſi, ne quid diſſimulem, Abdolominum non tam placuiſſe argumento ipſo, quod tamen egregium eſt, quam iis, quæ Poeſis ſuffecit, ornamentis.

Perſonam Elimi, quem Abdolomino filium dedimus, ita, vel fictitiam, amarunt omnes, ut eam non deſideraſſet nemo, ſi abſuiſſet; adeo ſuam toti Fabulæ conciliat gratiam, & ſingulare pondus adjicit iis omnibus, quæcumque ſentire tam graviter Abdolominus viſus eſt.

Addo fuiſſe occurrendum huic incommodo, ne longior per tres Actus in recuſando regno Abdolomini pertinacia videretur. Hoc præſtat Diodas alter ex Hephæſtionis hoſpitibus, dum præter hiſtoriæ fidem ipſe Regni cupidus novam Abdolomino dat cauſam, ut in ſententia ſua perſtandum tandiu arbitretur.

Sed quid ego hæc, indulgentior Abdolomino, defendam, quæ prudentis & eruditi Lectoris judicio relinquenda ſunt? Quare pluribus ſuperſedeo, paternos etiam amores, ſi videbitur, damnaturus.

Digitized by Google

ACTORES.

ALEXANDER Magnus.

HEPHÆSTIO Alexandri amicus.

CABIRUS, DIODAS, } Sidonii Fratres, Hoſpites Hephæſtionis.

ADRASTUS, PHILOTAS, } Sidonii, Stratonis Regiis, dum viveret, Gazis præpoſiti.

ABDOLOMINUS, Ruſticus ſuburbanus, Regum Sidoniorum ſtirpi annexus.

ELIMUS, Abdolomini filius.

Scena Sidone, in Caſa Abdolomini.

Digitized by Google

ABDOLOMINUS.

DRAMA.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

ABDOLOMINUS, ELIMUS *poſt ſiparium in ſtratis jacens.*

ABDOLOMINUS.

JAm rara toto ſigna collucent polo,
Et nocte pulſa Lucifer revehit diem.
Bene eſt, eamus. Æſtifer quantos Canis
Peperit labores! Opera ni conſtans gravem
Viciſſet æſtum; læta jampridem mihi
Oleraque & herbas hortus areſcens neget.
Ecquando amicos, Jupiter, cœlo dabis
Imbres ab alto?... Fallor an moli tepens
Aſpirat Auſtro flatus! Actutum ſequor
Tam fauſta lætus omina. Urgendum eſt opus,
Abdolomine; ſtrenuos Superi adjuvant.
At, quæ morantem tarda ſegnities habet,
Nec uſitatus alligat natum ſopor?
Hunc ſuſcitemus .... Elime, quamprimum huc ades ....
Quid id eſt? nihil reſpondet .... Exurges Puer?
An te?... Silet .... Moraris?... accedam. *ELIM.* * Pater. ** E ſtratis poſt ſiparium.*
ABD. Ignave. *ELIM.* Quid vis, Genitor? *ABD.* Adſis ocyùs.
ELIM. Vis dura! *ABD.* Ceſſas? *ELIM.* Da, precor, ſpatium breve,
Genitor. *ABD.* Reſiſtis? *ELIM.* Nempe tanti eſt quod peto?
ABD. Dieſcit, & adhuc ſtertere ulteriùs placet?
Nam quò receſſit priſca ſedulitas? Moras
Non patior: hodie denſa ſpinarum ſeges
Eſt eruenda, Nate. *ELIM.* Duplicatus labor
Mox levia parvæ damna penſabit moræ.
ABD. Etiamne perges obloqui? Ah! tandem ſile,
Et ſurge, jubeo. *ELIM.* Quod jubes, ſileo, Pater,
Et imperata facio:... Si velles tamen?...
ABD. Sic juſſa peragis? *ELIM.* Imò præſto ſum, advolo
Tibi obſequendi cupidus .... ò duras vices!
ABD. Quid eſſe dicam? quæ mihi puerum inſolens
Afflavit aura? Sic mihi gnavam indolem
Nox una mutet? Siſte, dum potis es, malum,

Abdo-

Abdolomine: ſera poſt longum venit
Tempus medela.

SCENA II.

ABDOLOMINUS, ELIMUS.

ABDOLOMINUS.

NUnc ades tandem, & pigros
Furaris artus culcitræ? Expectas, reor,
Dum medium Olympi ſolis exuperans jubar
Ad penſa revocet ſolita? Sic natum parens
Inſtituit? hanc te ſapere ſegnitiem docet?
ELIM. Ignoſce: non me deſidis ſtudium otii,
Suiſve domitum lenta blanditiis quies,
Ut rere, Genitor, cauſa ſed tenuit tua,
Et innocentes ſtruxit in ſomnis dolos.
ABD. Inertis unquam cauſa ſomnolentiæ
Abdolominus ut ſit? Ignoras patrem.
ELIM. Sic eſt tamen, mi Genitor: invitus licet,
Quam tu increpabas, ipſe faciebas moram.
ABD. Nam quò iſta tendunt? quas mihi ambages canis?
Ambigua mitte verba. *ELIM.* Si ſcires, pater,
Quàm læta rerum ſe mihi ſpecies dabat
Animo intuendam; cum reluctanti ſopor
Excuſſus! aderas ipſe, ſed quantùm mihi
Mutatus! & quàm totus abſimilis tui.
Non ille frontem ſqualor, aut turpis ſitus
Fœdabat ora: non tibi annis obſita
Stringebat artus murice extincto chlamys;
Ligove rigidam durus onerabat manum.
At clara gemmis viſa regales comas
Redimere Cidaris, purpuræ fulgens nitor
Velavit humeros Trabea: dextræque additum
Regale pondus. Inde ſacros ad pedes
Circumvolutans longa famulantum cohors,
Cervice prona regium agnovit caput.
Nec ipſe tantæ nulla pars pompæ extiti:
Gemmis micabam totus atque auro gravis.
ABD. Ten' iſta moveant, Elime? *ELIM.* Da geminas, precor,
Adhuc per horas placidus ut ſomno fruar:
Forſan quietæ læta ſe rurſum offeret
Imago menti. *ABD.* Sic tibi illudi placet?
Larvaſque inanes ſequeris, atque umbras leves,
Simulacra veri caſſa, quæ mendax ſopor
Excitat, & orta protinus pellit dies?
ELIM. Cur ergo Somnus fertur interpres Deum;

Numen-

Numenque & ipſe colitur? Ecquid ſcis, pater,
Meliora nobis fata num Superi parent?
ABD. Quæ fata loqueris? vel quid adjiciant Dei?
Adimere nobis pauca, nil poſſunt dare.
Mihi crede; Regem, Nate, non faciunt opes,
Nec clara frontis decora, nec Tyrius color;
Aurata nec quæ ſceptra condecorant manum.
Rex ille, qui nil metuat, & cupiat nihil
Qui ſtultus ambit fragile Regnantum decus,
Huc flectat oculos: en Strato exemplum dabit,
Quàm ſtent iniquo, ſceptra qui tractant, loco.
Hic tumidus oſtro nuper, atque alta potens
Sidone, cecidit: alius imperium occupat,
Mox fortè eodem pariter abigendus gradu.
Fallacis Aulæ, qui volet, limen terat;
Magnoſque magnis redimat impenſis metus.
Mihi blanda parvis laribus aſpirans quies,
Hortuſque Regno potior .... At tempus fluit
Interea; & altis montium inſedit jugis
Tithonis uxor .... Nate, quò ſoliti vocant
Patrem labores, abeo. Tu, perge, & tuis
Accingere armis pariter, & in horto comes
Quamprimum adeſto.

S C E N A III.

E L I M U S.

PRoh! viri auſteram indolem!
Ut ſomniorum præſides tempſit Deos!
Et noſtra retudit gaudia! Ut regum vices,
Suo beatus hortulo & tenui lare
Deſpexit! Ecquid, Elime, num tales ſapis
Probaſve ſenſus? Tune regales domos
Aureaque vili tecta poſtponis caſæ?
Faſtidioſa nam quid hæc reputem bona,
Quæ ſequitur ultro tota gens hominum, & prece
Ambire multa didicit? O ſi fors mihi
Recludere olim vellet ad ſolium viam!
Neſcio quid animus grande præſagit, ſua
Spe major! Omen Dii, precor, fauſtum adjuvent!
a At unde murmur inſonat? vel quis fores
Hac pulſat hora? *b* Milites!... Nam quid volunt?
Occidimus! ergo pauperum nec parcitur
Etiam tabernis? Nullus effugio locus! ..
Quid agam? *c*

a Fit murmur poſt ſiparium.
b Introſpicit Actoret Scenæ ſequentis.
c Aſcondit ſe in Theatri angulo.

SCENA IV.

HEPHÆSTIO, CABIRUS, DIODAS, ELIMUS *in Theatri angulo abſconditus.*

CABIRUS.

PEnates habuit hic olim ſuos,
Si rite memini, Frater. *DIOD.* Hæc ipſa eſt caſa;
Agnoſco. *ELIM. a* Spes, heu! nulla! *CAB. b* Ni viles piget
Subire latebras, habitat anguſtum hunc larem
Dux Magne, quem tu quæris. *HEP.* Accedam lubens,
Cabire, non hæc tædium, ut reris, movent.
CAB. Sic audet ingens ſpernere excelſas opes
Hephæſtionis animus. *DIOD.* At domus hæc vacat.
CAB. Quò ſe recepit hoſpes?... Huc aliquis .... *ELIM. c* Loquar?
An conticeſcam? *CAB.* Nemo reſponſum dabit?
ELIM. d Heu! *HEP.* Pepulit aures triſtis, aut fallor, ſonus.
Attende, Dioda. *ELIM.* Quò ferar? *DIOD.* Puerum intueor.
HEP. Scrutemur. *CAB.* Heus tu, quid agis hic rerum, puer?
Accede propiùs .... Quid times? noſtin' virum
Abdolominum quem vocant? *ELIM.* Non eſt quidem
Ignotus. *CAB.* Ubi moratur? eloquere. *ELIM.* Is labor,
Ea cura tantos nempe ſollicitat Viros?
CAB. Mitte iſta ſodes; ubi ſit & genitor, doce.
ELIM. Ecquid juvabit noſſe? Teſtabor Deos;
Nullas recondit caſula defoſſas opes!
CAB. Etiam reſiſtis? *ELIM.* Nam quod admiſit ſcelus?
CAB. Negare pergis? fare, vel .... *ELIM.* Belli furor,
Humana quò non pectora in præceps rapis!
HEP. Confide: nihil hæc arma quæ gerimus, tibi
Gravius minantur. *ELIM.* * Imò, ſi dirum imminet
Quidquam parenti, natus hoc totum eluat!
In me arma cuncta vertite: excipiam ſinu,
Quamcumque mucro barbarus plagam inferet.
HEP. Aſſurge talem gratulor ſobolem patri:
Metus omnis abſit: cuncta jam pacem occinunt:
Cecidere bella. Nunc age, & quo ſit loco
Abdolominus, edoce. *ELIM.* Anguſtos vides
Patris penates: ipſe non procul hinc brevem
Exercet hortum. *HEP.* Perge, genitorem ocyùs
Acceſſe: paucis alloqui coram velim.
ELIM. Mandata peragam .... Si quis eſt cœlo Deus,
Meritis rependc talibus dignas vices!

a *Ex angulo ſeorſum.*
b *Ad Hephaſtionem.*
c *Ex angulo ſeorſum.*
d *Ex angulo.*
* *In genua procidens.*

SCE-

SCENA V.

HEPHÆSTIO, CABIRUS, DIODAS.

HEPHÆSTIO.

Ut corda fuci neſcia, ut ſtudium placet!
Et ille, patris cura quem fecit, metus!
Talem eſſe, Amici, ſponte crediderim patrem,
Qualem reportat fama, cui talem boni
Aureiſque prolem moribus Superi annuunt.
CAB. Nec illa mendax fama: cum noris virum,
Dux magne; ſortem, quam paras, meritum ſciés.
Non durus, annos quem tot exercet, labor
Mutavit animum, vel caſæ informis ſitus
Aſperſit ullam ſanguini labem inclyto.
HEP. Dignam imperantis indolem fateor: tamen
Piget vel iſtas tradere imperium in manus,
Moderanda vobis ſceptra cum poſſum dare.
Quæ pertinaces ſpernere oblatum decus
Tam rigida virtus cogit? Ah! ſinite, id, precor,
Quà licet, in ambos dulcis hoſpitii leve
Monimentum ut extet! *CAB.* Noſtra ſi placuit fides,
Satis repenſum eſt: ambo felices nimis
Placuiſſe! Quidquid addere ulterius paras;
Iterum monebo, patriæ leges vetant.
HEP. Generoſa nimiùm pectora! En tanto ambitu
Gens tota Procerum quærit ad ſolium viam;
Uterque, facilem terere dum potis eſt, negat!
CAB. Patere nobis aditus ad ſolium nequit,
Dum quis ſuperſtes regiæ ſtabit domus.
HEP. At ille quantùm regio diſtat gradu,
Qui neſcit atavos, & ſuum ignorat genus?
CAB. Vixiſſe quanquam ſibimet ignotus poteſt
Abdolominus ipſe: nobis non poteſt:
Quem ſtirpe ſcimus regia certò editum.
Ah! ne probandæ, cum licet, locum eripe
Virtutis! Id quod ſumere inhoneſtum foret,
Eſt glorioſum ſpernere. *HEP.* Expugnas, nihil
Adjicio: nam te plurima rurſum prece
Tentare, Dioda, pariter incaſſum piget.
DIOD. An ſi micantis purpuræ eximius nitor,
Favorque populi & ſacræ regnandi fames
Inflectat animum; fratris exemplum ſinat
Ambire honores, ipſe quos fugere obſtinet?
Præire frater debuit, noſtrum eſt ſequi.
Proin Regni habenas flectat imperio potens

Digitized by Google

Abdolominus; nil moror: frater jubet.
Auctore tanto ſceptra quid Diodam juvent?
CAB. Quem fama ſtimulat æmula, is nullo indiget
Auctore: virtus te tua hortatur ſatis,
Dilecte Frater. *DIOD.* Talibus virtus erat
Acuenda ſtimulis: laudis hoc ſummum eſt caput,
Contemnere ultro, ferre quod poſſis, bonum.
HEP. Par laus utrique debita: & rarum novæ
Virtutis ætas poſtera exemplum efferet.
At unde ceſſat tandiu, & nectit moras
Abdolominus? mene luſiſſet puer?
An ille fortè veritus hoſtiles dolos
Venire refugit? *CAB.* Rebus attentus ſuis
Partem laboris ſubtrahi impatiens ferat.
Aſt imparatum, ſi voles, horto in ſuo
Hominem licebit aggredi. *HEP.* Rectè id mones,
Cabire; eamus: ambo præeuntes ſequar.

Finis Actus primi.

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

HEPHÆSTIO, CABIRUS, DIODAS.

HEPHÆSTIO.

QUid eſſe dicam? regium vel quò decus
Recidit, Amici? Sceptra qui poſſunt manu
Habiles tenere, Regis ad nomen pavent!
CAB. Abdolominum ſubitus invaſit ſtupor,
Dux magne, nec adhuc dicta fecerunt fidem.
Paulum opperire; rebus attonitus novis
Aſſueſcet animus, & quod impatiens jugum
Detrectat, ultro forſan admittet. *DIOD.* Virum
Talem æſtimaſti, Frater? aut neſcis, opes
Ut regias contemnat anguſto lare
Contentus? Utinam plurima victus prece
Noſtriſque votis obſequens vilem caſam
Mutare Regno, purpura pannos velit!
At rite ſi quid cardine hoc rerum auguror;
Dediſcit animus ſerò, quod didicit diu.
CAB. Equidem ipſe ſenſi, Frater, ut modicam ambiat
Ametque ſortem, dum frui Regno poteſt.

At

At ſi nec illa, quæ premit Regum caput
Pretioſa Cidaris, ſi nec intextis micans
Gemmis & auro purpura, aut molli oſtrepens
Circum ſuſurro blanda adulantum cohors
Abdolominum vicerit: vincet tamen
Ratio ſalutis publicæ, &, tota palam
Quæ ſævit urbe, dira dominandi ſitis.
HEP. Alias & ipſe meditor inſidias viro,
Cabire: quod me Rex Alexander penes
Jus eſſe voluit, id volens totum abdico.
Regem ipſe, me rogante, Sidoniis dabit.
Aulam reviſo: quidquid hìc geſtum rei eſt,
Actutum, Amici, Rex Alexander ſciet.
CAB. Hic animus ultro regias temnens vices
Oculos morari Principis tanti poteſt.
HEP. Sic eſt; nec ipſe, ſpondeo, ut teſtis queat
Videre propiùs cuncta, ſtramineam abnuer
Subire caſulam. * Tu, precor, mihi ſis comes, ** Al Cabirum.*
Cabire: frater hortulum interea petat,
Et, qua valebit arte, conſilium adjuvet.

SCENA II.

DIODAS.

SPes ergo, Dioda, jam tibi nulla eſt ſuper?
Mox ſtabit alius, ſtare quo poteras, gradu.
Heu me! quid egi?... Sed quid egiſſes tamen,
Dum ſibi tibique frater auſterus nimis
Facili patentem clauderet ſolio viam?
Nam cur repugnat? quem ſibi fingit metum?
Scilicet utrique regium non eſt genus?
At utrique mens eſt regia: at ſceptris manum
Natam ferendis gerimus: & ſegnis dies
Abibit? & ſic eripi Regnum ſinam?
Res inſtat. Aliquid ſtatue: fœcundum excute
Partes in omnes pectus. Inſidiæ, doli
Et fas in æquo. Sacra regnandi fames
Generoſa quid non pectora effracto obice
Superare cogat? Unus in votis mora eſt
Abdolominus; unus è Regum domo
Superſtes: illum ſubmove; regnum obtines.
Nec frater ultra renuat oblatum decus.
At ſubmoveri parte qua demum poteſt?
Quis machinandæ fraudis aperitur locus?...
Delata Regni decora non æquis tulit
Animis: ſibique credit illuſum: bene eſt:
Inſtemus illac: credulam mentem dolo

Fallamus: arte ni quid aſtutus mala
Diſſimulat, ultro dabitur inſidiis fides.
* Videt Abdolominum. * En ipſe: patri natus accedit comes;
Abſcondor: animo ſi quid abſtruſum latet,
Rimabor inde meliùs, & fraudem inſtruam.

SCENA III.

ABDOLOMINUS, ELIMUS, DIODAS *abſconditus*.

ELIMUS.

Sic ludimur, mi Genitor; atque umbras leves,
Simulacra ſequimur caſſa, quæ mendax ſopor
Excitat, & orta protinus pellit dies?
ABD. Etiamne inanis, Elime, te ſpecies capit;
Fallaxque nimiùm credulo illudit bonum?
ELIM. Quàm vana fuerint ſomnia eventus probat,
Fruſtraque certa petitur oſtentis fides.
An certiore veritas prodit nota?
Quid adhuc requiris? vel quid incertam tenet
Agitatque mentem cura? Mox ſacrum caput
Corona redimet: purpuræ nitidum decus
Velabit humeros: ſceptra decorabunt manus.
Hæc ſomnus eadem proxima nocte obtulit.
ABD. Hoc credis? *ELIM.* Ecquid credere id prohibet, Pater.
ABD. Quid prohibet? an non cernis illudi patrem,
Ipſumque populo fabulam & ludos dari?
ELIM. Nihil hic peractum ſeriò? illum foret
Mihi tibique? Parce; cur triſti omine
Beata turbas gaudia? Injuſtos metus
Depone: fraudis nulla ſuſpicio impiæ,
Dilecte Genitor, in viros tales cadit.
ABD. Ut gentis hujus indolem noſti parum?
Ah! diſce meliùs, Elime, quam mereant fidem,
Fallacis Aulæ limina & regum domos
Quotquot frequentant: pectoris fraudem impii
Sub fronte blanda tegere: nil verum loqui,
Et eruditum mente meditari nefas,
Ars prima; virtus maxima: huc recidit labor.

SCE-

SCENA IV.

ABDOLOMINUS, ELIMUS, DIODAS *è latebris prodiem.*

DIODAS.

QUò te repente proripis? fruſtra angulos
Rimatus omnes hortuli te quærito.
ABD. Utinam latebras hortus optatas daret!
Vel tegeret aliquis rupis exceſæ cavus!
DIOD. Fruſtra latebras quæris: illuxit dies,
Sidonia qui te ſceptra moderantem manu,
Urbemque totam genibus affuſam tuis
Videbit. *ABD.* Heu! me. *ELIM.* * Nam quid inſidias times? ** Submiſſa voce ad Patrem.*
Aperta loquitur, Genitor. *DIOD.* At ſqualens ſitus,
Nec illa tetræ frontis illuvies placet.
Abſterge ſordes illico & faciem lava:
Cultuque dignum regio vultum indue.
Mox aderit hic, tot ille regnorum potens,
Regumque domitor Rex Alexander, tuo
Inſigne capiti qui manu propria decus
Imponat. *ELIM.* Et nil fingis? *DIOD.* Eventus fidem
Jam faciet. *ELIM.* Atenim, fare, ni durum eſt, precor,
Unde, unde nomen vile & obſcurum patris
Veniſſe Regis auribus tanti poteſt?
DIOD. Nam quid ais? hunc tu vilem & obſcurum vocas,
Quem notum ubique fama virtutis facit?
ELIM. * Etiamne metuis, aut tibi illudi putas, ** Ad Patrem ſubmiſſa voce.*
Dilecte Genitor? *ABD.* a Parce, quid miſerum placet *a Ad Diodam.*
Laceſſere ultra? num mihi illuſum eſt ſatis?
Tractare raſtrum, ſceptra non didicit manus.
Reviſere hortum liceat! heu per vos mihi
Quota pars inanis luce de ſolida perit!
DIOD. Regnare nam cur, dum potes, regnum abjicis?
ABD Regnare non eſt me penes; nec, ſi queam
Regnare, pretio quolibet Regnum velim.
DIOD. Me tanta virtus, tantus exſtimulat pudor;
Confide, Amicum me tibi expertus ſcies.
Paulum at recedat natus; hic abſque arbitris,
Abdolomine, colloqui tecum volo.
ABD. I, perge in hortum, Nate, confeſtim ſequor.
ELIM. * Miſer eſſe mavult, eſſe dum felix poteſt. ** Exiens, ſeorſum.*

SCENA V.

ABDOLOMINUS, DIODAS.

DIODAS.

UT me ille recti cupidus, & ſortis vices
Patiens beatas ſpernere, ac duras pati
Inflexit animus! Vincor; ulteriùs nequit
Celare Diodas, quod tua multùm intereſt
Reſcire, quod latuiſſe damnoſum foret.
ABD. Meritas viciſſim, fateor, haud opis eſt meæ,
Magnanime juvenis, dura nec egeſtas ſinit
Referre grates. Si pios audit Deus,
Abdolominus quas nequit, reddat pares.
DIOD. Curas inanes abjice: hoc demum juvat
Faviſſe miſeris: quod petam, eſt unum tamen:
Implebis? *ABD.* Eheu! quid rogas? potiùs jube:
Nutus ad omnes docilis imperium exequor.
DIOD. Arcana retegam cuncta: Tu, quæ jam eloquar,
Nunquam ut reveles, cauſa quæcumque incidat,
Sponde futurum, & adde juratus fidem.
ABD. Hæc aſtra juro conſcia; & fraudis malæ
Vindex olympo Numen ad ſtygias priùs
Demittat umbras fulmine infidum caput,
Perjura quam quid lingua, quod tacitum voles,
Reſolvat; aut ſi .... *DIOD.* Plura ne incaſſum adjice.
Satis ſuperque eſt. Nunc tibi qualem inſtruant,
Et quas per artes regii Proceres dolum,
Audi; meoque cautus admonitu ſape.
Quod fortè Regnum ſeriò oblatum putes,
Abdolomine; ludus eſt: quia tu probus
Diceris ubique; & ſorte contentus tua
Videris ultro ſpernere inſanas opes;
Gens Aulicorum peſſima inſidias ſtruit.
Sic ipſa ſæpe fama virtutis nocet.
Quin &, nocentes, quos dabunt de te jocos,
Teſtiſque & actor Rex Alexander parat
Spectare: caſulæ tenuis intrantem abdita
Videbis: adeo, levibus in nugis, ſibi
Quandoque vel ſevera Majeſtas placet!
ABD. Non blandientis ſplendidus fati nitor
Perſtrinxit oculos; nec pares ſceptris manus
Unquam ferendis credidi. *DIOD.* Hæc equidem reor.
Tamen inter hoſtes ut ſibi conſtet magis
Afflicta virtus, quid tibi adverſum ingruat,
Volui priùs te ſcire: leviorem ferunt

Per-

Digitized by Google

Præviſa plagam tela. *ABD.* Non flectent opes
Animum labantem, ne time; & noſtrum in caput
Si dura gravius fata minitantur malum,
Feremus. *DIOD.* At ut ſis datæ fidei tenax;
Sacroque, flecti neſcius, ſilentio
Commiſſa taceas: dum tibi impendor, vides
Abdolomine, fata quæ miſerum manent,
Per me retectum ſi quis arcanum ſciat.
Gravis ira Regum eſt: ſic tibi proin conſule
Solers, Amici pariter ut perſtes memor.
ABD. Hanc mitte curam: vive ſecurus mei:
Id ſubticere potero, quod potis es loqui.
DIOD. Recedo; ne quis forſan incautum occupet;
Aut me retuſæ fraudis auctorem arguat.

SCENA VI.

ABDOLOMINUS.

I Nunc, potentum credulam blandis fidem
Adjunge verbis; i, latebras, ſi potes,
Et implicatos cordis ambigui ſinus
Scrutare; quaque latitat, hinc verum erue
Gens plena fuco! num tibi tantum vacat,
Ut amica pacis otia & placidos dies
Exoſa ludis vertere inſanis ames?
Maleſana ſi te copia & honorum fames
Stimulaſſet; eheu! fabulam qualem dabas!
Bene eſt: pericli magna pars retro jacet.
Quodcumque ſupereſt, jam leves affert metus.
Hortum reviſo, dum brevem indulget moram
Gens inquieta, cupidus apponam lucro.

Finis Actus ſecundi.

ACTUS III.

SCENA PRIMA.

ALEXANDER, HEPHÆSTIO, CABIRUS.

HEPHÆSTIO.

EN illa domus eſt: ni tamen vilis caſæ
Subire tectum tanta Majeſtas fugit.
ALEX. Nil piget, Amice; me novum incendit genus

Vir-

Virtutis, ipſa credo terrarum abdita,
Et ſpatia vivis invia attingam lubens,
Monſtrare talem quæ mihi poſſint virum.
Proh! quanta virtus ſpernere oblatas opes,
Regumque fata; queis dare, ut multum velit,
Fortuna majus ipſa non valeat bonum!
Quodcumque narras, ipſe ni teſtis fores,
Quis credat unquam? *HEP.* Quidquid eſt, oculis modo
Propriis tueri dabitur; & tantam indolem
Per te probabis! *ALEX.* At quibus latitat locis?
Vel quò receſſit? *CAB.* Hortulo intentum ſuo
Hominem in propinquo ſolitus agitabit labor:
Aut fortè tenebris abditus lucem timet;
Certus parato cedere imperii gradu.
ALEX. Ubicumque tandem lateat abſtruſus, ſtatim
Hinc eruatur. *HEP.* Perge quamprimum, vide,
Ubi ſit, Cabire. *CAB.* Propero mandata exequi.
At ecce celeri frater huc greſſu ſubit;
Priùſne placeat ſcire, quid portet novi?

SCENA II.

ALEXANDER, HEPHÆSTIO, CABIRUS, DIODAS.

HEPHÆSTIO.

a Ad Cabirum. b Ad Diodam.

a ESto, ut voles; ſubſiſte. *b* Quid porto ſapit
Abdolominus? Fare; viciſti aſperos
Rigidoſque mores? ſpemne jam docilis facit
Animi æquioris, noſtra qui vota impleat,
Regnique ferre pondus oblati velit?
DION. Nil penitus actum eſt: quaslibet me, me ſagax
Converti ad artes: cuncta cecidere irrita,
Dux magne; durus uſque & intractabilis.
Sortem aſperam mutare meliore abnuit.
ALEX. Quid ipſe poſſim, Amice, quid valeam, juvat
Etiam experiri; forſan indomitum hactenus
Flectemus animum. *DIOD.* Sternere aerias ſolo
Turres & arces; oppida in planum dare;
Hoſtes ſuperbos frangere, & domitos jugo
Subjicere populos Rex Alexander poteſt.
Abdolominum, (fallat augurium Deus,
Siniſtrum & omen) forſan intactum volet.
ALEX. Viciſſe ſi non dabitur, haud durum rear,
Hoſtis ubi virtus ſola victorem pati.
Nam quo locorum eſt? *DIOD.* Hortulum attentus fodit,
Rex magne; ni te huc veritus ingreſſum, ſpecu
Latitet ſub alta: natus eſt olli comes;

Et

Et ipſe, qua fas, operis in partem venit.
ALEX. * Unde, unde tandem, tu mihi utrumque ocyùs * Ad Diodam.
Accerſe: latebras excute: omnes angulos
Rimare: * Perge pariter & fratrem adjuva. * Ad Cabirum.
Expecto reduces: fortè ſi faciat moram,
Et adeſſe renuat, cogite invitum ſequi.
CAB. Docilem obſequendi ſpondeo: auſtera eſt quidem,
Et rara virtus hominis, at non eſt tamen
Difficilis aut moroſa.

SCENA III.

ALEXANDER, HEPHÆSTIO.

ALEXANDER.

Quas igitur, precor,
Amice, tantas hortus illecebras habet;
Illo beatus ut ſatis quiſquam putet
Nil invidendas eſſe Regnantum vices?
HEP. Vixiſſe parvo quiſquis aſſuevit diu;
Vel ipſa Regum fata, contentus ſuis,
Spreviſſe potis eſt: cognitum debet priùs
Fuiſſe, cuiquam ſapere quàm valeat bonum.
ALEX. Omitte fragiles dulcis obſequii notas.
Cur invidendum pacis optandæ otium,
Quo placida fruitur vita, nequicquam elevas?
Fatere verum, Amice; qui, miſero procul
Rerum tumultu, ruris innocuas opes
Inter, ſuique juris ac fati arbiter
Decurrit annos, contigit pacis gradum,
Quò nulla Regum fata pertingant. *HEP.* Genus
An pacis iſtud culmine hoc rerum invides,
Rex magne? Pax hæc una Alexandrum decet,
Quam domitus orbis pariat. *ALEX.* Heu! quanto ſtetit,
Stabitque deinceps illa pax! ſi quis tamen
Olim adfuturam ſpondeat talem Deus.
HEP. Hanc ſpondet ingens animus & virtus ſatis.
Sperare quid non ſub duce invicto licet?
ALEX. O utinam! & arcta, poſt tot armorum exitus,
Populos ubique jungat æternùm quies!
HEP. Hæc facere vota potuit, eadem qui poteſt
Implere. *ALEX.* Amicos fata dum tales dabunt;
Audere multa poſſumus, plura exequi:
At nunc videſis, ſtatue, quid agendum putes;
Si mox, prioris uſque propoſiti tenax,
Oblata per me Regna rejicere obſtinet
Abdolominus? *HEP.* Vel reluctanti dabis,

Digitized by Google

Rex magne: Regna digniùs tanto reget,
Quanto illa refugit acriùs. *ALEX.* Ut iſto places,
Amice ſenſu! nil moror; fixum ac ratum eſt,
Quantùm reſiſtat cumque, Sidonios reget
Etiam coactus. O mihi ſe utinam offerant;
Præficere tales uſque quos populis queam!
Proviſa Regi decora? *HEP.* Mox aderunt, quibus,
Servare gazas cura regales fuit;
Cultumque patri debitum & nato ferent.
ALEX. Et ipſe, mores Patris an Natus refert?
HEP. Proles parenti cuncta perſimilis, niſi
Quòd non eodem ſceptra, quo vultu pater,
Reſpexit. *ALEX.* Animus iſte virtutem arguit,
Amice; potuit ſpernere imperium Pater;
Amare Natus debuit. *HEP.* Uterque huc ſubit,
Rex magne.

SCENA IV.

ALEXANDER, HEPHÆSTIO, ABDOLOMINUS, ELIMUS, CABIRUS, DIODAS.

ALEXANDER.

Amicum cur mihi aſpectum eripis,
Abdolomine? dum tui facilem omnibus
Permittis ultro copiam; an ſolus tibi
Inviſus ego ſim? *ABD.* Nempe dum toti parat
Imponere orbi Rex Alexander jugum,
Abdolomini cura properantem tenet?
ALEX. Spectata virtus, orbe vel toto mihi eſt,
Eritque cura gravior. *ABD.* Ecquid, Magne Rex,
Virtutem agreſti quæris abſtruſam caſa,
Dum te fidelis uſque circumſtat comes?
ALEX. Ubicumque degat illa, mercedem exigit:
Rependere meum eſt. Tandiu in tenebris piget
Latuiſſe: merito tempus eſt tandem ut loco
Repoſta niteat. Pulſus è ſolio Strato eſt,
Patriumque moriens ſanguine infecit ſolum.
Tibi hæc reſigno ſceptra: Sidonii cape
Protinus habenas imperi: atque utinam foret
Te digna merces, digna Alexandro magis!
ABD. Haud iſta merui præmia: ac ſi fors queam
Meruiſſe, tales vita non patitur vices.
Verſate glebas hortuli, & ſtudio pari
Purgare vepribus gramen innocuum malis;
Ars illa noſtra eſt: Regna moderari, & grave
Rerum ſubire pondus, hoc humeri abnuunt.

ALEX.

ALEX. Qui grande pondus ſortis adverſæ tulit,
Molem ſecundæ pariter invictus feret.
ABD. Quid iniqua poſſint fata, Rex magne, hactenus
Neſcire licuit: non mihi obſcuros queror
Luxiſſe ſoles; nec, quod infectum velim,
Memini evenire quidpiam: optanti nihil
Nil defuiſſe potuit: hæ facilem manus
Et larga tellus ſemper indulſit cibum.
Cur inquietam ſortis alrerius famem
Vellem experiri? *ALEX.* Ne quid hoc poſitus gradu
Optare poſſis, facere me porro addecet:
Vota antevertam. *ABD.* Plura quo, Princeps, dares;
Hoc plura forſan animus immodicus petat.
Ah! ferre ſi quas licet Alexandro preces;
Permitte, placido paupere in caſula otio,
Cui nil ſecundum Regna contulerint, furar!
ALEX. Fruſtra teſiſtis. *CAB.* En ſuus ſtruitur novo
Regi apparatus.

SCENA V.

ALEXANDER, HEPHÆSTIO, ABDOLOMINUS, ELIMUS, CABIRUS, DIODAS, ADRASTUS, PHILOTAS *cum veſtibus Regiis.*

ALEXANDER.

COmmodùm: accedant prope.
Stratonis iſthæc decora? *ADR.* Purpuream vides
Rigidamque ab auro, ferre quam ſolio ſedens
Tunicam ſolebat: capitis ornatus fuit
Gemmata Cidaris: hoc tulit ſceptrum manus:
Tyriaque ad imos Trabea veniebat pedes.
PHIL. Hoc ſolitus ire regius cultu puer,
Invicte princeps: iſta juveniles comas
Frontemque cinxir caſſis; hæc teneros chlamys
Velavit artus. *ELIM.* *a* Iſta, diſperεam malè,
Ni ſomnianti decora monſtravit ſopor
ABD. Abſiſte. *ALEX.* Puerum veſtibus primùm ſuis
Ornemus. *HEP.* Ades huc Elime. *ELIM.* Si genitor ſinit.
ALEX. Obſequere. *ELIM.* *b* Quid ais? *ABD.* Ah! cave. *HEP.* *c* Quid tu? negas?
ELIM. Minime... *d* at.... *ALEX.* Moras abrumpe. *e* *ABD.* *f* Quò properas? *ELIM.* Pater,
Quid agam? *ABD.* Reſiſte. *ELIM.* Rex Alexander jubet:
Men' pertinacem? *ABD.* Nate, ſi ſcires! *ALEX.* Statim
Viles amictus rapite. *DIOD.* *g* Flectenr & patrem;
Perii! *ELIM.* *h* Valete. *HEP.* *i* Tu, cedo chlamydem. *CAB.* *k* Huc manus

a Ad Patrem voce ſubmiſſa.
b Ad patrem.
c Ad Elimum.
d Verſus ad Patrem.
e Elimus accedit ad Hephæſtionem.
f Ad Elimum.
g Seorſum.
h Veſtes exuens.
i Ad Cabirum.
k Chlamydem Elimo porrigens

Huc

Huc & lacertos inſere. *HEP.* Heu, laxam nimis
Veſtem ante pectus fibulis ſtringe aureis.
a Ad Diodam. *CAB.* a Quid otiare, Frater? in partem veni
Et ipſe pariter operis. *ABD.* b Heu! quales jocos
b Seorſum. Dabimus! *HEP.* Utrumque Zona jam cingat latus.
c Ad Diodam. c Tu dente crines plurimo diſcrimina:
Varioſque in orbes dexter ac cirros age:
Age nunc olenti rore cæſariem irriga
Cyprioſque odores ſparge. *CAB.* Quid cenſes? ſatin,
Rex magne, ſobolis regiæ hic ſpeciem refert?
ALEX. Huc, Elime: capiti propria Alexander manu
Galeam comantem ponet. I nunc, & patri
Te cultu iſto ſiſte. *ELIM.* Veraces Dei!
Parumne, Genitor, habitus hic Natum decet?
Avertis oculos! heu! fugis!.... quis te mihi
Mutavit? Elimum numquid ignoras Pater?
ABD. Elimum meum mihi crede, tu non es meus.
d Ad Alexandrum. *ELIM.* d Vel redde patrem, vel tibi auratos habe
Rex magne, cultus: iſta quantumvis amem,
Queis niteo, decora; diligo patrem magis.
ALEX. Paulum opperire: filium agnoſcet brevi
Ornatu & ipſe regio inſignis parens.
CAB. Age ſis, pudori pone tam rigido modum,
Abdolomine: nemo delatum ſibi
Tenere, dum tu vivis, imperium audeat.
ALEX. Virtutis ergo, generis & dignum inclyti
Capeſſe ſolium. *ABD.* Nempe virtutem dare
Quanquam immerenti qui poteſt; etiam & genus,
Et avos avorum vili & obſcuro dabit?
ALEX. Quod ſit tibi, vel unde deductum genus,
Non me revincam teſte: ſed facient tui,
Quam non recuſes ipſe, populares fidem.
CAB. Quo ſtabis, eodem ſtare potuiſſem loco,
Si ſanguis ille, qui tibi in venas iit,
Idem in Cabiro flueret: antiquum licet
Nomenque grande ſit mihi, & magnis domus
Spectata titulis, regiæ inferior, gradu
Diſſideat uno, regium tamen eſt nefas
Ambire nomen, dum quis è Regum domo
Remanet ſuperſtes. *DIOD.* * Quanta me inviſus pudor
* Seorſum. Miſerum in pericla mittis! *CAB.* Antiquæ exſtitit
Tibi gentis auctor, ille tot Regum ſator
Ithobalus, olim qui Tyri imperio potens
Longos per annos jura Sidoniis dedit.
Illius inde dividuum in ramos genus
Utique populo peperit inſignes viros:
Quibus hac in urbe tandiu imperium fuit;
Terras in iſtas donec Arſacidum irruens

Gens

Gens dira, ferro & facibus imperium occupat
Multaque cæde regiam extinguit domum.
Tuus periclum ſolus evaſit pater:
Obſcura nullos vita ſeu faceret metus,
Meliora ſeu jam fata ſervarent caput,
Talem quod urbi Principem quondam ederet.
ABD. * Quem tam eruditi capere non valeant doli!
ELIM. Mirabar unde ſortem & ætatem ſuper,
Neſcio quid animus ſaperet, atque acres mihi
Stimulos moveret intus! *HEP.* Abſcondi nequit
Sincera virtus nempe, & impatiens premi
Erumpit. *ALEX.* Ultra quid petis? Vultum ablue:
Eoſque cultus ſume, qui Regem decent.
a Vos huc adeſte. *ABD.* Num ſatis ludo datum eſt,
Rex magne? *ALEX.* Quid ais? *ABD.* *b* Fabulæ ſuus hic modus,
Et finis ut ſit, patere. *DIOD.* *c* Quis me jam hinc Deus
Eripiat? *ALEX.* Ergo credis illuſum tibi,
Abdolomine, meque tam levium aucupem
Reputas jocorum? Tu mihi has reddis vices?
Non imputaſſet talem Alexandro notam
Impune quivis alius. At novi indolem
Animumque: nullas hic tibi inſidias time:
Abdolomino dona, non ludos paro.
Cede ergo. *ABD.* Quando ſic jubes. *ALEX.* Regem æquitas
Te, te repoſcit ipſa. *ABD.* Vis dura! *ELIM.* O Pater!
Properate lymphas. Frontem, ut abſtergam, ſine;
Et, qui reſedit ore, ſqualorem abluam.
Jam vilem amictum pone. *ABD.* Dii faxint, precor,
Poſuiſſe nunquam ut pigeat! *d* *DIOD.* *e* Heu me! quo ferar?
ALEX. Ut vel reluctans ipſamet prodit foras
In genua virtus! Regium fruſtra genus
Celabat: oculi, vultus, & frontis decor,
Placidoque ſidens ore majeſtas, ſatis,
Quantum lateret intus ingenium, extulit.
Nunc ut modeſtus nituit in verbis pudor,
Et blanda dictis gratia! Haud ullum hactenus
Victoriarum contigit dulcem magis
Referre fructum. Sorte felices ſua,
Secunda Regem fata queis talem annuunt!
HEP. *f* En prodit: oculis ut novum aſpirat decus!
ALEX. *g* Induere Trabeam. *ABD.* Pondus ò quantum ſubis,
Abdolomine! *ALEX.* Sume regales notas
Sceptrum & coronam. Tota te Regem ſciat
Sidon, ſacrumque prona veneretur caput.
Nec regna ſpatio tam brevi urgeri ſinam.
Quæ poſita circum regio Sidoni adjacet,
Æmathia tellus, Chalcis, & Maſphe, tua eſt.
Adjicio Perſis nuper ereptas opes.

Vive

* *Seorſum.*

a Ad eos qui ferunt veſtes regias.

b Procidit ad pedes Alexandri.

c Seorſum.

d Abit Abdolominus poſt ſiparium ut veſtes mutet.

e Seorſum.

f Abdolominum induens regiis veſtibus ornatum.

g Humeris Abdolomini Trabeam imponit.

Vive & vale; populiſque cum leges dabis,
Eſto prioris uſque virtutis memor.
Abſcedo: vos ò debitam Regi fidem
a Abit Alexander cum Hephaſtione. Jurate, Proceres. a

SCENA ULTIMA.

ABDOLOMINUS, ELIMUS, CABIRUS, DIODAS, ADRASTUS, PHILOTAS.

CABIRUS.

PRimus advolvar pedes,
Et imperantis, patere, ut amplectar manum.
ADR. Rex magne. *PHIL.* Noſtrum pariter obſequium excipe
DIOD. Pudet mei me: genibus affuſum vides;
Nec deprecantem fata, quæ merui, ultima.
Quo me impotentem pepulit! ... *ABD.* Aſſurge, & ſile
Silebo & ipſe, ne time: aſtrinxi fidem.
Meique vel ſi juris exſtiterim, lubens
Oblivione rem premi æternum ſinam.
** Ad Cabirum.* * Ades, & amoris obſidem amplexum cape.
Tibi quanta debeam, & ſcio, & nunquam excidet
Cabire; ſceptra gerere ſi refugis; tamen
Haud Regem amico regere conſilio abnues,
Eamus. *ELIM.* Ultra ſi quis eſt votis locus,
Hæc facite, Superi, propria, atque annos date.

Finis Actus tertii, & ultimi.

RECITS EN MUSIQUE QUI ONT SERVI D'INTERMEDES.

PREMIER INTERMEDE.

ABDOLOMINE

Sage dans le mépris de la Royauté.

ABDOLOMINE.

Le Soleil va bien-toſt achever ſa carriere?
Déja Thétis le reçoit dans ſes eaux:
En attendant qu'il rende au monde la lumiere
Gouſtons un moment de repos.
Et toy, dont la douce influence
Repare des mortels les pénibles travaux;
Sommeil, répans ſur moy tes tranquilles pavots:
Que tout reſſente icy l'effet de ta préſence.

LE SOMMEIL ET LES SONGES.
LE SONGES.

Que tout cede au plaiſir d'une profonde paix:
Loin d'icy, funeſtes allarmes;
Ah! qu'un doux repos a d'attraits!
Ah qu'un doux ſommeil a de charmes!

LE SOMMEIL.

Uniſſez-vous à moy, petits Dieux innocents,
Qu'Abdolomine éprouve noſtre zele:
Par nos tendres accents,
Annonçons l'heureuſe nouvelle,
Qui doit rendre ſa glorie en tous lieux immortelle.

LE SONGES.

Que tout cede au plaiſir d'une profonde paix:
Loin d'icy, funeſtes allarmes;
Ah! qu'un doux repos a d'attraits!
Ah! qu'un doux ſommeil a de charmes;

LE SOMMEIL.

Changeons, changeons ces triſtes lieux
En un palais délicieux.

UN SONGE.

Prince, reçois l'heureux préſage,
Du rang glorieux qui t'eſt dû:
Les Dieux te donnent leur ſuffrage.
En vain voudrois-tu
Refuſer cet avantage;
La Royauté doit eſtre le partage
Du merite & de la vertu.

SECOND COUPLET.

Pour calmer le terrible orage,
Dont ton cœur ſera combattu;
Les Dieux te donnent leur ſuffrage:
En vain voudrois-tu
Refuſer cet avantage;
La Royauté doit eſtre le partage
Du mérite & de la vertu.

UN AUTRE SONGE.

L'éclat d'une Couronne,
A de quoy charmer les eſprits:
Mais ſon plus grand prix.
Vient de la main de celuy qui la donne.

ABDOLOMINE révant.

Me trompez-vous, mes yeux? quelle inviſible main
Vient de faire en ces lieux éclater ſa puiſſance?
J'apperçois d'un Palais la ſuperbe ordonnance:
O Dieux! quel changment ſoudain!
Tout révère icy ma préſence;
Je me vois reveſtu du pouvoir ſouverain:
Un Troſne!... une Couronne!... un Sceptre!... ah! c'eſt en vain
Vouloir contre mon cœur uſer de violence:
O Ciel! prens en main ma déſenſe:
Tu ſçais, ſi pour mon ſort j'eu le moindre dédain:
Aurois-je par un autre offenſe
Mérité ce coup inhumain?

ABDO-

ABDOLOMINE ſe réveile.

Que dis-je? helas! en quel excès de peine
Me jettoit un ſonge facheux!
Retournons au travail: & d'un préſage affreux,
Deliverons mon ame incertaine.

Fin du premier Intermede.

SECOND INTERMEDE.

ABDOLOMINE

Genereux dans le refus de la Royauté.

ABDOLOMINE à ceux qui luy préſentent la Courrone.

AH! laiſſez-moy; ceſſez par des appas trompeurs,
D'interrompre le cours d'un repos plein de charmes:
J'ay veſcu juſqu'icy ſans crainte & ſans allarmes;
Et malgré les triſtes horreurs,
Que répand en ces lieux la fureur de vos armes,
Ja ne ſens rien de vos rigueurs.
Ah! laiſſez-moy: ceſſez par des appas trompeurs,
D'interrompre le cours d'un repos plein de charmes:
Si la Couronne a des douceurs,
Qu'elle y meſle ſouvent de ſoupirs & de pleurs.
Et vous qu'un meſme ſort joint à ma deſtinée,
Tranquilles habitans de ces paſibles lieux:
Dites-nous, troupe fortunée,
Eſt-il rien d'égal ſous les Cieux
A ce séjour délicieux?

UN BERGER.

Toute la parure
Dont brillent les Roys,
Fuſt-elle à mon choix:
J'aime mieux cent fois
La ſimple verdure,
Qui couvre nos bois.

Digitized by Google

SECOND COUPLET.

Quand l'herbe naiſſante,
De mille ornements
A paré nos champs:
Les Palais des Grands
N'ont plus rien qui tente,
Ou charme mes ſens.

UN AUTRE BERGER.

Les Oyſeaux ſous ce verd feüillage,
Sans ceſſe en leur tendre langage
Font dire aux Echos d'alentour:
Loin du bruit, & loin de la Cour,
La paix eſt le partage
De ce charmant ſéjour.

UN TROISIE'ME BERGER.

Tandis qu'au ſon de la muſette,
Nos Bergers uniſſant leur voix,
Préferent la houlette
Au Sceptre des Roys:
Nous voyons du bord des fontaines,
Les troupeaux applaudir à nos plus doux accents:
Et bondiſſant à l'envy dans les plaines,
Partager avec nous nos plaiſirs innocents.

CHOEUR DE BERGERS.

Que ces lieux ont de charmes!
Qu'il eſt doux d'y prendre le frais!
Que ces ruiſſeaux, que ces foreſts,
Loin de la cour & des allarmes,
Nous offerent de riants attraits!

DEUX BERGERS.

Sans craindre l'envie,
Nous paſſons en ces lieux le plus beau de la vie:
Il n'eſt point de moments ſi doux,
Qui ne le ſoient moins que les noſtres:
La Gloire eſt pour les autres,
Les plaiſirs innocents ne ſont faits que pour nous.

CHOEUR

CHOEUR DE BERGERS.

La Glorie eſt pour les autres,
Les plaiſirs innocents ne ſont faits que pour nous.

ABDOLOMINE à ceux qui luy préſentent la Couronne.

Allez, allez, retirez-vous;
Vos deſirs ne ſont point d'accord avec les noſtres:
La Glorie eſt pour les autres,
Les plaiſirs innocents ne ſont faits que pour nous.

CHOEUR DE BERGERS.

Que ces lieux ont de charmes!
Qu'il eſt doux d'y prendre le frais!
Que ces ruiſſeaux, que ces foreſts,
Loin de la Cour & des allarmes,
Nous offrent de riants attraits!

Fin du ſecond Intermede.

TROISIÈME INTERMEDE.

ABDOLOMINE

Deſintereſſé dans l'acceptation de la Royauté.

ABDOLOMINE.

JE cède enfin, il faut ſe rendre:
Il n'eſt plus temps de s'en défendre.
Arbitre ſouverain des loys,
O Ciel! je ſouſcris à tes loys.
Mais ſi pour t'obéir je me fais violence,
Ecoute au moins le premier de mes vœux:
Que les peuples ſouſmis à mon abéiſſance,
Jouiſſent deſormais d'un deſtin plus heureux!
J'attends cette faveurs, ô Ciel! de ta clemence.
Nos deſirs ſeront ſatisfaits:
Oublions pour jamais,
Les maux cruels que nous a fait la guerre;
Gouſtons les douceurs de la Paix.
Pleûſt aux Dieux que toute la terre
Se reſſentiſt de nos bienfaits!

Rex magne: Regna digniùs tanto reget;
Quantò illa refugit acriùs. *ALEX.* Ut iſto places,
Amice ſenſu! nil moror; fixum ac ratum eſt,
Quantùm reſiſtat cumque, Sidonios reget
Etiam coactus. O mihi ſe utinam offerant;
Præficere tales uſque quos populis queam!
Proviſa Regi decora? *HEP.* Mox aderunt, quibus,
Servare gazas cura regales fuit;
Cultumque patri debitum & nato ferent.
ALEX. Et ipſe, mores Patris an Natus refert?
HEP. Proles parenti cuncta perſimilis, niſi
Quòd non eodem ſceptra, quo vultu pater,
Reſpexit. *ALEX.* Animus iſte virtutem arguit,
Amice; potuit ſpernere imperium Pater;
Amare Natus debuit. *HEP.* Uterque huc ſubit,
Rex magne.

SCENA IV.

ALEXANDER, HEPHÆSTIO, ABDOLOMINUS, ELIMUS, CABIRUS, DIODAS.

ALEXANDER.

AMicum cur mihi aſpectum eripis,
Abdolomine? dum tui facilem omnibus
Permittis ultro copiam; an ſolus tibi
Inviſus ego ſim? *ABD.* Nempe dum toti parat
Imponere orbi Rex Alexander jugum,
Abdolomini cura properantem tenet?
ALEX. Spectata virtus, orbe vel toto mihi eſt,
Eritque cura gravior. *ABD.* Ecquid, Magne Rex,
Virtutem agreſti quæris abſtruſam caſa,
Dum te fidelis uſque circumſtat comes?
ALEX. Ubicumque degat illa, mercedem exigit:
Rependere meum eſt. Tandiu in tenebris piget
Latuiſſe: merito tempus eſt tandem ut loco
Repoſta niteat. Pulſus è ſolio Strato eſt,
Patriumque moriens ſanguine infecit ſolum.
Tibi hæc reſigno ſceptra: Sidonii cape
Protinus habenas imperi: atque utinam foret
Te digna merces, digna Alexandro magis!
ABD. Haud iſta merui præmia: ac ſi ſors queam
Meruiſſe, tales vita non patitur vices.
Verſate glebas hortuli, & ſtudio pari
Purgare vepribus gramen innocuum malis;
Ars illa noſtra eſt: Regna moderari, & grave
Rerum ſubire pondus, hoc humeri abnuunt.

ALEX.

Digitized by Google

ALEX. Qui grande pondus ſortis adverſæ tulit,
Molem ſecundæ pariter invictus feret.
ABD. Quid iniqua poſſint fata, Rex magne, hactenus
Neſcire licuit: non mihi obſcuros queror
Luxiſſe ſoles; nec, quod infectum velim,
Memini evenire quidpiam: optanti nihil
Nil defuiſſe potuit: hæ facilem manus
Et larga tellus ſemper indulſit cibum.
Cur inquietam ſortis alterius famem
Vellem experiri? *ALEX.* Ne quid hoc poſitus gradu
Optare poſſis, facere me porro addecet:
Vota antevertam. *ABD.* Plura quo, Princeps, dares;
Hoc plura forſan animus immodicus petat.
Ah! ferre ſi quas licet Alexandro preces;
Permitte, placido paupere in caſula otio,
Cui nil ſecundum Regna contulerint, ſurar!
ALEX. Fruſtra reſiſtis. *CAB.* En ſuus ſtruitur novo
Regi apparatus.

SCENA V.

ALEXANDER, HEPHÆSTIO, ABDOLOMINUS, ELIMUS, CABIRUS, DIODAS, ADRASTUS, PHILOTAS *cum veſtibus Regiis.*

ALEXANDER.

Commodùm: accedant prope.
Stratonis iſthæc decora? *ADR.* Purpuream vides
Rigidamque ab auro, ferre quam ſolio ſedens
Tunicam ſolebat: capitis ornatus fuit
Gemmata Cidaris: hoc tulit ſceptrum manus:
Tyriaque ad imos Trabea veniebat pedes.
PHIL. Hoc ſolitus ire regius cultu puer,
Invicte princeps: iſta juveniles comas
Frontemque cinxit caſſis; hæc teneros chlamys
Velavit artus. *ELIM.* *a* Iſta, diſperea male,
Ni ſomnianti decora monſtravit ſopor
ABD. Abſiſte. *ALEX.* Puerum veſtibus primùm ſuis
Ornemus. *HEP.* Ades huc Elime. *ELIM.* Si genitor ſinit.
ALEX. Obſequere. *ELIM.* *b* Quid ais? *ABD.* Ah! cave. *HEP.* *c* Quid tu? negas?
ELIM. Minime... *d* at.... *ALEX.* Moras abrumpe. *e* *ABD.* *f* Quò properas? *ELIM.* Pater,
Quid agam? *ABD.* Reſiſte. *ELIM.* Rex Alexander jubet:
Men' pertinacem? *ABD.* Nate, ſi ſcires! *ALEX.* Statim
Viles amictus rapite. *DIOD.* *g* Flectent & patrem;
Perii! *ELIM.* *h* Valete. *HEP.* *i* Tu, cedo chlamydem. *CAB.* *k* Huc manus

a Ad Patrem voce ſubmiſſa. b Ad Patrem. c Ad Elimum. d Verſus ad Patrem. e Elimus accedit ad Hephæſtionem. f Ad Elimum. g Seorſum. h Veſtes exuit. i Ad Cabirum. k Chlamydem Elimo porrigens.

Huc

Huc & lacertos inſere. *HEP.* Hem, laxam nimis
Veſtem ante pectus fibulis ſtringe aureis.
a Ad Diodam. *CAB.* *a* Quid otiare, Frater? in partem veni
Et ipſe pariter operis. *ABD.* *b* Heu! quales jocos
b Seorſum. Dabimus! *HEP.* Utrumque Zona jam cingat latus.
c Ad Diadam. *c* Tu dente crines plurimo diſcrimina:
Varioſque in orbes dexter ac cinnos age:
Age nunc olenti rore cæſariem irriga
Cyprioſque odores ſparge. *CAB.* Quid cenſes? ſatin,
Rex magne, ſobolis regiæ hic ſpeciem refert?
ALEX. Huc, Elime: capiti propria Alexander manu
Galeam comantem ponet. I nunc, & patri
Te cultu iſto ſiſte. *ELIM.* Veraces Dei!
Parumne, Genitor, habitus hic Natum decet?
Avertis oculos! heu! fugis!.... quis te mihi
Mutavit? Elimum numquid ignoras Pater?
ABD. Elimum meum mihi crede, tu non es meus.
d Ad Alexandrum. *ELIM.* *d* Vel redde patrem, vel tibi auratos habe
Rex magne, cultus: iſta quantumvis amem,
Queis niteo, decora; diligo patrem magis.
ALEX. Paulum opperire: filium agnoſcet brevi
Ornatu & ipſe regio inſignis parens.
CAB. Age ſis, pudori pone tam rigido modum,
Abdolomine: nemo delatum ſibi
Tenere, dum tu vivis, imperium audeat.
ALEX. Virtutis ergo, generis & dignum inclyti
Capeſſe ſolium. *ABD.* Nempe virtutem dare
Quanquam immerenti qui poteſt; etiam & genus,
Et avos avorum vili & obſcuro dabit?
ALEX. Quod ſit tibi, vel unde deductum genus,
Non me revincam teſte: ſed facient tui,
Quam non recuſes ipſe, populares fidem.
CAB. Quo ſtabis, eodem ſtate potuiſſem loco,
Si ſanguis ille, qui tibi in venas iit,
Idem in Cabiro flueret: antiquum licet
Nomenque grande ſit mihi, & magnis domus
Spectata titulis, regiæ inferior, gradu
Diſſideat uno, regium tamen eſt nefas
Ambire nomen, dum quis è Regum domo
Remanet ſuperſtes. *DIOD.* * Quanta me inviſus pudor
* Seorſum. Miſerum in pericla mittis! *CAB.* Antiquæ exſtitit
Tibi gentis auctor, ille tot Regum ſator
Ithobalus, olim qui Tyri imperio potens
Longos per annos jura Sidoniis dedit.
Illius inde dividuum in ramos genus
Utrique populo peperit inſignes viros:
Quibus hac in urbe tandiu imperium fuit;
Terras in iſtas donec Arſacidum irruens

Gens

Digitized by Google

Gens dira, ferro & facibus imperium occupat
Multaque cæde regiam extinguit domum.
Tuus periclum ſolus evaſit pater:
Obſcura nullos vita ſeu faceret metus,
Meliora ſeu jam fata ſervarent caput,
Talem quod urbi Principem quondam ederet.
ABD. * Quem tam eruditi capere non valeant doli!
ELIM. Mirabar unde ſortem & ætatem ſuper,
Neſcio quid animus ſaperet, atque acres mihi
Stimulos moveret intus! *HEP.* Abſcondi nequit
Sincera virtus nempe, & impatiens premi
Erumpit. *ALEX.* Ultra quid petis? Vultum ablue:
Eoſque cultus ſume, qui Regem decent.
a Vos huc adeſte. *ABD.* Num ſatis ludo datum eſt,
Rex magne? *ALEX.* Quid ais? *ABD.* *b* Fabulæ ſuus hic modus,
Et finis ut ſit, patere. *DIOD.* *c* Quis me jam hinc Deus
Eripiat? *ALEX.* Ergo credis illuſum tibi,
Abdolomine, meque tam levium aucupem
Reputas jocorum? Tu mihi has reddis vices?
Non imputaſſet talem Alexandro notam
Impune quivis alius. At novi indolem
Animumque: nullas hic tibi inſidias time:
Abdolomino dona, non ludos paro.
Cede ergo. *ABD.* Quando ſic jubes. *ALEX.* Regem æquitas
Te, te repoſcit ipſa. *ABD.* Vis dura! *ELIM.* O Pater!
Properate lymphas. Frontem, ut abſtergam, ſine;
Et, qui reſedit ore, ſqualorem abluam.
Jam vilem amictum pone. *ABD.* Dii faxint, precor,
Poſuiſſe nunquam ut pigeat! *d* *DIOD.* *e* Heu me! quo ferar?
ALEX. Ut vel reluctans ipſamet prodit foras
In genua virtus! Regium fruſtra genus
Celabat: oculi, vultus, & frontis decor,
Placidoque ſidens ore majeſtas, ſatis,
Quantum lateret intus ingenium, extulit.
Nunc ut modeſtus nituit in verbis pudor,
Et blanda dictis gratia! Haud ullum hactenus
Victoriarum contigit dulcem magis
Referre fructum. Sorte felices ſua,
Secunda Regem fata queis talem annuunt!
HEP. *f* En prodit: oculis ut novum aſpirat decus!
ALEX. *g* Induere Trabeam. *ABD.* Pondus ò quantum ſubis,
Abdolomine! *ALEX.* Sume regales notas
Sceptrum & coronam. Tota te Regem ſciat
Sidon, ſacrumque prona veneretur caput.
Nec regna ſpatio tam brevi urgeri ſinam.
Quæ poſita circum regio Sidoni adjacet,
Æmathia tellus, Chalcis, & Maſphe, tua eſt.
Adjicio Perſis nuper ereptas opes.

* *Seorſum.*

a *Ad eos qui ferunt veſtes regias.*

b *Procidit ad pedes Alexandri.*

c *Seorſum.*

d *Abit Abdolominus poſt ſiparium ut veſtes mutet.*

e *Seorſum.*

f *Abdolominum intuens regiis veſtibus ornatum.*

g *Humeris Abdolomini Trabeam imponit.*

Vive

Vive & vale; populiſque cum leges dabis,
Eſto prioris uſque virtutis memor.
Abſcedo: vos ò debitam Regi fidem
Jurate, Proceres. *a*

a Abit Alexander cum Hephaſtione.

SCENA ULTIMA.

ABDOLOMINUS, ELIMUS, CABIRUS, DIODAS, ADRASTUS, PHILOTAS.

CABIRUS.

PRimus advolvar pedes,
Et imperantis, patere, ut amplectar manum.
ADR. Rex magne. *PHIL.* Noſtrum pariter obſequium excipe
DIOD. Pudet mei me: genibus affuſum vides;
Nec deprecantem fata, quæ merui, ultima.
Quo me impotentem pepulit! ... *ABD.* Aſſurge, & ſile
Silebo & ipſe, ne time: aſtrinxi fidem.
Meique vel ſi juris exſtiterim, lubens
Oblivione rem premi æternum ſinam.
* Ades, & amoris obſidem amplexum cape.
Tibi quanta debeam, & ſcio, & nunquam excidet
Cabire; ſceptra gerere ſi refugis; tamen
Haud Regem amico regere conſilio abnues,
Eamus. *ELIM.* Ultra ſi quis eſt votis locus,
Hæc facite, Superi, propria, atque annos date.

* *Ad Cabirum.*

Finis Actus tertii, & ultimi.

RE-

RECITS EN MUSIQUE
QUI ONT SERVI D'INTERMEDES.

PREMIER INTERMEDE.
ABDOLOMINE
Sage dans le mépris de la Royauté.

ABDOLOMINE.

LE Soleil va bien-toſt achever ſa carriere?
Déja Thètis le reçoit dans ſes eaux:
En attendant qu'il rende au monde la lumiere
Gouſtons un moment de repos.
Et toy, dont la douce influence
Repare des mortels les pénibles travaux;
Sommeil, répans ſur moy tes tranquilles pavots:
Que tout reſſente icy l'effet de ta préſence.

LE SOMMEIL ET LES SONGES.
LE SONGES.

Que tout cede au plaiſir d'une profonde paix:
Loin d'icy, funeſtes allarmes;
Ah! qu'un doux repos a d'attraits!
Ah qu'un doux ſommeil a de charmes!

LE SOMMEIL.

Uniſſez-vous à moy, petits Dieux innocents,
Qu'Abdolomine éprouve noſtre zele:
Par nos tendres accents,
Annonçons l'heureuſe nouvelle,
Qui doit rendre ſa gloire en tous lieux immortelle.

LE SONGES.

Que tout cede au plaiſir d'une profonde paix:
Loin d'icy, funeſtes allarmes;
Ah! qu'un doux repos a d'attraits!
Ah! qu'un doux ſommeil a de charmes;

LE SOMMEIL.

Changeons, changeons ces triſtes lieux
En un palais délicieux.

UN SONGE.

Prince, reçois l'heureux préſage,
Du rang glorieux qui t'eſt deû:
Les Dieux te donnent leur ſuffrage.
En vain voudrois-tu
Refuſer cet avantage;
La Royauté doit eſtre le partage
Du merite & de la vertu.

SECOND COUPLET.

Pour calmer le terrible orage,
Dont ton cœur ſera combattu;
Les Dieux te donnent leur ſuffrage:
En vain voudrois-tu
Refuſer cet avantage;
La Royauté doit eſtre le partage
Du mérite & de la vertu.

UN AUTRE SONGE.

L'éclat d'une Couronne,
A de quoy charmer les eſprits:
Mais ſon plus grand prix.
Vient de la main de celuy qui la donne.

ABDOLOMINE révant.

Me tompez-vous, mes yeux? quelle inviſible main
Vient de faire en ces lieux éclater ſa puiſſance?
J'apperçois d'un Palais la ſuperbe ordonnance:
O Dieux! quel changment ſoudain!
Tout révère icy ma préſence;
Je me vois reveſtu du pouvoir ſouverain:
Un Troſne!... une Couronne!... un Sceptre!... ah! c'eſt en vain
Vouloir contre mon cœur uſer de violence:
O Ciel! prens en main ma défenſe:
Tu ſçais, ſi pour mon ſort j'eu le moindre dédain:
Aurois-je par un autre offenſe
Morité ce coup inhumain?

ABDO-

ABDOLOMINE ſe réveile.

Que dis-je? helas! en quel excès de peine
Me jettoit un ſonge facheux!
Retournons au travail: & d'un preſſage affreux,
Deliverons mon ame incertaine.

Fin du premier Intermede.

SECOND INTERMEDE.

ABDOLOMINE

Genereux dans le refus de la Royauté.

ABDOLOMINE à ceux qui luy préſentent la Couronne.

AH! laiſſez-moy; ceſſez par des appas trompeurs,
D'interrompre le cours d'un repos plein de charmes:
J'ay veſcu juſqu'icy ſans crainte & ſans allarmes;
Et malgré les triſtes horreurs,
Que répand en ces lieux la fureur de vos armes,
Ja ne ſens rien de vos rigueurs.
Ah! laiſſez-moy: ceſſez par des appas trompeurs,
D'interrompre le cours d'un repos plein de charmes:
Si la Couronne a des douceurs,
Qu'elle y meſle ſouvent de ſoupirs & de pleurs.
Et vous qu'un meſme ſort joint à ma deſtinée,
Tranquilles habitans de ces paſibles lieux:
Dites-nous, troupe fortunée,
Eſt-il rien d'égal ſous les Cieux
A ce séjour délicieux?

UN BERGER.

Toute la parure
Dont brillent les Roys,
Fuſt-elle à mon choix:
J'aime mieux cent fois
La ſimple verdure,
Qui couvre nos bois.

Digitized by Google

SECOND COUPLET.

Quand l'herbe naiſſante,
De mille ornements
A paré nos champs:
Les Palais des Grands
N'ont plus rien qui tente,
Ou charme mes ſens.

UN AUTRE BERGER.

Las Oyſeaux ſous ce verd feüillage,
Sans ceſſe en leur tendre langage
Font dire aux Echos d'alentour:
Loin du bruit, & loin de la Cour,
La paix eſt le partage
De ce charmant ſéjour.

UN TROISIE'ME BERGER.

Tandis qu'au ſon de la muſette,
Nos Bergers uniſſant leur voix,
Préferent la houlette
Au Sceptre des Roys:
Nous voyons du bord des fontaines,
Les troupeaux applaudir a nos plus doux accents:
Et bondiſſant à l'envy dans les plaines,
Partager avec nous nos plaiſirs innocents.

CHOEUR DE BERGERS.

Que ces lieux ont de charmes!
Qu'il eſt doux d'y prendre le frais!
Que ces ruiſſeaux, que ces foreſts,
Loin de la cour & des allarmes,
Nous offerent de riants attraits!

DEUX BERGERS.

Sans craindre l'envie,
Nous paſſons en ces lieux le plus beau de la vie:
Il n'eſt point de moments ſi doux,
Qui ne le ſoient moins que les noſtres:
La Gloire eſt pour les autres,
Les plaiſirs innocents ne ſont faits que pour nous.

CHOEUR

CHOEUR DE BERGERS.

La Glorie eſt pour les autres,
Les plaiſirs innocents ne ſont faits que pour nous.

ABDOLOMINE à ceux qui luy préſentent la Couronne.

Allez, allez, retirez-vous;
Vos deſirs ne ſont point d'accord avec les noſtres:
La Glorie eſt pour les autres,
Les plaiſirs innocents ne ſont faits que pour nous.

CHOEUR DE BERGERS.

Que ces lieux ont de charmes!
Qu'il eſt doux d'y prendre le frais!
Que ces ruiſſeaux, que ces foreſts,
Loin de la Cour & des allarmes,
Nous offrent de riants attraits!

Fin du ſecond Intermede.

TROISIÈME INTERMEDE.

ABDOLOMINE

Deſintereſsé dans l'acceptation de la Royauté.

ABDOLOMINE.

JE cède enfin, il faut ſe rendre:
Il n'eſt plus temps de s'en défendre.
Arbitre ſouverain des loys,
O Ciel! je ſouſcris à tes loys.
Mais ſi pour t'obéir je me fais violence,
Ecoute au moins le premier de mes vœux:
Que les peuples ſouſmis à mon obéiſſance,
Jouiſſent deſormais d'un deſtin plus heureux!
J'attends cette faveurs, ô Ciel! de ta clemence.
Nos deſirs ſeront ſatisfaits:
Oublions pour jamais,
Les maux cruels que nous a fait la guerre;
Gouſtons les douceurs de la Paix.
Pleûſt aux Dieux que toute la terre
Se reſſentiſt de nos bienfaits!

CHOEUR DES SIDONIENS.

Oublions pour jamais.
Les maux cruels que nous a fait la guerre.
Gouſtons les douceurs de la Paix.

UN SIDONIEN.

Ne craignons plus les armes;
Ne verſons plus de larmes;
Nos maux ſont finis pour jamais.
Que la Paix a d'attraits,
Après les allarmes!
Que la Paix a d'attraits,
Après de longs ſouhaits!

UN AUTRE SIDONIEN.

Chantons, chantons la gloire,
Du Prince qui comble nos vœux:
La plus belle victoire
Ne pouvoit pas nous rendre plus heureux.

UN TROISE'ME SIDONIEN.

Ne ceſſons point de dire,
Sous ſon empire,
On n'a que de beaux jours:
Craignons qu'ils ſoient trop courts.
Le plaiſir qu'il inſpire,
N'expoſe point à de faſcheux retours.
On n'a que de beaux jours
Sous ſon empire:
Heureux ſi c'eſtoit pour toûjours!

LES TROIS SIDONIENS.

Ne ceſſons point de dire,
Sous ſon empire,
On n'a que de beaux jours:
Craignons qu'ils ſoient trop courts.

CHOEUR DE SIDONIENS.

Publions, s'il ſe peut, ſur la terre & ſur l'onde,
Que ce Prince a ſçeû nous charmer:
Quand on eſt le maiſtre du monde,
Qu'il eſt beau de s'en faire aimer!

Fin du troiſiéme & dernier Intermede.

CU-

CURIOSITAS MULCTATA,

SEU

GYGIS ANNULUS.

DRAMA.

DATUM LUDIS PRIORIBUS.

ANNO M.DCXCVI.

ARGUMENTUM.

GYges è Paſtore regio Miles, è Milite Rex Lydiæ Candaulis nece factus Smyrnæ ac Mileto Bellum indixit. *Herodotus libr. 1. Hiſtor.*

Refert ex Platone Cicero *libr. 3. Officiorum* fuiſſe Gygi aureum Annulum cujus erat ea vis, ut, cum palam ejus annuli ad palmam converterat, à nullo videretur, ipſe autem omnia videret; idem rurſus videretur, cum in lucem Annulum inverterat,

Hoc unum ſectati ſumus in adornanda Gygis Fabula, ut inſanæ Curioſitatis periculum exhiberemus. Enim verò Gygem fingimus, dum Annuli ſui beneficio ſic utitur, ut nulli viſus hominum de ſe rumores ſermoneſque expiſcetur, diſceret plurima, quæ, nec ignorare nocuiſſet ipſi quidquam, nec reſcire, niſi dolore ſuo, contingeret. Addimus eum fuiſſe fabulæ hujus exitum, ut Gyges rupto coram omnibus Annulo, cujus virtus omnis deperibat, cum ſemel diſrumperetur, inutilis pariter ac damnoſæ artis uſum ſibi in omne tempus interdiceret.

Hic ego fateri non dubitem, Fabulam, iſtam, dum ageretur, collaboraſſe incommodo, ut ſpectatorum animi, quantumvis de Annuli virtute admoniti ægre ſibi fingerent, Gygem Annuli ſui beneficio minimè ab iis videri, qui prodirent in ſcenam: quem ſuis ipſi oculis uſurparent. Non erit, uti confido, par difficultas legentibus, qui commonentur ſedulò, quotieſcumque Gyges Actorum aſpectu ſubtrahitur.

Digitized by Google

ACTORES.

GYGES, Rex Lydiæ.

ARDIS, Gygis Filius.

SINAUS, Regni adminiſter.

MYSUS, Regi gratioſus.

AMISON,
BADESSUS, } Aulici.
ASCALUS,

ALIDAS, Poeta.

MYLASSUS, Smyrnenſis Legatus.

ALIATTES, Legatus Mileſus.

MEANDER, } Ruſtici.
LYDUS,

Scena in Palatio Lydorum Regis.

CURIO

Digitized by Google

CURIOSITAS MULCTATA,

SEU

GYGIS ANNULUS.

DRAMA.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

GYGES, MYSUS.

GYGES.

ABſiſte, inanem, Myſe, ne opponas moram.
Experiar ipſe, nuda quantùm veritas
Malè blandientum mollibus diſtet ſonis.
MYS. Hæc te remordet cura? dum patiens jugo
Flectique docilis Lydia incurvat caput;
Levis aura populi nempe regnantem movet?
Quin læta potiùs fata, lucro, dum licet,
Apponis? *GYG.* At queis Lydia intruſum videt
Oculis Tyrannum? mente qua Gygem ferunt
Populi imperantem; cujus obſcurum genus
Dudum inter humiles latuit agreſtum caſas?
Fatere verum, Myſe; quam cuncti efferunt
Da, precor, & ipſe candidam experiar fidem.
MYS. Cui ſacra Divum numina imperium aſſerunt;
Phœbique ſortes Delphici ex adytis favent:
Hunc populus ægre ſcilicet Regem ferat?
Ne metue, Princeps; non genus Regem facit:
Sed animus, & mens regia. Eſt virtus tibi;
Eſt in gerendis rebus ingenium ſagax,
Generiſque damnum ſancta quæ penſet fides.
GYG. Vox blandientis illa, non Myſi eſt. *MYS.* Mea eſt,
Rex magne, vox & omnium; queis æquitas
Pietaſque cordi eſt. *GYG.* Pectus incenſum, magis
Magiſque ſtimulas; populi ut arcanos velim
Noviſſe ſenſus: Myſe, jam quo ſim hìc loco,
De me quid Aula jactet, aut populus ſerat,
Reſcire dabitur. *MYS.* Ardui plenum eſt opus

Digitized by Google

Laboris, imos cordis abſtruſi ſinus
Pervadere. *GYG.* Imò; facilis hic fuerit labor.
Confide: certum quem ſequar, novi modum.
At te quid ultra conſcium arcani moror
Adhibere? mitis quem mihi dudum indoles
Experſque fuci candor acceptum facit?
MYS. O me beatum! ſumma votorum hæc foret,
Cumuluſque ſortis ille, ſi meritus vices
Tales fuiſſem! *GYG.* Bellè, & hic animus placet.
Arcana refero cuncta: quid poſſim, accipe.
Noſter per iſta, Myſe, præludet favor.
MYS. Adſum obſequendi cupidus. *GYG.* Hanc gemmam vides,
Quam læva geſtat aureo inſertam annulo?
MYS. Pretioſa ſane gemma! *GYG.* Quòd regno fruor,
Amice, pretium eſt Annuli; hic vilem caſam
Mutare ſolio potuit, & ſceptro pedum.
MYS. Hoc eſſe nam quis credat, aut factum autumet?
GYG. Et noſter alias Annulus dotes habet.
MYS. Quid præſtet ille melius? *GYG.* Ut, quoties velim,
Abeſſe videar longiùs, cum ſim prope;
Viſuſque nulli cernere ut poſſim omnia.
MYS. Portenta loqueris. *GYG.* Quidquid eſt noris modò.
Nunc innocentes diſce quos mediter dolos.
Huc Urbe ab omni multiplex hominum genus
Totis diebus fluere certatim ſolet:
Seu quam requirant rebus afflictis opem,
Seu demereri Principem obſequiis ament.
Adero ipſe: ſed me nemo præſentem ut ſciat;
Vel ſi videndum memet obtulerim, brevem
Abire ſimulans poſt moram; hic præſens tamen
Perſtabo. Varios interim de me hauriam
Senſus, meuſque compotem voti Annulus
Sic faciet. *MYS.* At quid, obſecro, noſſe id juvat?
Quid promovebis? Nemo regnanti officit;
Aut læta turbat gaudia; obſequium, fidem,
Studiumque populus, quà poteſt, ultro exhibet.
Hoc fruere, Princeps, fortè ſpe ſi quid tua
Deterius aures læſerit. (Nam quis putet
Malè feriatum nemini in populo caput?)
Tibi quanta ſurget inde curarum ſeges!
Ut livor, odium, ſuſpicax falsò metus,
Et ultionis ira quæ neſcit modum,
Partes in omnes pectus incenſum trahent!
GYG. Cur iſta memoras? nulla vindictæ quatit
Mentem libido. Regiam aſtringo fidem:
Quodcumque noſtris auribus rerum inſonet,
Patiar inultum. Da, precor, ut animum expleam,
Brevemque lucis hujus uſuram annue.

MYS.

MYS. Regnas: meum eſt parere. *GYG*. Jam mentem adjice,
Coram, Annulus quid poſſit, expertum dabo.
En adſum: & hic me, Myſe, præſentem vides?
MYS. Omnino. *GYG*. Et iſtam pariter obverſam tibi
Gemmam intueris. *MYS*. Prorſus. *GYG*. Hæc eadem retro
Converſa me reſpiciat; extemplo, leves
Seu fugit in auras fumus, ex oculis ferar. *
Hem, quid ais? *MYS*. Animum ſubitus invaſit ſtupor.
GYG. An non abeſſe crederes? *MYS*. Sanè. *GYG*. Tamen
Adſum: loquentem audis, & attrectans potes
Etiam experiri. *MYS*. Sentio: vimque Annuli
Magis magiſque miror. *GYG*. * En reddor tibi
Rurſum videndus, & ſuum gemmam in locum
Reſtituo. Jam me cernis? *MYS*. Haud quidquam eſt ſuper,
Rex magne, vultus quod mihi eripiat tuos.
GYG. Nunc ergo, qua tu poteris, in partem veni
Mecum laboris; quiſquis occurret, virum
Scrutare; de me plurimus ſermo incidat.
Te nulla mecum huc uſque ſuſpectum facit
Neceſſitudo? conditos nemo abnuet
Reſerare ſenſus .... Aliquis huc portat gradum
Huic te relinquo: perage mandatum: interim
Abdar, meoque memet involvam Annulo.

** Obvertit Annulum nec videtur a Myſo amplius.*

** Reſtituit Annulum in lucem.*

SCENA II.

MYSUS, BADESSUS, GYGES *vi Annuli occultus.*

BADESSUS.

* O Dura fata! ſortis ò durum meæ
Triſtemque caſum! ſic mihi illudi ſinam?
Hoc patiar? iſto nempe compoſitus viro,
Hac fæce plebis, lite conciderim?... pudet ...
MYS. Badeſſe, quid id eſt? ſiſte, quò præceps ruis?
Quis efferatam concitat mentem dolor?
BAD. Permitte mihimet .... *MYS*. Imò, da ſpatium breve;
Dum tumida cedat ira, placetur furor.
BAD. Fruſtra es; moram non patior, ad Regem advolo ....
Quò ſe recepit, fare? *MYS*. Non procul hinc reor.
BAD. Quid agitat? *MYS*. Id me porro, quod quæris, latet.
BAD. At otioſam cur mihi vitam trahit;
Dum ſumma rerum Lydiæ indignos penes
Geritur miniſtros? propria flectat manu
Imperii habenas, ſi poteſt: ſi non poteſt;
Tractare ſceptra parcat; & cedens loco,
Procul in priorem remeet obſcurus caſam.
MYS. Sic te repulſæ mutet impatiens pudor?

** Neminem intuens.*

Nam

Nam quò obſequendi cupidus & plenus fide
Animus receſſit? *BAD.* Turpis obſequii piget:
Et abominandum fugio adulantum genus.
MYS. Meliora ſapiet fortè placatus dolor.
BAD. Quod ſapere pridem decuit, id ſapiet diù.
MYS. Iſthæc, Badeſſe, vereor ut cuiquam approbes.
BAD. Erras: eoſdem præſto qui ſenſus probent,
Eadem & loquantur: interim dignum optimo
* *Abit.* Regi Patronum gratulor. * *MYS.* Superi!

SCENA III.

MYSUS, GYGES.

GYGES.

Vides;
Falſum ominabar? temere ſuſpectam argui
Malè blandientis Aulicæ gentis fidem?
MYS. Ten' iſta moveant? nempe ſincerum putas,
Quod cœca loquitur ira, vel demens dolor?
Animi impotentis ipſe præcipitem impetum,
(Acer recentis ſtimulus offenſæ ſinat,)
Damnaret hominis fervidam novi indolem.
Ut intumeſcit illa, ſic eadem brevi
Reſidit. *GYG.* At non unus hæc de me imbibit.
Socios furoris ille, ſi verum occinat,
Multos paravit. *MYS.* Pone ſollicitos metus;
Quemcumque pravus error in præceps rapit,
Plures eodem qui ruant, demens putat.
GYG. Ut ut eſt, Amice, rem ſequi ulteriùs placet.
Audita nil me territant. *MYS.* Geminus ſubit
Hac parte juvenis; fallor, aut viſum occupant
Illi priores. *GYG.* Ergo primùm, quid velint,
Scitabor, & me poſtmodum reddam meis
Ut ante latebris. Tu vide impoſtas tibi,
Ego dum latebo, ſtrenuè ut partes agas.

SCENA IV.

GYGES, MYSUS, AMISON, ASCALUS.

AMISON.

O Læta nimium fata! regalem bonus
Ex quo regendis commodas Sceptris manum,
Rex magne: noſtris æquiùs regnis favent,
Et cuncta faciles vota fortunant Dei.

GYG.

GYG. Amiſon, quid affers nuncii? *AMYS.* Hinc tumidum jugo
Oblita faſtus Smyrna ſubmittit caput,
Et arma ponit; inde Miletus novo
Coire tecum fœdere actutum parat.
GYG. Quis auctor eſt? *AMIS.* Utrinque Legatos ferunt
Properare ad Urbem. *GYG.* Blanda pax utinam diù
Populos ubique ſociet! *ASCAL.* Hoc per te bono
Rex magne, fruimur: longa quod nequeant adhuc
Feciſſe bella, nominis terror tui
Toti beatam Lydiæ pacem attulit.
GYG. Illam ut tueri liceat, hoc veſtri & mei
Caput eſt laboris: quod meum eſt: quovis bene
Pretio redemptam pacis uſuram putem.
Hæc ſapite & ipſi pariter, &, cum res feret,
Favete, Proceres. *ASCAL.* Nil moræ eſt, quod vis jube;
Ultro paratos obſequi & promptos habes.
GYG. Abſcedo, quantam meruit hic rumor fidem,
Viſurus. *

* *Beneficio Annuli ſe ſubtrahit aſpectui.*

SCENA V.

MYSUS, AMISON, ASCALUS, GYGES *occultus beneficio Annuli.*

AMISON.

ABiit. *ASCAL.* Siſte. *AMIS.* Seceſſit. *ASCAL.* Vide;
Scrutare latebras penitus, omnes angulos
Rimare. *AMIS.* Nemo eſt. *ASCAL.* Audit aſtutus, vafer
Et verſipellis, moneo. *AMIS.* Nemo eſt, Aſcale;
Ne metue. *ASCAL.* Quid ais, Myſe? num bellè ſatis
Morem Aulicorum ſapimus, & Regum famem
Palpare blando novimus laudum ſono?
Ut ille fictum cupidus arrecta melos
Bibebat aure! *AMIS.* Vera non avidus magis
Hauſiſſet. *MYS.* Ergo ſeriò dictum nihil?
Sterileſve nugas præter & inanes jocos
Nil jactitaſtis? *ASCAL.* Scilicet, Regum domos
Quicumque terimus, cura ſollicitos habet;
Sint vera, ſintne falſa, quæ loquimur; modò
Eadem illa placeant. *MYS.* Nullus eſt paci locus?
Non arma ponit Smyrna, nec fœdus novum
Miletus ambit? *AMIS.* Utraque Legatos quidem
Miſiſſe Regi fertur: at cauſæ aut latent,
Aut ſparſa in urbe fama ſi verum canit,
Legationem ſola curioſitas
Suaſiſſe potuit. *MYS.* Hoccine in mentem cadat!
AMIS. Quæ porro tellus alia ſpectandum offerat
Regem in Bubulco? *MYS.* Cedite, hæc inter ſcyphos,

Mediaſ-

Mediaſque lances, ſentio, & potis bene
Inventa vobis fabula. *ASCAL.* Auditum tibi eſt,
Ut læta nobis fulſerit nuper dies?
Utinam adfuiſſes, Myſe, dum Gyges dabat,
Quos nulla poſthac ſcena ſufficiat, jocos!
MYS. Faceſſite, inquam. *ASCAL.* Tetricus præter modum es
Hodie, ac ſeverus. *MYS.* Tandiu veſtras piget
Audire nugas. *ASCAL.* Hæc tibi aliàs, cum voles
Ridere, ſcena dabitur. *AMYS.* Hem cuncta, obſecro,
Ne Regis aures fortè contingant, ſile.
Gravis ira Regum eſt. *MYS.* Ne time; arcanum tegam.
Valete.

SCENA VI.

GYGES, MYSUS.

GYGES.

Quin tu placidus attentas jocis
Aures dediſti? *MYS.* Scilicet, noſſe id juvat,
Quid ſtulta juvenum turba, dum pectus mero
Caluit, & ictum fervor inceſſit caput,
Garrire ſoleat? *GYG.* Huccine ingenuus pudor
Recidit juventæ, mentis ut turpes dolos
Cordiſque virus candido vultu premat?
MYS. Vetus hæc querela eſt: priſtino dudum gradu
Deceſſit ætas illa; candoris piget,
Faſtidiumque nuda ſimplicitas parit.
GYG. Jam cura gravior, Myſe, ſollicitam premit
Agitatque mentem. *MYS.* Quis novus turbo incidit?
GYG. Ne fortè, quos venire Legatos ferunt,
Injurioſum nomini importent probrum.
MYS. Hæc mitte juvenum ſomnia. *GYG.* Occuram dolis,
Amice; ſi quid ſceleris amentes parent,
Meus ille reteget Annulus. *MYS.* Celerem gradum
Huc portat Ardis.

SCENA VII.

GYGES, MYSUS, ARDIS.

ARDIS.

Urbis ingreſſum petunt,
Dilecte Genitor, quoſque divitiis potens
Miletus, & quos Smyrna Legatos tibi
Miſere. Numquid excipi orantes placet?

GYG.

Digitized by Google

GYG. At quid volunt? vel cauſa quæ noſtros jubet
Expetere vultus? armane an pacem ferunt?
ARD. Quid ominari liceat, incertum eſt, Pater.
Spes at beatæ pacis ominibus bonis
Implevit urbem. *GYG.* * Sequere; quid facere addecet
Conſulere dabitur intro. *MYS.* Mandatum exequor.

** Ad Myſum.*

SCENA VIII.

ARDIS.

AN verus aures rumor ad noſtras iit?
Peroſa bellum Smyrna? Miletus novum
Jam fœdus ambit? ambo Legati hoc ferunt?
Utinam arma potiùs nuntient! Equidem hanc Pater,
Cui parta ſua res, frater hanc pacem probet,
Quem grande patrii ſpectat imperii decus.
At pax minorem quid juvet? quæ ſpes mihi
Niſi inter arma, & Martis ancipitem aleam
Superſit? ò ſi rupta pax per me exulet!
Si longa ferere crimina armorum queam!
Eamus: & quo cuncta procedant modo,
Dolis quis eſſe poſſit arcanis locus,
Scrutemur. O tu ſortis humanæ potens
Fortuna, noſtris placida conſiliis fave.

Finis Actus primi.

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

GYGES.

HInc ordiamur: dum mihi ſolitas dabit
Pretioſa latebras gemma, Legatum licet
Audire utrumque. Pacis an belli vices
Malint, in æquo eſt: nam quid armorum aleam
Sic verear? Animus vel rudem bello manum,
Martis labores inter ignotos, reget.
At quod juvabit noſſe, quodque unum ambiam,
Reſcire dabitur fortè, quid de me exteræ
Gentes loquantur, quove ſit Gyges loco.
Adſunt ..... abunde eſt, Annulus partes agat. *

** Abſconditur ope Annulli.*

SCE-

SCENA II.

LEGATUS SMYRNENSIS, LEGATUS MILESIUS,
GYGES *occultus ope Annuli*.

LEG. SMYRNENSIS.

NIl longioris perpeti rurſum viæ
Metuam labores, dum mihi talem virum
Spectare liceat. *L. MILES.* Credo, portentum hoc juvat
Coram intueri, quale vix toto reat
Monſtrari in orbe poſſit. At per quos gradus
Humili è taberna Lydiæ ſolium attigit?
Etenim nec ipſos inter indigenas ſatis
Conſtare factum video. *L. SMYRN.* Candaulis nece,
Quam machinatus fertur, invenit viam.
L. MILES. Quid ergo nullas populus intruſo moras
Objicere? nemo ſtirpe regali ſatus
Huc auſus uſque trudere immeritum gradu?
Quis occupatum per nefas tenuit locum
Tam placidus uſquam? *L. SMYRN.* Si qua rumorum fides,
Queis noſtra paſſim Smyrna jam dudum inſonat;
Haud iſta magicis, credo, res careat dolis.
L. MILES. Eaſdem ad artes, ſi diù regno velit
Frui occupato, ſæpe confugiet. *L. SMYRN.* Nihil
Moramur; iſtis jura dum populis dabit,
Pax alta noſtras interim habitabit plagas.
Nec erit timendus hoſtis. *L. MILES.* Ecquid nos vetat
Veteres ruinas, tempus & res dum ſinunt,
Sarcire? Nobis ipſe ſuppetias ferat
Gyges; petamus arma, ſocialem manum,
Quibus viciſſim concidant victi Phryges,
Communis hoſtis, clade qui noſtra ferox
Vicina larè vexat inſultans loca.
Id facere Gyges ſi neget, cogi poteſt:
a E latebris. Minitemur arma. *GYG.* *a* Perfidi. *L. MILES.* Incutiet metum
b E latebris. Martis propinquus horror. *GYG.* *b* Erratis, nihil
Timemus. *L. MILES.* Age dum, fare, conſilium placet?
L. SMYRN. Cur non placeret? geminus hinc fructus redit
Legationis, animus expleri poteſt
Hominem tuendo, ſpes & affulget nova
** E latebris.* Opem ferendi Patriæ. *GYG.* * Ecquid jam vetet
Prodire? *L. MILES.* Crepuit oſtium. *L. SMYRN.* Huc aliquis ſubit.
** E latebris.* *GYG.* * Meus ipſe Natus! commodè: opperiar.

SCE-

SCENA III.

ARDIS, LEGATUS SMYRNENSIS, LEGATUS MILESIUS, GYGES *in latebris.*

ARDIS.

Patrem
Adeſſe rebar; nec mihi conſtat ſatis,
Dilecta Superis capita, quæ lentum moræ
Ultra retardent. Viſo ſi ..... *L. SMYRN.* Nihil eſt opus,
Magnanime juvenis; ſiſte: dum facilem tui
Dederis utrique copiam, haud durum eſt patrem
Longùm opperiri. *ARD.* Si frui alloquio licet,
Unum hoc amabo, ſinite, ut exquiram priùs;
Quæ vos in iſtas cauſa detulerit plagas.
Pacemne an arma fertis? *L. MILES.* Hoc ipſum pater
Jam ſtatuet; unus pacis ac belli arbiter,
Hoſtes habere videat, an amicos velit.
ARD. Quas ferre leges pacis aut belli placet?
L. MILES. Populari utrique Phrygiam; & inviſam ratum eſt
Delere gentem: grande conſilium adjuvet,
Ultroque Phrygiam ſubeat armata manu
Socius laborum: hac lege nobiſcum poteſt
Gyges inire fœdus. *ARD.* Armorum rudis
Pater eſt, & uſque pacis ignavæ otia
Sectatus, odit bella; & ingratos fugit
Martis tumultus: at quod abnuerit pater,
Implebit ipſe natus. Eſt animus mihi;
Sànguiſque laudis avidus ebullit ſinu.
L. SMYRN. Nihil ne metuat interim Nato parens
Periculoſam Martis adeunti aleam.
ARD. Ne cura placidos iſta ſollicitet; velit
Nolitve, in æquo eſt: cuncta, genitore inſcio,
Peragam. * *GYG.* Sceleſtus! *ARD.* Ecquid ulteriùs juvet   * *E latebris.*
Hìc immorari? Nulla ſpes miſero imperi;
Major ubi natu Frater eſt. Egone ut jugum
Immite, fratris ſervus æternùm feram?
Neſcio quid animus grande præſagit, ſua
Spe major! aſtu Genitor ad regnum viam
Invenit, armis ipſe, ſi Superi adjuvent,
Mihimet recludam meliùs. *L. MILES.* O magnæ indolis
Illuſtre ſpecimen! *GYG.* * Etiam & inſanos probent   * *E latebris.*
Juvenis furores. *ARD.* Eſt mihi comitum manus
Haud imperita Martis, & mecum aggredi
Quidvis parata: quò velim, totis ruent
Animis volentes, ſpondeo; urgendum eſt opus;

 Vale-

Digitized by Google

Valete Proceres; cuncta dum celerem ad fugam
Parabo, vos hic interim blandis patrem
Palpate verbis; ne quis inſtructi metus
Animo, vel aura levior inciderit doli.
*E latebris. *GYG.* * Ut ipſa proprios bellua in caſſes venit!
L. SMYRN. Confide: cuncta perage ſecurus, virum
Qua fallere arte liceat, in promptu eſt ....

SCENA IV.

UTERQUE LEGATUS, GYGES *in latebris.*

LEG. SMYRNENSIS.

Viden', *
Ut ipſa faciles vota prævertant Dei?
Bona verba Gygi dabimus: & ſpeciem novi
Cauſati inanem fœderis, facti inſcium
Ludemus. Ille nil loci inſidiis ratus,
Utriuſque gentis cupidus accipiet fidem.
Dabit & viciſſim: commodam interea fugæ
Nobis ſibique filius pandet viam.
Hem, fare, numquid iſta conveniunt ſatis?
E latebris. *L. MYLES.* Feliciter! *GYG.* * Quid ceſſo? percepi omnia:
Jam prodeamus. *L. SMYRN.* Fallor, aut aliquis ſonus
Pulſavit aures. *L. MYLES.* Ipſe Rex huc fert gradum.

SCENA V.

GYGES, UTERQUE LEGATUS.

LEG. SMYRNENSIS.

Tibi Smyrna placidos, Magne Rex, optat Deos.
L. MILES. Eadem illa pro te vota Miletus facit,
Invicte Princeps. *GYG.* Quos mihi placidos velit
Miletus, & quos Smyrna depoſcit Deos,
Faciles utrique pariter, ut faveant, precor.
Quid vultis ultra? *L. SMYRN.* Nominis laudem inclyti,
Altamque mentem & grande virtutum decus
Late per urbes fama finitimas tulit.
GYG. Vulgaret utinam vera! Quid porro? *L. SMYRN.* Novum
Inire tecum fœdus urbs noſtra ambiat.
L. MILES. Et amicum habere Principem tantum velit
Miletus. *GYG.* Hæc vos cura ſollicitat? *L. SMYRN.* Nihil
Optare melius poſſit. *L. MILES.* Id quavis bene
Mercede redimat. *GYG.* Hoc placent ſenſu: tamen
Maturioris iſta conſilii indigent.

Abite, cum vacabit expendam omnia.
Utrumque, Miles interim obſerva; & pedem
Ne Regiam extra proferant, cautus vide.
L. SMYRN. Hæc irrogare probra nil Regem piget?
L. MILES. Sic jura violes gentium? *GYG.* Imperium ocyùs
Exequere. *L. SMIRN.* Non impune ludemur. *L. MILES.* Nefas
Qui plectat, ultor aderit actutum Deus.

S C E N A VI.

G Y G E S.

MEn' larva vigilem, mene ſopitum malus
Illudit error? Exteris ſimul ac meis
Deſpectus, odia ſuſcitem & amaros ſales?
Hæc me latebant interim; & felix mihi
Videbar, adeo blandè adulantum genus
Mulcebat aures!.... Quid mihi nocuit tamen
Hæc neſciiſſe? vel quid hodie me juvat
Depulſus error? forte contentus ſua
Ducebat animus ante ſecuros dies;
Veſana jam me cura ſollicitum excedit.
Heu! quos tumultus ſtulta curioſitas,
Quot luce in una jam mihi luctus paris!

S C E N A VII.

GYGES, MYSUS.

M Y S U S.

UNde impotentes ira Legatos agit?
Cur mente ſævas effera jactant minas?
GYG. O ſi adfuiſſes, *Myſe!* ſi ſcires, quibus
Inſanientes memet onerarunt probris!
Hinc dum è latebris tacitus exciperem omnia.
MYS. Fac tamen, in illos durius ſtatuas nihil.
GYG. Metus omnis abſit; quam dedi exſolvam fidem.
Aſt intra uterque Regiam arcendus fuit;
Nato vel hodie, *Myſe*, caruiſſem meo.
MYS. Quid loqueris? *GYG.* Ipſe deſpicit natus patrem;
Et utroque celerem comite meditatur fugam.
MYS. Natura juvenis fervida haud frenos capit.
GYG. Novi indolem: ægre flectitur: fratri pudet
Subeſſe, & omnem claudi ad imperium viam.
MYS. At te quid ultra maceras? an non ſibi
Libido demens hactenus fecit ſatis?
GYG. Ah! *Myſe*, fateor: quid ego diſſimulem! piget

Stulti laboris: haud tamen retro pedem
Referre poſſum: lucis hodiernæ moram
Totam rogavi: Tu mihi totam hanc, precor,
Impende. *MYS*. Nil repugno; quod placeat, jube.
Tuum imperare eſt; exequi juſſa, eſt meum.

S C E N A VIII.

GYGES, MYSUS, ALIDAS *Poeta*.

A L I D A S.

Rex vive; noſtri pignus exiguum obſequi,
Fructum & laboris non levem ingentis cape.
GYG. Quid iſta loquitur charta? *ALID*. Phœbeum melos:
Quod, dum caleret vena, totumque Entheus
Impleret Oeſtro nobili Pindi furor,
Tibi canebam: ne time annorum vices;
Nec auferentis cuncta, dum retro fluit,
Ævi ruinas: hìc habes certum invidæ
Oblivionis Toxicum: hinc ſeros Tibi
Apud nepotes ſurget æternum decus.
GYG. Permitte. *ALID*. Si quid perlegi, Princeps, ſinas:
Vox namque rebus grande momentum adjicit.
MYS. Hoc meruit Alidas: perlege; id Princeps feret.
ALID. *Maxime Regnantum, lato quem Lydia partu*
Progenuit ſeclis monimentum inſigne futuris.
Sint alii, illuſtres atavos & nomina mille
Heroum, Divumque ſatam de ſanguine gentem
Qui celebrent, meritoque ferant ad ſidera verſu.
Aſt dotes animi egregias; facta, inclyta facta
Aggrediar; tanto præſens ſuccurre labori
Calliope, & dignas in carmina ſuffice vires.
GYG. Omitte plura legere; quæ reliqua adjacent,
Mecum otioſus ſedulo evolvam omnia.
Parem & labori, crede, mercedem dabo. *

* *Abſconditur ope Alidæ.*

S C E N A IX.

MYSUS, ALIDAS, GYGES *in latebris*.

A L I D A S.

Quid eſſe dicam? qualis & quantum mihi
Mutata Regis indoles! *MYS*. Quid tam hic ſtupes?
ALID. Dat aliquid? Etiam comis, urbanus velit
Gyges videri? *MYS*. Tene munificum piget
Regem experiri? Tun' bonum ac facilem arguis?

ALID.

ALID. Tam facilis ille ſemper, & parcus minùs
Fuiſſet utinam! non mihi grandi locum
Satiræ dediſſet. *MYS.* Quid ais? & Satiram quoque
Tu ſcriptitaſti. *ALID.* Scilicet .... tamen hanc ratam eſt
Damnare tenebris: ſi datam exſolvat fidem,
Et merita pendat dona: ſin aliter; ſacrum
Adjuro Tripodem, quos decet ludos dabit.

SCENA X.

GYGES, MYSUS.

GYGES *luci redditus.*

Quis impudentes ſubdolæ mentis dolos
Æquare poſſit? *MYS.* Sic parum noſtì indolem
Moreſque vatum? Gentis illius minas,
Promiſſa, amores, odia, laudes & probra,
Rex magne, pariter deſpice. Hos dementia,
Vel una lucri ſordidos ducit fames.
GYG. At ecce Agreſtes, credo, qui greſſum huc ferunt.
Scrutare ſenſus, *Myſe*; nil ego tam velim,
Quàm noſſe, Regem quo novum reputent loco.
Gens illa fuci neſcia .... Abſcondor.

SCENA XI.

MYSUS, MEANDER, LYDUS *Ruſtici*, GYGES, *occultus*.

LYDUS.

Tuum eſt;
Ageſis, Meander. *MEAND.* Per Deos, Lyde, eſt tuum.
MYS. Quæ res in Aulam cauſa diverſos agit?
LYD. * Loqueris ergo? *MEAND.* Non prior faciam hercule. * *Ad ſocium.*
MYS. Narrate, quid id eſt? nam quid altercamini?
LYD. Næ, per Jovem! propinquus hic noſter, ſemel,
Vir magne, ſi quid in ſuum intruſit caput,
Eſt pervicaci pervicax mulo magis.
MEAND. Qui vapularunt, credo, verſuram luent.
MYS. Expecto, dum quis ſolvat ambages modus.
MEAND. Pol! vera cenſet, Lyde; quid tanta eſt opus
Circuitione? Si negas, ultro loquar.
LYD. & MEAND. * Venimus ambo ... *MYS.* Dicite alternis ... age * *Simul.*
Tu; fare ſodes; quid petis. *MEAND.* Nil admodum.
Verbum ſat eſt, perferre ſi Regi licet.
MYS. * Tu porro? *LYD.* Utrumque ſimilis angit ſcrupulus. * *Ad Lydum.*
MYS. Jam, credo, Regi non vacat: vos interim,

Si quid rogatis, ipſe quodcumque eſt, feram.
(* *Ad ſocium.*) *MEAND.* Vir * iſte probus eſt, & fide ut quiſquam optima
Arcana, Lyde, credere huic tutò licet.
LYD. Omnino: Belluam ipſe declarat pilus.
MEAND. Vir magne, ne quas trahere videamut moras;
Utrumque Ruri vivere ulteriùs piget.
Dic, nos in Aulam Rex ut accerſat ſuam.
MYS. Ambos in Aulam Rex ut accerſat ſuam?
Quas agere partes hic placet? *MEAND.* Quas hic ſolent,
Et agere norunt, Aulicos quotquot vocant.
Curare genium molliùs; multam in diem
Dormire, bibere largiter; verbo nihil
Agere licebit. *MYS.* Vereor ut tales ferat
Princeps in Aula. *MEAND.* Sed tamen, paribus pares
Ultro aggregantur .... novimus Regem hercule;
Et ſane noſtras duximus paſtum boves
Cum Gyge quondam: Lyde, Meminiſtin'? *LYD.* Rogas?
MEAND. Quiſquam ne toto ſegnior pago fuit,
Aut vixit illo pigrior? *LYD.* Pol! ni pater
Longo verendus fuſte pepuliſſet domo,
Impune ſolidos, credo, ſtertiſſet dies.
(* *E latebris.*) *GYG.* * Caput ſceleſtum, infame. * *MYS.* Mores, credite,
(* *Abit.*) Invexit alios purpura; attentus, vigil
Imperii habenas ſedula flectit manu.
LYD. Aſtare propiùs purpuræ Rex annuat!
Vicinia ipſa ſtrenuos reddet magis.
MYS. Curabo. *MEAND.* Rem ſi feceris; viden', eſt domi
Tener recenſque vitulus; hunc faciam tuum.
LYD. Et ipſa mehercle vitula, quam fugit, tua eſt.
MYS. Abite: veſper quando componet diem,
(* *Exeunt ambo.*) Adeſte reduces ambo, reſponſum dabo. *
Rex magne, quid ais?... hem; ſilet. Nil te vetat
Prodire .... fugit: quid agat ut norim, advolo.

Finis Actus ſecundi.

ACTUS

Digitized by Google

ACTUS III.

SCENA PRIMA.

GYGES, MYSUS.

GYGES.

EQuidem fatebor, Myſe; nil animum hactenus
Sic aſperavit: æquiùs multo feram
Gentis querelas aulicæ, & amaros ſales;
Quàm quod protervi liberè agreſtes ferunt.
MYS. Qui obeſſe ſimplex poſſit hoc hominum genus,
Rex magne? *GYG.* Quid ais? ipſa ſimplicitas obeſt:
Cui fida quoniam creditur vulgò comes,
Soror & amica veritas, promptam invenit,
Vel ante, certam facere quàm ſtudeat, fidem.
MYS. Ut ut eſt; iniquum facile rumorem elevas:
Nec imperanti fama paſtoris nocet,
Dum diligenti Sceptra moderaris manu.
GYG. Bene eſt; abunde eſt: jam ſibi indulſit ſatis
Animus; nec ultra, ſpondeo, ancipitem aleam
Tentabit. *MYS.* Utinam! *GYG.* Vota quod ſupereſt, paro.
MYS. Quid porro ſtatuis? quamve Legatis jubes
Sortem eſſe? Ni quod prodis admiſſum nefas,
Clauſos tenere longiùs tutò nequis.
Jam fremere vulgus, Aula jam viſa eſt queri;
Nil tale meritis gravius inferri probrum.
Quid deinde Natus? ſi fugam celerem parat,
An otioſus cardine hoc rerum ſinet
Impune lentas objici inceptis moras?
GYG. Tu me mihi permitte; difficilem modò
Nodum hunc reſolvam. *MYS.* En ipſe præceps huc volat,
Regni Adminiſtro comite. *GYG.* Poſtremùm velim
Hoc patere: talem ut Annulus ſcenam paret.

SCENA II.

MYSUS, ARDIS, SYNAUS, GYGES *in latebris.*

ARDIS.

NAm quò locorum, Myſe, conceſſit Pater?
Ubi hunc requiram? regiam fruſtra domum
Totam anxius peretro. *MYS.* Non aberit diu;
Paulum opperire. *ARD.* Myſe, non patitur moram,
Quod inſtat: ac ni Genitor occurrat malo,

Cum venerit, vix credo medicinam feret.
MYS. Quid loqueris, aut quod imminet nobis malum?
ARD. Scitare Synaum; cujus hic etiam eſt labor
Arcere, ſi quid Lydiæ adverſum ingruat.
SYN. Neſcis tumultum urbe quem tota excitant,
Quos dura Regis juſſa captivos tenent?
Ni murmurantis, qua licet, vulgi impetum
Coercuiſſem; Regiam armata manu
Circumobſidens, utrumque Legatum petat.
MYS. At cujus ambo criminis habentur rei?
SYN. Mirare & illud; nulla ne ſceleris quidem
Apparet umbra; quin & optandum ambiunt
Nobiſcum inire fœdus; interea, fides
Utriuſque dubia ſeu foret, pœnas luunt.
ARD. Proh! quale noſtro nomini opprobrium imminet!
Quid exteri loquentur?... ò utinam pater ....
MYS. Ne temere patrem forſan incuſes, vide.
Arcana ſæpè multa clam Reges tegunt;
Quæ juſta prohibet cauſa vulgari palam.
SYN. Me me vocare conſili in partem abnuat;
Dum ſe ferendo ponderi rerum imparem
Expertus, humeros in meos totam imperi
Molem refundit? noſtra ſic penſet memor
Officia? *ARD.* Synae, ſentio, imprudens pater
Peccavit; ultro, monitus errorem exuet.
SYN. Vel noſtra docili mente conſilia audiet:
Regni vel unus pondus immenſum ferat.
ARD. Nam quid morantem detinet? mihi te, precor,
Adjunge comitem: Regiæ tecum abdita
Luſtrabo rurſus. *MYS.* Siſte, nil opus eſt; tibi
En ſe petenti Genitor optatò attulit.

SCENA III.

GYGES, ARDIS, MYSUS, SYNAUS.

SYNAUS.

QUid ergo ſceleris luere Legatos jubes,
Auguſte Princeps, quemve ſupplicii modum
Meruere? Si te pacis ingratæ piget,
Cupiduſque belli fœdus oblatum abjicis:
Nihil moramur; pacis ac belli arbiter,
Quod libeat animo, ſtatue: ſi bellum placet,
Bene eſt: ad arma ruimus; quidvis te Duce
Audere prompti. Smyrna, Miletus ſimul
Coeant: utrique non ſumus genti impares.
At ſacra Populis jura Legatos vetant,

Fas

Fas contra & æquum patrio arceri ſolo.
GYG. Nec longiorem pacis uſuram abnuo:
Cupiduſve belli fœdus abrumpi velim.
Nec arma pariter fugio, dubiive aleam
Tentare Martis, quando res tulerit, negem.
Quas porro curas ambo Legati afferunt,
Depone. Regem ſpectat hic unum labor.
ARD. At tempus urget, Genitor: utrumque ocyùs
Niſi remittis, quidpiam bello imminet
Magis timendum. *GYG.* Quos mihi obtendis metus?
ARD. Quæ vidit ipſe, narret hæc Synaus Tibi,
Dilecte Genitor; referat ut tota frequens
In urbe populus facinus indignum palam
Exclamet; & quod juris alieni viros
Impune retines, & quod inſontes premis.
Quin ipſa, quamvis, ut decet, teneat modum,
Tamen Aula tacitè muſſitans factum improbat.
SYN. Aperta loquimur; ſi tibi auditum nihil,
Primoque in ortu motus oppreſſus ſtetit;
Noſtri laboris fructus ac pretium fuit.
GYG. Bene eſt: laborem laudo: quod ſupereſt, mihi
Relinque: miſſos ambo jam faciam: priùs
Fac tamen ut adſint: hinc ubi extulerint pedem,
Vide ut frequenti militum cinctus manu
Ipſa urbis extra mœnia utrumque exigas;
Reduxque ut adſis illico. *SYN.* Imperium exequar.
GYG. Tu Myſe, quot quot hac die affatus meos
Adiiſſe noſti, tecum ut accedant, vide.
Nate, interim ſubſiſte; paucis te volo.

S C E N A IV.

G Y G E S, A R D I S.

G Y G E S.

ID ergo quereris, juris alieni viros
Quòd teneo durus, & quòd inſontes premo?
ARD. Populi querelas, non meas retuli, Pater.
GYG. Quid ipſe ſentis? tune tam inſontes putas,
Quàm rumor urbe diditus paſſim canit?
ARD. Pacem obtuliſſe, Genitor, & tecum novi
Jus ambiiſſe fœderis, ſi crimen eſt;
Crimen fatebor; ſi quid eſt ultra, doce.
GYG. Nil ſuſpicaris aliud? auditum nihil?
ARD. Nam qui vel unde, Genitor, auditum? *GYG.* Bene eſt....
At iſta quianam cauſa juvenilem impetum
Sic concitavit? quid, precor, tantum Exteri

Merue-

Meruere, talem ut rebus adverſis probent
In te patronum, Nate? *ARD.* Me tua res, Pater,
Non Exterorum cauſa ſollicitum movet.
Dolui ſiniſtros nempe rumores ſeri;
Tuæque turpem gloriæ inferri notam:
Dum præter æquum faſque, mi Genitor, ſacra
Violare jura gentium argueris palam.
Hæc ferre tacitum decuit? *GYG.* O pulchram Indolem!
Animæque magnæ ſpecimen egregium!... Patris.
Te cura ſtimulat una? nil aliud doles?
Nil quereris? *ARD.* Ecquid?... Mene?... fac mentem explices,
Genitor. *GYG.* Quid hæres dubius? animos collige...
Unde ille ſubitus ora ſuffundit rubor?...
Loquere.... ſiles? *ARD.* Expendo, quod me vis, Pater.
GYG. Expende: prudens, Nate, conſilium approbo;
Quod ut exequare melius, hic abſque arbitris,
* *Abſconditur.* Tibi te relinquo. *

SCENA V.

ARDIS, GYGES *in latebris.*

ARDIS.

CUncta reſcivit Pater:
Conſilia, dicta, quamque meditabar fugam,
Patuere!... Nam cur ludere ambiguis amat,
Et captioſis territum illaqueat dolis?
Ah! video; tantos cauſa quæ faceret metus,
Dum greſſum ab Aula ferre Legatos vetat;
Dum mihi ad utrumque ſuſpicax claudit viam....
Quid agam?... vel unde diluam objectum ſcelus?
Ah! memet ipſe prodidi! incautum rubor
Tremorque fontem, vel reluctantem, arguit.
Oculo irretorto dicta debueram omnia
Excipere; pavido vultus alienus metu
Fucum parenti fortè feciſſet!... Mihi
Sic ipſe nocuit inſitus fronti pudor!...
Quanquam periclo major incumbit metus.
Nil dum retexit fraudis inſtructæ pater;
Animique tacitis forſan aggreditur dolis
Tentare latebras... Nam quis arcani fidem
Violaſſe poſſit? nemo colloquii arbiter
Teſtiſve; nemo conſili in partem mihi
Aſcitus, aut is eſſe ſuſpectus nequit...
* *Myſum aſpicit.* At ecce * Myſus: hac die aſſiduus comes
Adeſſe patri viſus: adeamus virum:
Forſan rogatus, ſi quid arcani eſt, dabit.

Sed

Digitized by Google

Sed inquietum videat & triſtem; eruam
Hac arte meliùs quod velim....

SCENA VI.

MYSUS, ARDIS, GYGES *in latebris*.

MYSUS.

Nam Rex ubi eſt?
ARD. Abſceſſit. *MYS*. Et tu quid agis hìc ſolus? *GYG*. * Bene! (* E latebris.)
Hìc eſſe me non credit: experiar fidem.
MYS. Effare... Quæ te cura ſollicitum coquit?
ARD. Heu! *MYS*. Quid doles? *ARD*. Ah! Myſe, ſi ſcires! *MYS*. Age,
In gremio Amici ſæpè ſe exonerat dolor:
Eloquere. *ARD*. Miſerum Genitor exanimat metu.
Amice, perii! *MYS*. Quod tuum ob facinus? *ARD*. Latet.
MYS. Quid ille queritur? *ARD*. Neſcio; at amaros ſales,
Et exprobanti ſimilis ambiguas malè
Sparſiſſe voces viſus... iratum auguror.
MYS. Nil ſuſpicaris? nil tibi in mentem venit,
Patrem aſperaſſe quod queat? *ARD*. Fare, obſecro;
Tu, Myſe, noſſes quidpiam! *MYS*. Te ipſum excute.
Expende cuncta: relege voces ſingulas;
Animoque recole ſedulus, ſiquid tibi
Temere excidiſſet: plena patulis auribus,
Hæc, moneo, apertis plena ſunt oculis loca.
ARD. Quid loqueris? ergo nulla ſpes miſero ſuper!
Occidimus! *MYS*. Animos erige. *ARD*. Ah! novi Patrem!
Proh! quantus in me poſtmodum erumpet furor!
Quis jam locus, quæ regio fugienti dabit
Dulces latebras? Patris aſpectu ratum eſt,
Subtrahere memet ocyùs: dic, quò ferar?
Quem abibo, Myſe? *MYS*. Solve graviores metus:
Quod machinatus cumque fallacis doli es,
Equidem fatebor, novit id totum pater,
Facti arbiter teſtiſque: quanquam nil mali
Hinc pertimeſce. *ARD*. Credis hoc? non ſæviet?
Remittet iras Genitor? atenim quis putet?
MYS. Sic faciet, inquam. *ARD*. Læſus, irriſus pater,
Inultus ut ſit? *MYS*. Siquid erratum eſt, pati
Id meruit: ultrò lubricæ plenam aleæ,
Fruſtraque monitus temere dum inceſſit viam.
ARD. Prodit. *MYS*. Quieſce.... * timeo ne fortè abditos (* Seorſum.)
Incautus ipſe flexerim in laqueos pedes.

SCE-

SCENA VII.

GYGES, ARDIS, MYSUS.

GYGES.

PEracta, Myſe, cuncta? *MYS.* Feci ſedulus
Quod imperaſti; præſto ſunt, quot quot jubes,
Adeſſe. *GYG.* Geminos intrò Legatos mihi
Jam ſiſte: reliquos poſtmodum deinde alloquar.
Ad Filium. * Et tu paratus, Nate, Legatos ſequi?
ARD. Ignoſce, Genitor, pedibus advolvor tuis;
Pudet mei me. *GYG.* Liber egreſſus patet:
I, ſequere. *ARD.* Potiùs, Genitor, ah! potiùs mihi
Eluere liceat ſanguine admiſſum nefas!

SCENA VIII.

GYGES, ARDIS, MYSUS, LEGATUS SMYRNENSIS & MILESUS.

GYGES.

NI curioſis hactenus viſum eſt ſatis
Oculis dediſſe; rurſus en ſeſe exhibet
Seorſum. Gyges videndum. *L. SMYRN.* * Quid ait? ò Superum fidem!
Ad ſocium. *L. MILES.* * Quis iſta retulit? *GYG.* Nulla ſi potior tamen
Pepulit utrumque cura, nec tanto ambitu
Ceſſiſſe patrio decuit incautos ſolo,
Nec noſtra terere regna. Quanquam futilem
Legationem non levis viſus ſequi
Fructus; paterno Natus ereptus ſinu,
Dum ſponte profugus exteras peteret plagas.
L. SMYRN. Perjure Juvenis, ſic datam ſervas fidem?
GYG. Culpa vacaret, ſi fefelliſſet fidem.
ARD. Sic eſt: fateri nec piget crimen, Pater.
GYG. Aufugite celeres: gratiæ & ſummæ loco
Putate, quòd non graviùs ulciſcar probrum
Ad Myſum. * Jam reliqua ſubeat turba; portaſque omnibus
Reclude, Myſe.

Digitized by Google

SCENA IX.

GYGES, ARDIS, MYSUS, BADESSUS, AMISON, ASCALUS, ALIDAS, MEANDER, LYDUS *Ruſtici.*

GYGES.

Vitia Regnantes ſua,
Ut vulgus hominum, ſcio, vel invitos premunt.
Populis tamen nec eſſe cenſores licet,
Ullam nec indè debiti partem obſequi
Decuit perire: reliqua ſi deſint, ſatis
Reges verendos ſacra Majeſtas facit.
* Vos iſta ſpectant monita, par juvenum leve, ** Ad Amiſonem & Aſcalum.*
Quos in protervos cœca libertas ſales
Clam ſuſcitavit uſque, dum molli palam
Malè blandientes repere officio haud piget.
AMIS. Ten', Myſe, Amicos prodere? *GYG.* Immeritum arguis:
Totum hoc meum eſt: vel ipſa tenebrarum abdita
Cum placuit, oculus Principum inopinus ſubit.
* Tu, quem ſuperbum vana plus æquo facit
Et inſolentem Muſa, diſce hæc, & ſape. ** Ad Poetam.*
Nil inficetis laudibus virtus eget,
Triſteſque Satiræ facilè deſpectat minas.
ALID. Sic ergo miſerum læta ſpes fugiat lucri? *
GYG. * Repetite patrias, unde veniſtis, caſas, ** Abit.*
Pubes agreſtis; nullus hic vobis locus. ** Ad Ruſticos.*
Quos repperiſſet Purpura ignavos, mihi
Credite, eadem illa faceret ignavos magis.
MEAND. Quo * te implicabas, per Jovem? hoc hominum genus,
Satias ubi eſt; non ſentit alienam famem. ** Ad ſocium.*
Tibi hæc canebam, bone vir; at.... *LYD.* Vatem, ædepol,
Agnoſco: cum venere, prædicis mala... * ** Abeunt ambo.*

SCENA ULTIMA.

GYGES, ARDIS, MYSUS, AMISON, ASCALUS, BADESSUS, SYNAUS.

SYNAUS.

Uterque portas urbis emenſus procul
Legatus. *GYG.* * Ades huc: pauca te monitum volo.
Quamcumque noſtris commodes regnis opem, ** Ad Synaum.*
Cave inſoleſcas; facilis unius viri
Jactura fuerit. * Parce tu ſtomacho tamen, ** Ad Badeſſum.*
Maleſane, neve, cœtera ut ſileam, parum

Vere-

Digitized by Google

Verere, noſtras quot quot hic peragunt vices.
Regis Miniſtros qui petit, Regem & petit.
*Ad Myſum. * Quod perpetraſti Tu quidem, Myſe; id leve eſt.
At Amicum habere quem ſibi Princeps velit,
Nævos in illo nec leves, patiens ferat.
*Ad Filium. * Te fervor animi, Nate, præcipitem impulit.
Juvenile vitium eſt, regere non poſſe impetum.
Tamen irrogari quidpiam ætati poteſt;
Modò irrogandum nil tibi ulteriùs ſcias.
ARD. Culpam perenne, Genitor, obſequium eluet.
GYG. Quo quemque veſtrum ferre cenſoris notam
Animo paratum deceat; exemplum ſibi
Sumat vel ex me; dum mihi indulgens nihil
In memet ipſe perago cenſoris vices.
Pepulit volentem ſtulta Curioſitas
Judicia de me veſtra ſenſuſque intimos
Ut experirer penitus: at quanto ſtetit;
Dum nil querelas præter & probra audio.
Tamen hæc parum eſt tuliſſe; fatalem malæ
Ni curioſitatis artificem Annulum
Coram abdico. Hic eſt ille, quo potui omnia
Videre, nulli viſus; aſt idem Annulus,
Audite, geminas ruptus in partes ſemel,
*Rumpit Annulũ. Vim perdit omnem: nil moror ruptum offero. *
Sic regere populos, dum fruar, vita ratum eſt;
Juſtum ut querelis eſſe nòn patiar locum.
Qui vota præter faſque Regnantem arguent,
Sinam latere, aut noſſe ſi dabitur, feram.

Finis Actus tertii, & ultimi.

PHILO-

PHILOCHRYSUS, SEU AVARUS. DRAMA.

DATUM LUDIS PRIORIBUS.
ANNO M.DCXCVIII. & M.DCCVIII.

PRÆFATIO.

ACTUM agimus fortaſſe, qui novis Avaritiam depingere coloribus, & Avarum hominem inducere tentemus in ſcenam: poſtquam hinc Plautus ante ipſa Auguſti tempora, inde vir ille prioræ ſæculo Gallicæ Comœdiæ princeps in eodem argumento tam laudabiliter verſati ſunt. Ii enim ſic exhauſere materiam iſtam, & tam lepidis ſalibus condiere, ut futuris ætatibus ſpem omnem adjiciendi quidquam, quod placeret, ademiſſe videantur.

Horum ego veſtigiis etſi non indecorum puto fideliter inſiſtere, & quam in exhibendis ad vivum parcorum hominum moribus conſecuti ſunt, laudem non infeliciter æmulari; tamen qui Avaritia laborant mala, tam variis quotidie ſe produnt ac deſignant ſordibus, ut amplam Poetæ, etiam ac novam cavillationis & Satiræ ſegetem ſufficiant. Imò, qui dicta iſtorum hominum, facta, ingenium imitando ſolers expreſſerit, uberem ſatis ſuppeditari ſentiet rerum copiam, ut comminiſci multa non egeat, quæ naturam plerumque & veriſimilitudinem excedunt. Qua in re Plautus ipſe tendere opus ultra modum videri poſſit, qui in Aulularia ſua pingit in multis avarum hominem, qualis nec fuit unquam ejuſmodi, nec eſſe poſſe, niſi demens fingatur & inſanus, ſibi quiſquam perſuaſerit.

Parcior multo fuit ac religioſior Molierus; & Harpagonem ſuum tenacem quantumvis ac ſuis opibus ridiculè metuentem adumbraverit, vix commiſit tamen, ut ageret ille quidquam, aut loqueretur, quod vinceret hominum fidem, aut quotidianæ multorum experientiæ non congrueret.

Nos timendam Poetæ Gallici verecundiam imitari maluimus, quam audacem Romani vatis licentiam; & Philochryſum noſtrum intra meticuloſæ & avaræ parſimoniæ limites ſic continuimus, nihil ut admittat in ſcena, quod in domeſtica familia factum à pleriſque fuiſſe revinci non poſſit.

Hujus porro Fabulæ argumentum non ita vindicamus inventum à nobis, ut nuſpiam extare illius veſtigium defendamus. Hoc erimus contenti ſatis,

ſatis, ſi bellè ad Theatri leges accommodatum videbitur, & infingendis perſonarum moribus cenſebimur non infelicem operam poſuiſſe. Rem ipſam, ſeu veram, ſeu fabuloſam, ita narratam apud fabellarum ſcriptores legimus.

Philochryſus homo ditiſſimus idemque ſordidus in primis theſaurum in ſylva defoderat nemine facti conſcio, præter vicinum quempiam, cui fidebat plurimùm. Ille nactus occaſionem faciendi lucri theſaurum clam effodit, eoque potitur. Ablatas opes Philochryſus cum vidiſſet, fraudem ſuſpicatus, vicinum convenit & aliam habere ſe domi pecuniam profitetur, quam eodem in loco vellet recondere. Alter majori inhians prædæ refert opes, unde rapuerat, quas brevi feneratas reciperet. Verum deluſa aviditas eſt. Quippe recuperatos opes continuit domi Philochryſus; iiſque, abjurata demum Avaritia; commodum in ſuum uſus eſt.

ACTORES.

PHILOCHRYSUS, Vir dives & idem ſordidus.

PAMPHILUS, Philochryſi frater.

ASOTUS, Philochryſi filius natu major.

ERASTUS, Alter Philochryſi filius.

EUGENIUS, Pamphili filius.

PANURGUS, Philochryſi vicinus.

DROMO, Philochryſi ſervus.

Scena Romæ, in domo Philochryſi.

PHILO-

Digitized by Google

PHILOCHRYSUS, SEU AVARUS. DRAMA.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

ASOTUS, ERASTUS, EUGENIUS.

EUGENIUS.

Nam cur inanes uſque prætendis metus,
Aſote? Non ſic rigidus, ut reris, parens.
Conſilia ſequere noſtra, blanditiis virum
Aggredere; nec erit forſan infelix labor.
Quos nulla vis, quos nulla potuit frangere
Querela, molles ſæpe vicerunt doli.
ASOT. Sic notus animus, ſic viri nota indoles?
Equidem fatebor; quandiu orabis nihil,
Humanus ultro, comis occurrat pater;
At facere ſi quis verba de nummis velit,
Aſper repente, durus, intractabilis
Hoſtes eodem ponit & amicos loco.
EUG. Auri-ne tantum poſſit inſanus furor,
Mores ut ille mutet & placidam indolem?
Quanquam dolori dulce ſolamen ferat;
Sibimet quod ipſe parcus & avarus pater,
Non temere vanos perdit in ſumptus opes;
Grandemque cenſum proximum in tempus parat.
ASOT. Ah! potiùs utinam paupere eductus caſa
Procul urbe triſtes exigam obſcurus dies!
Nam quid parentis copia infelix juvat,
Dum miſera memet uſque pauperies premit?
ERAST. I, perge Athenas ſolus; illuſit mihi
Spes blanda, mi Cognate; non adero comes

Digitized by Google

Dum plena Suadæ mella, dum ſal Atticum
Olebis, hic nos interim durus pater
Tenebit, artis penitus expertes bonæ.
EUG. Quid timidus augur iſta conjectas mala?
ERAST. Experta dudum loquimur, abſtuleris prius
Animam parenti, quam levem impenſam exprimas.
EUG. Utriuſque ſorte moveor; at ſi me audiet
Meus ipſe Genitor, quam facit patruus moram
Reſcindet ultro, dulcibus neque me ſinet
Carere ſociis. *ASOT.* Animus hic miſerum beat.
Blandum & levamen rebus anguſtis facit;
At cura gravior, gravior excruciat metus.
EUG. Effare; ſi quas ferre ſuppetias malo
Opella noſtra poſſit, actutum jube;
Adſum paratus. *ASOT.* Obſequor; diſce omnia,
Cordiſque penitus inſpice arcanos ſinus.
EUG. Ne metue: certam ſpondeo arcani fidem.
ASOT. Me durus urget creditor: centum aureos,
Fas omne præter, pauperi inſultans, petit.
Ac, ni priuſquam craſtinus ſurgat dies,
Promiſſam ad aſſem defero pecuniam,
Nil non minatur; quodque clam patre hactenus
Tulit eſſe, totum protinus faciet palam.
Quid agam? negare creditam ſummam haud licet:
Dedi obligatum nomen, inſcriptas probè
Noſtra tabellas perfidus jactat manu.
Quantas in iras ibit offenſus pater!
EUG. Nulliſne potuit ille blanditiis capi,
Juſtas ut ultro placidus admittat preces;
Induciaſque perbreves ſaltem annuat?
ASOT. Nil audit. *EUG.* Et iners cardine hoc rerum Dromo
Ut ceſſet? *ERAST.* Eccum video.

SCENA II.

ASOTUS, ERASTUS, EUGENIUS, DROMO.

ASOTUS.

Quid portas novi?
Quo res loco ſunt? *DROM.* Eſſe quo nequeant, reor,
Pejore: loculos tam benè aſſervant ſuos,
Quicumque nobis ferre jam poſſent opem.
ASOT. Itane eſt? *DROM.* Latebras urbis, omnes angulos
Scrutatus ego ſum; nullus inventus mihi
Multo redemptum fœnore aurum qui daret.
EUG. Quid loqueris? iſta fœneratores forent

In

In urbe nulli? *DROM.* Parce. *EUG.* Spes igitur lucri
Tam liberales nulla palpavit viros?
DROM. Imò, imò nuſquam gravior exarſit fames
Furialis auri, nulla vel plures tulit
Ætas, avari quos amor ſtimulet lucri?
Ars fœnerandi cœteras hodie ſuper
Præcellit artes, nobiles illam viri
Sectantur, ipſis fœminis etiam placet.
ASOT. Cur ergo nullum, perfide, inventum refers,
Qui fœnerandam commodè ſummam eroget?
DROM. Ah! Parce probris; noſtra nil peccat fides;
At quid moretur vota compertum dabo.
Qui liberali fœnus exercent manu,
Periculoſo nunc labòrant in vado:
Triſtem & procellam ſacculis metuunt ſuis.
EUG. Quidquam ut beatum timeat hoc hominum genus.
DROM. Quo res loco ſunt, angit hic omnes dolor,
Fiſci ruinas publici quod ſumptibus
Reparare propriis, pondus & belli novum
Humeris jubentur vel reluctantes pati,
Hinc fœnerator nemo jam audire ambiat;
Commerciique dulcis ancipitem aleam,
Dum dira ceſſet furere tempeſtas, fugit.
ASOT. Nam cur iniquos ſolus experior? *DROM.* Loqui
Mihi ſi liceret, aliquid adjicerem ſuper.
ASOT. Eloquere? *DROM.* Vero verius... ſed... *ASOT.* Dic, age.
DROM. Me reprimo. *ASOT.* Longas amove ambages procul,
Quid me fatigas? ede quodcumque eſt ſtatim.
DROM. Nil promoves: tu plura ſcitari abſtine:
Silere tutum eſt, fortè damnoſum loqui.
ASOT. Ecquid vereris? *DROM.* Veritas odium parit.
ASOT. Piger ah! morarum, fare, vel ſtolidum in caput,
Per aſtra juro, verberum imber depluet.
DROM. Ut tumidus ira totus, atque animi impotens!
Quid ſi moleſtum quidpiam infelix loquar?
Fugiſſe ſatius... *ASOT.* Frater abeuntem tene.
ERAST. Dromo mi. *DROM.* Faceſſe. *ERAST.* Siſte præcipitem gradum,
Et imperata profer, iratus mihi,
Peccabit in te Frater. *EUG.* Ut durus mihi,
Rigiduſque ſolitum præter evaſit Dromo!
Accede, namquid renuis? ignoras herum?
Facilem bonumque nactus es, parce hinc tibi
Quidquam timere gravius. *ASOT.* Obſtringam fidem,
Si luebat. *DROM.* Igitur contine inviſas manus,
Noſtroque lateri propiùs accedas cave.
ASOT. Tibi me obſequentem præſto, tu pariter mihi
Obſequere. *DROM.* Quæris ergo, cur nullus velit
Summam erogare quam petis? *ASOT.* Me, me enecas

Huc ávidus uſque poſco reſponſum. *DROM.* Accipe.
De te ſiniſtrum fama neſcio quid canit,
Et iniquus urbe rumor in tota ſonat;
Quod in ære multus jam diu alieno jaces;
Quod temere nummos prodiga effundis manu: *
Quod otioſus uſque ludendo dies,
Pigroque noctes integras ſomno teris:
Jam vanus audis. *ASOT.* Ah! ſile tandem, obſecro;
Et inſolentem, furcifer, linguam preme.
DROM. Non dixeram? ſic eſſe ſincerum juvat!
ASOT. Uſquamne, Superi, tam procax ſervus fuit?
ERAST. Ah! parce, Frater, ludere in præſens amat;
Nec iſta, crede, ſeriò objectat probra.
Tu mitte nugas pariter, ac, ſi quid potes,
Utrique rebus commoda in miſeris manum.
DROM. Et te quid iſtis retinet etiamnum plagis?
Delatum in oras rebar incolumem Atticas.
ERAST. Sceleſte! *DROM.* Quantus inde remeabis domum!
ERAST. Impune pergis ludere in noſtras vices?
Vah! tempus hodie commodè nactus tuum es,
Deriſor; aliàs futili parcas joco....
Quanquam agere tecum ſupplici malim prece...
Dromo mi, per iſtam, qua vales tantùm, fidem,
Miſereſce. *DROM.* Tacitis viden' ut irrepunt dolis,
Adituſque molles, queis capi poſſim, obſident!
Abſiſte; vincor: ergo quid facto eſt opus?
ERAST. O ſi mihi, Fratrique, quos noſtri aureos
Deeſſe miſeris, dexter alicunde eruas!
DROM. Operoſa res eſt, ædepol, quam tu rogas,
Et plena laqueis. *ERAST.* Macte, fœcundum excute
Pectus; ſagacis facinus hoc dignum ingeni.
EUG. Adeone fraudes tutus adverſum tuas
Philochryſus, ut, quos ſordidus condit domi,
Eripere loculos, quà vales arte, haud queas?
DROM. Ita novus hoſpes, Eugeni, aut ullis putas
Poſſe excubantem decipi inſidiis virum?
Mihi crede, non ſic pervigil pellem auream,
Aut ſacra fertur poma tutatus Draco;
Opes ut ille ſervat attentus ſuas.
Sin obſeratis laribus extulerit pedem,
Adeſt Panurgus illicò, & circum fores
Perennis omnem claudit excubitor viam.
EUG. Tot fallere oculos, ſentio, hoc opus, hic labor;
Nec imperitam tanta res poſcit manum.
ASOT. Utinam in receſſu nemoris, hic ſeſe avius
Obtulerit! *ERAST.* Ille ſcilicet patri comes
Aſſiduus; auri ſtimulat accenſam ſitim:
Fœdaſque ſordes uſque laudator probat.

* *Hæc dicendo recedit.*

Quim

Quin & ſeveri ſæpè cenſoris vices
Exercet, & nos, dum placet patri, increpat.
DROM. At ecce prodit Pamphilus. *ASOT.* Bellè, obviam
Occurro.

SCENA III.

PAMPHILUS, ASOTUS, ERASTUS, EUGENIUS, DROMO.

PAMPHILUS.

Quid agit Frater? *ASOT.* Hoc prorſus latet,
Mi Patrue, at, ni protinus miſerum adjuves,
Et debiti aliqua parte diſſolvas reum,
Scis ipſe, quales creditor turbas agat.
EUG. Miſereſce, Genitor, dura cognatos premunt
Et iniqua nimium fata; tam rigidum Patrem
Parcumque gazas inter immenſas habent!
PAMP. Philochryſum adibo, fallor, aut aliquid dabit,
Tam læta jam jam nuncia inopino feram.
DROM. Philochryſus ut det aliquid? ignoras virum:
Dandi vel ipſum nomen ignotum puta.
ERAST. An noſſe liceat, Patrue, quid portes rei?
PAMP. Mox ſcire dabitur, interim fratrem alloquar.
* Eſt Frater intus? ** Pulſat fores.*

SCENA IV.

PHILOCHRYSUS, PAMPHILUS, ASOTUS, ERASTUS, EUGENIUS, DROMO.

PHILOCHRYSUS *intus.*

Ecquis hic pulſat fores?
PAMP. Philochryſe. Frater Pamphilus. *PHIL.* * Tun'Fratrem ais? ** Intus.*
PAMP. Ipſe, ipſe. *PHIL.* * Quid vult. *PAMP.* Pauca. *PHIL.* * Vix ** Intus.* ** Intus.*
mihi jam vacat.
PAMP. Imò reclude, frater, en quiddam affero;
Quod te beare poſſit. *PHIL.* * Actutum advolo. ** Intus.*
DROM. Spes avida lucri vincit ignavos metus.
Ut concitatis paſſibus curſum explicat
Feſtinus! *PHIL.* *a* Heu me! furibus plena eſt domus! *a Januam aperit & turbam obſervat.*
Vitamne Fratri, perfide, ereptam cupis?
b Adeſte, adeſte, vim precor, ſcelus ac nefas *b Januam claudit.*
Arcete. *PAMP.* Frater, quid times, vel cur fugis
Averſus? hic eſt nemo non notus tibi;
Vel non amicus; liberi, carus nepos,
Et ante reliquos dulce mancipium Dromo.

Digitized by Google

** Intus.* Recludе limen. *PHIL.* * Apage falcatas manus,
Dudumque noſtris opibus inviſam luem.
PAMP. Quo ſuſpicacem diſtrahit mentem timor?
** Intus.* Confide, Frater. *PHIL.* * Nil agis. *PAMP.* Quanquam, obſecro.
** Intus.* *PHIL.* * Fruſtra es. *PAMP.* Pigebit fortè, nil meritum foras
Fratrem expuliſſe turpiter. *DROM.* Miſerum hinc lupus,
** Intus.* Inde canis angit. *PHIL.* * Ergo ſuſpectam priùs
Procul hinc catervam tu mihi furum ejice.
EUG. Cedamus intro: neminem hic patiens ferat
Adeſſe, fratrem præter; inſidias timet
Sibi paratas. *PAMP.* Ite; quamprimum redux,
Quocumque demum res cadant, monitos dabo.
ASOT. Te noſtra moveant fata. *ERAST.* Neque noſtri excidat
Tibi cura. *PAMP.* Veſtras ſedulò partes agam.

SCENA V.

PHILOCHRYSUS, PANURGUS, PAMPHILUS.

PAMPHILUS.

ABiere, Frater; ſolus hìc adſum: fores
** Intus.* Nunc pande. *PHIL.* * Verum loqueris? *PAMP.* Ut verum magis
** Accenſa lampade totum luſtrat locum.* Nihil eſſe poſſit. *PHIL.* * Salva res: ades huc; liceat,
Panurge, laribus ferre jam tutò pedem.
PAN. Ut noſtra jam ſunt tempora, & mortalium
Veſana habendi pectora exurit fames,
Vel in propinquos juſtus incurrit metus.
Animi ſagacis laudo providentiam.
PHIL. Quid ergo portas, Frater? *PAMP.* Auſculta; & bonam
Tibi gratulare, fata quam ſortem offerunt.
Te Simo moriens ſcripſit hæredem ſenex.
PHIL. Ex Aſſe? *PAMP.* Sic eſt. *PAN.* Sic bonos Superi adjuvant!
** Philochryſum amplectitur.* Ah! liceat, oro, pectus in amicum involem, *
Et noſtra tecum gaudia ut ſeſe explicent!
Non ſi Panurgo talis obtingat favor,
Philochryſe, poſſit facere felicem magis.
PHIL. Ibo, ibo, nequis mittat in prædam manus.
PAN. Periculoſa cardine hoc rerum mora.
PAMP. Quieſce; ſerò cuncta ducentur domum.
PHIL. Gratis? *PAMP.* Opinor. *PHIL.* Dii tibi grates ferant.
Et juſta ſolvant præmia! Ad parvos ſine
Referar penates, interim vive, & vale.
PAN. Ut liberalis indoles prodit palam!
PAMP. At pauca, Frater, habeo quæ tecum loquar.
PHIL. Nam me quid ultra poſcis? *PAMP.* Hoc unum, precor.
Beare nummis aliquot ut Natos velis.
PHIL. Ego te viciſſim, Frater, hoc unum, precor,

Ne

Ne vana mentem cura Natorum gravet;
Hunc mihi laborem linque. *PAN.* Sapienter mones,
Philochyſe; propiùs neminem is ſpectat labor
Ipſo parente; filius quidquid nocens
Peccat, vel inſons ſceleris arguitur pater,
Damnumque patitur. *PAMP.* Juris haud quidquam tui
Velim occupare, Frater; aſt auctum recens
Tot opibus, an te pauca largiri piget;
Nati unde ſortem gaudeant tecum bonam?
PHIL. Huc uſque nimiùm gravibus impenſis queror
Stetiſſe ſobolis gaudia. *PAN.* Ah! memini aſperas
Dolere tecum ſæpiùs patrum vices.
PAMP. Ergo-ne miſeris feſta depereat dies?
Quid te gravabit aureos ſi quos dabis?
PHIL. Næ me impotentem mentis efficies, reor,
Inſanientem dum fero. *PAMP.* At.... *PHIL.* Dixi hoc tibi
Jam ſæpè; nec idem rurſus indictum volo,
Dilecte Frater: liberos perdis meos,
Tecum iſta ſapere, dum doces: luxu fluit
Uterque, choreis, dapibus & ludo vacant,
Paribuſque ſolidos conterunt nugis dies.
Ac vitia juvenum fortè ſi Genitor paret
Corrigere; ſubitò Patrui appellant fidem,
Factum & tuentur. *PAN.* Prona jam ſatis ad malum
Hodie juventus, nec fodi ſtimulis eget.
PHIL. Oracla fundit... aureas rurſum ingere,
Panurge, voces. *PAN.* Prona jam ſatis ad malum
Hodie juventus, nec fodi ſtimulis eget.
PHIL. Capis iſta, Frater? *PAMP.* Me tui, Frater, piget,
Adeo procaces ſuſcitas de te jocos;
Novam & diebus ſingulis ſcenam paras.
PHIL. Non video, Frater, iſta cur jactes probra.
Panurge, teſtem te volo. *PAN.* Hoc livor malus
Habet, innocentes dente ut inviſo petat.
PAMP. Hac te obſoletum veſte quis patiens ferat,
Teneatve riſus? *PHIL.* Veſtis hæc tibi non placet?
An illa totum non probè corpus tegit?
Nam quos in uſus nata? nimirum ut modos
Captem recentes ſenior, atque auro rigens
Inſanientum futiles ritus ſequar.
PAN. Tam dura dum ſunt tempora, & quot quot dies
Eunt, queruntur ſinguli acciſas opes?
PHIL. Audis? an ille falſa mentitus refert?
PAMP. Ah! mitte ſordes! *PHIL.* Quas mihi ſordes canis?
PAMP. Quas nullus unquam ſanus admittat. *PHIL.* Nego,
Et pernegabo. *PAMP.* Nocte ſub ſera fores
Si fors amicus pulſet, actutum puer
Exclamat intus, haud herus cœnat domi.

Digitized by Google

Conviva vel ſi quiſpiam tecum accubet,
Hac lege recipis, ſymbolum det ut ſuum.
PHIL. Hoc increpandus nomine ut videar tibi?
Quid ais, Panurge? *PAN.* Miror ingenium viri,
Et iniqua, queis laceſſit immeritum, probra.
Meruit videri ſordidus, quiſquis famem
Explere propriis opibus alienam abnuit?
PAMP. Et dum paratum ſurripis mulo hordeum
Te ſordidum negabis? *PHIL.* Hoc decuit dolo
Nimiùm voracis belluæ ingluviem premi.
PAMP. At non inulta facinus inviſum tulit:
Meminiſſe potis es, Frater, & nondum bene
Obducta, furti conſcium plaga admonet.
PAN. Tam durus eſſe frater in fratrem queat?
Philochryſe, miſeras doleo, quas pateris vices.
PAMP. Nec iſta credo, nox tibi mente excidit,
Quam Tu, falernos inter excubitor cados,
Dum pertinaces ſervulo inſidias ſtruis;
Ne fortè clam te quidpiam hauriret meri,
Totam obſeratis foribus egiſti vigil.
PAN. Tun' ſervulorum furta, tun' fraudem approbes?
Mitte iſta, ſodes, Pamphile. Hæc fratrem haud pudet
Objicere fratri? *PAMP.* Nec tibi illudi vides?
Nec, quos Panurgus tendit, advertis dolos?
PAN. Viden' ut iniquis uſque maledictis parent.
Quicumque fuci neſcios mores colunt?
Philochryſe, noſti; de tua ſiquid domo,
Te præter, avidus ambiam, aut ſi quid ſequar.
PHIL. Fruſtra probatam, Frater, incuſas fidem:
Haud illum amare deſinam; * qui me, & meos
Magis vel ipſa luce dilectos habet.
Igitur quieſce. *PAMP.* Frater hoc dixi tibi
Jam ſæpè; nec idem rurſus indictum volo.
Abominanda laribus irrepſit lues:
Totam tibi quæ reddit inviſam domum,
Certumque ſordes per tuas lucrum appetit.
Tecum hæc revolve, ſi quid etiamnum ſapis;
Ne vanus augur forſan inveniar, vale.

* Panurgum amplectitur.

SCENA VI.

PHILOCHRYSUS, PANURGUS.

PHILOCHRYSUS.

UT tumidus arſit! ne tamen gravius dole;
Si te immerentem petiit iratus probris.
PAN. Ah! mitte curam, Amice, quam pro me geris;

Nec

Nec plura dubitem ferre, dum cupidum tui
Animum probare liceat. *PHIL.* Hoc ſaltem æſtima;
Quàm vili inane ſit mihi augurium loco.
Tu frater, gemina prole tu potior mihi.
PAN. Imò, imò: ſi qua parte ſuſpectum putas,
Philochryſe, procul hinc ejice inviſum caput.
Nil obſto, nil repugno. *PHIL.* Quid Amicum ulceras:
PAN. Saltem ah! perennis ſubtrahi ingratam ſinas
Cauſam querelæ; liceat ad tempus, precor,
Quanquam moleſtum eſt, ut tua abſtineam domo,
Ne doleat ultra Frater, & ne quid tuis
Natis ſuperſit, unde nil meritum oderint.
PHIL. Quid ais, Panurge? ten' ſine ut placidos queam
Exigere ſoles? ſentio nondum intimi
Patuere ſenſus: ut magis conſtet fides;
Quod facere meditor, unus arcanum excipe.
PAN. Et hoc amicum eſt; ſcito commiſſum tamen,
Fidoque cordi creditum, quidquid voles.
PHIL. Habeo probatis arculam plenam aureis,
Quam ſervo dudum pervigil cuſtos domi,
Olim ſenectæ dulce ſolamen meæ.
PAN. Bellè; ante tempus temere profundas opes.
PHIL. At hinc perennes liberi incutiunt metus;
Scis inde, quales Frater inſidias ſtruat.
Nec ſervus ipſe commodum furto locum
Nactus, rapaces teneat à præda manus.
Proin paratos fugere tot laqueos volo.
PAN. Securitatis certus eſt cuſtos metus.
PHIL. Eſt in receſſu proximi nemoris, cavus
Mihi notus uni, denſa quem circum undique
Opacat arbor, & gravis claudit lapis.
His in latebris, credo, depoſitum benè
Latebit aurum, nec malos deinceps dolos
Timebit. *PAN.* Iſtam, certa res, mentem Dei
Dedere; ſanum perage conſilium ocyus.
Funeſta parvæ damna pepererunt moræ.
PHIL. Eamus; at Tu porriges operi manum,
Panurge, facti teſtis ac fidus comes?
PAN. Nil eſt, amici facere quod cauſa negem.

Finis Actus primi.

ACTUS

ACTUS II.

SCENA PRIMA.

PHILOCHRYSUS.

PEracta res eſt: eſſe ſecurum licet;
Procul & periclo conditæ latitant opes.
Jam curioſis liberi obſervent domum
Oculis, & omnes angulos furtim occupent.
Plaudam ipſe mihimet interim, & inanes dolos
Ridebo ..... Superi! quam grave excuſſum eſt onus!!
Quem nulla potuit capere ſollicitum quies;
Nunc otioſum blandus excipiet ſopor;
Noctemque luci junget ..... Hoc etiam lucro
Mihi putandum non levi; quod, dum abditæ
Nemorum in latebris ſic opes noſtræ jacent,
Nihil ab acervo ſinguli imminuent dies .....
Intra penates clavibus centum ilicet
Claudatur aurum, gravibus inſidiis patet,
Quas vel reluctans mihimet interdum ſtruam.
O me beatum! flebili occurſum eſt malo:
Fur ipſe nummos rapere ne poſſim meos.....
* At, at quis aures venit ad noſtras ſonus?
A nemore numquid proximo?..... Perii, occidi!!
Suboluit aurum, ſentio.

* *Audit ſtrepitum mox adventantium.*

SCENA II.

PHILOCHRYSUS, ASOTUS, ERASTUS.

PHILOCHRYSUS.

QUò vos gradum,
Aut unde fertis? *ASOT.* Patrui egreſſos domo
Vides utrumque, Genitor. *PHIL.* Hoc verum rear?
ASOT. Quid, oro, proſit eſſe mendaces, Pater!
PHIL. Non intuliſtis alteram in partem pedes?
Eraſte? *ERAST.* Nuſquam. *PHIL.* Gaudeo, aſt, unum obſecro;
Cur iſta veſtis ſic tumet? * *ASOT.* Sic mos tulit
Uſuſque, Genitor. *PHIL.* Peſſimum ego morem improbo:
Ridiculum, ineptum, noxiam panni luem,
Furtiſque, ſiquid forte ſubreptum foret,
Aptum occulendis. *ASOT.* Tu, precor, mentem explica:
Mene hæc querela, Genitor, an fratrem petit?
PHIL. Si regere mores urbis imperio datum,

* *Latiores manicas, folleatam ab utroque latere tunicam excutit.*

Uſum

Uſum inficetum penitus aboleri velim.
ERAST. Nam quò iſta tendunt?.... Video, ſuſpecti ſumus;
Factique turpis ambo damnamur rei
Vel immerentes .... ede, ſi quidquam arguis,
Quod tam pudendis dederit opprobriis locum.
PHIL. Hoc facere veſtrum eſt; veſter hic fuerit labor;
Ne ſuſpicari tale quid meritò queam.
Hæc monita vobis interim pauca ingeram.
Tu facere magnos, qui nec ætatem decent,
Nec quod dederunt Dii genus, ſumptus amas,
Aſote; luxum ni ſtatim inſanum premis,
Mox, quando propriis legibus vitam exiges,
Paterna ſtultè prodigus perdes bona,
Miſerumque egeſtas turpis ad laqueum trahet.
ASOT. Men' eſſe parcum, Genitor, & avarum cupis?
PHIL. Utinam! tuetur parcitas prudens opes,
Quas ſtulta perdit uſque prodigalitas.
ASOT. Quid proſit aurum quandiu abſtruſum latet?
PHLI. * Res tota utrique patuit; arcanum palam eſt .... ** Seorſum.*
Erumpere ardet animus, & .... priùs at locum
Luſtrabo .... * Senſus iſte patri non placet, ** Redit ad Aſotum.*
Aſote; pravam, ſi ſapis, muta indolem:
Parere vel ſi monitus imperio negas,
Quid facere patrem deceat iratum ſcies.
Fraterna ne te exempla corrumpant, cave,
Eraſte; docilem te quidem & tractabilem
Natura finxit; ſed laborem defugis:
Et inerte torpes otio: hanc maculam elue,
Dum patitur ætas tenera, dum tempus ſinit;
Serò venit medela, cum crevit malum ....
Res urget aliqua, meque diverſum vocat;
Valete, Nati: ſi quis abſentem roget;
Mox redeo: fidas interim excubias mihi
Peragite: ſi quid fuerit ablatum domi;
Uterque, moneo, ſceleris invidiam feret.

SCENA III.

ASOTUS, ERASTUS.

ASOTUS.

HAnc ergo ſegnes turpis opprobrii notam
Feremus?.... Ecquid crimine intactum putet,
Utrumque furti ſi pater damnat reos?
ERAST. Huc illum adegit impotens auri furor,
Dilecte Frater; vix opes ſibimet ſuas
Impune credit Genitor. *ASOT*. Ah! ni me inſitus

Etiam

Digitized by Google

Etiam teneret cardine hoc rerum pudor,
Pol, non inanes fingat inſipiens metus.
ERAST. Quanquam quid hoc eſt, Frater? en vacuos lares
Relinquit ultro, nec ſuis opibus timet:
Non ipſe, non Panurgus excubias agit.
Nobiſne forſan ſtrueret aſtutus dolos;
Et experiri vellet incertam fidem?
Dum loquimur, iſtis fortè de latebris videt
Propiùs, & audit omnia .... hem .... * Strepitum haurio!
Occidimus! ipſe eſt, Frater; aufugere hinc libet,
Adeſto .... *ASOT*. Frater, ne time; huc infert gradum
Patruus, & unà ſequitur Eugenius comes.

* *Audit ſonum venientium.*

SCENA IV.

PAMPHILUS, ASOTUS, ERASTUS, EUGENIUS.

PAMPHILUS.

Quid hìc inertes ambo? *ASOT*. Nos Patris, ut vides,
Quod imperavit ille, tutamur domum.
PAMP. Quò ceſſit ipſe? *ASOT*. Prorſus ignotum rogas.
PAMP. Placiduſne vobis tandem & humanus pater?
ERAST. Quid loqueris, eheu! Patrue: nil præter probra
Audiimus! ac, ſi quid crepat veri parens,
Fures, maloque perditi luxu ſumus.
PAMP. Me veſtra tangunt fata. *ASOT*. Nummorum interim
Nihil eſt: novaſque creditor jactat minas,
Ni tota pacto ſumma ſolvatur die.
PAMP. Confide: durum ſi ſe & immitem pater
Probabit uſque; Patruum facilem magis,
Magis & amicum ſenties. *ASOT*. Meritas, ſine,
Quas tanta pietas exigit, grates agam.
EUG. An non Eraſto quidpiam pariter dabis,
Dilecte Genitor? mene tam grato velis
Carere ſocio? *PAMP*. Spondeo: adjungam hunc tibi,
Quocumque demum res cadat, comitem viæ.
EUG. Ut me beaſti, Genitor! haud quidquam eſt ſuper
Deinde expetendum. *ERAST*. Gratiæ cumulum adjicis;
Obliterare nulla quam poterit dies.

SCE-

SCENA V.

PAMPHILUS, ASOTUS, ERASTUS, EUGENIUS, DROMO.

DROMO.

Rem teneo: vel ſi fallor, aſtutus malè
Philochryſus herus eſt. *ASOT.* Fare, quid rerum eſt, Dromo?
Quid loqueris? *DROM.* Etiam video recluſos lares?
Apparet intus nemo, qui ſervet domum?
Quid anime dubitas?... *ERAST.* Rurſus inviſa placet
Jactare miſeros uſque deriſor mora?
DROM. An non videtis inde ſublatas opes?
Et qui diu noctuque perpetuus domi
Excubitor, oculis vix dabat ſomnum ſuis,
Hunc jam morari, quo loco nummi jacent?
EUG. Nec veſter ille ſervulus nihilum ſapit;
Vobis nec iſta parte conjector malus
Metuit videri; tandiu nam cur abeſt,
Vel unde factum, ut, nulla quod vidit dies,
Jam clauſtra cunctis inviæ pateant domus?
Aut ipſe fallor, aliquis aut latet hic dolus.
PAMP. Nam quò receſſit Frater? *DROM.* Hac viſus pedes
Inferre, qua ſe proximum pandit nemus.
ERAST. Quid eſſe credam? *PAMP.* Nemo ſtipabat latus?
Aut ſubſecutus ponè pergentem fuit?
DROM. Vel nullus, oculos ille vel luſit meos.
ASOT. Ah! video; Natis uſque diffidens pater
Nemorum latebras inter aut alto in ſpecu
Celavit aurum. *DROM.* Quoque dubitetis minus,
Rediens eandem manè carpebat viam.
ASOT. Cur non, Sceleſte, propiùs inſtabas patri,
Oculo ſequaci callidè obſervans virum?
DROM. Scilicet, ut iſta prenſus in ſpecula miſer,
Malè curioſi ſervuli pœnas darem.
ASOT. Rem tegere verbis illico, & ſpecie obſequii
Etiam probatum facere potuiſſes dolum?
DROM. Ut hic recocto fucus illudat ſeni?
Dudum iſta retudit tela: ſed tu me, precor,
Permitte mihimet; ſæpe, ni falſum augurer,
Suos amores cupidus inviſet parens,
Dabitque facilem cuncta ſpeculandi locum.
EUG. O ſi latebris fortè Theſaurum ſuis
Eruere liceat! ſequere quam monſtrant viam
Amica deinceps numina; ingenium excute
Partes in omnes: quod potes, quod non potes

** Poſt ſiparium.*

Molire Dromo mi. *PHIL.* * Quo ſequar? quo non ſequar?
Fugere .... prorſus nullus eſt .... perii, occidi?....
ERAST. Vox illa, Frater, Patris eſt: audin'? *ASOT.* Sile.

** Poſt ſiparium.*

PHIL. * Adeſte, adeſte;... ferte populares opem ...
Profugos tenete, perimite .... *ASOT.* Agnoſco, ipſus eſt:
DROM. Quid queritur? *ASOT.* Iſtud inde ſcrutari placet
Cum fratre; vos, hac ite; mox facto impetu
Simul ruemus obviam.

SCENA VI.

PHILOCHRYSUS.

HEu me! quò ferar?
Quid ſtatuo?... vires, animus, & vox deficit ....
Men' eſſe quiſquam poſſit infelix magis?
Hem, ſiſte .... fures audio, video, intuor ...
Hinc, inde .... & illac .... perfidi illuc avolant ....

** Videtur ſibi fures comprehendere.*

Teneo .... * ſceleſti, reddite ablatas opes ...
Aut .... Fallor .... etiam faſcinant oculos, reor,
Meaſque prenſi ſubdolè effugiunt manus!
Ah! morere, morere! vita quid miſerum juvat,
Si dulce vitæ gaudium, & blandum decus
Diſpereat aurum!.

SCENA VII.

PHILOCHRYSUS, ASOTUS, ERASTUS, PAMPHILUS, EUGENIUS, DROMO.

ASOTUS.

QUis tibi hos luctus parit,
Dilecte Genitor? *ERAST.* Quid doles tantum pater?
Effare. *PAMP.* Quis te, Frater, exanimat metus?
EUG. Mi Patrue .... *DROM.* O ſi noſſe contingat virum,
Iſthæc hero lamenta qui durus movet!
PHIL. En proditores, ecce furciferum genus;
Quos ego cruentis nunc date afficiam modis!
Ite, ite .... lora, carcerem, ferrum, cruces
Aptate .... tota pereat infamis domus ....
Scelerata ſoboles impium admiſit ſcelus;
Nec pœnitet feciſſe, nec facti pudet!
ASOT. Quid immerentes, Genitor, exagitas probris?
Vel increpare parce, vel crimen doce.

** Accedit ad ſilium tanquam mortem illaturus.*

PHIL. Crimen petis, nefande, dum ſpolias patrem?...
Quod abſtuliſti redde, * vel mortem accipe.
ASOT. Ego abſtuliſſem quid tibi? atteſtor polum,

Et

Et aſtra juro conſcia, ut vitæ integer,
Puruſque ſceleris animus .... *PHIL.* * Eſt igitur nocens
Reuſque furti junior?... *ERAST.* Superi! *PHIL.* Huc ades,
Puſio, fatere crimen, aut cæſum flagris,
Animam inter ictus, donec exſpires, dabo.
ERAST. Quid loqueris heu me! Genitor?... ah! totum inſpice,
Scrutare me me penitus: hinc dextram inſere,
Et inde, * viden' ut nullus eſt fraudi locus,
Et innocentem temere flagitii arguis.
PHIL. Tam turpe, video, ſuaſit ambobus nefas
Infida ſoboles Pamphili? *EUG.* Hoc in me cadat
Facinus? ut auctor eſſe cognatis queam
Adeo malignæ fraudis! ah! vel ſi hoc velim
Suadere, neuter, Patrue, conſilium audiat.
DROM. Aliò nocentes quære: quid tempus teris?
Sceleris vel umbram, quotquot hic adſunt, timent.
PHIL. *a* Hic te volebam, prædo: queis tandem artibus
Præſtigiator, de mea elapſus manu
Merita excidiſti morte? nil actum eſt tamen:
Iſthæc nefandum dextra mactabit caput, *b*
Clauderque voci gutture eliſo viam.
DROM. Heu me! quid egi? parce .... Per ſi qua eſt fides,
Succurrite, oro. *PHIL.* *c* Redde. *DROM.* Quid reddam jubes?
PHIL. Quod ſuſtuliſti. *DROM.* Nil tibi ereptum ſcio.
PHIL. *d* Etiam negabis? *DROM.* Pernego .... *e* ah!.... perii ... date,
Date opem. *PHIL.* Fatere. *PAMP.* Durus es, Frater nimis.
Nec video, quo tu ſervulum jure eneces,
Niſi fortè ſceleris conſcium admiſſi probas.
PHIL. Ten' eſſe pariter fraudis artificem impiæ?
Hos machinari non pudet fratri dolos?...
Heu! quid agam? in unum tota conjurat domus,
Mancipia, Frater, liberi vitam invident!
PAMP. Animi æſtuantis, Frater, excuſo impetum:
Nec iſta patiar probra, ni mentem dolor
Agat impotentem ... Da brevem irarum modum,
Placiduſque tandem pectoris curas doce;
Non eſt medela forſan ut careat malum.
PHIL. *f* Ego vos, per iſtæc genua quæ teneo, & meis
Perfundo lacrymis, ſi quis ereptas habet,
Opes reponat! *PAMP.* Quereris ereptas opes?
PHIL. Sic eſt: probatis arculam plenam aureis
Prædo nefandus, quiſquis eſt, miſero abſtulit!
DROM. *g* Utinam veniret arcula in noſtras manus!
Vah! ſi vel aſſis inde reddatur tibi.
ASOT. Quis abſtuliſſet? Nullus ingreſſus domum eſt
Abſente patre. *ERAST.* Fidus excubitor ſtetit
Uterque noſtrum foribus. *EUG.* Hoc tu, ſi voles,
Teſtabor ultro, Patrue. *PHIL.* Ereptum domi

** Ad Eraſtum.*

** Manus inſerit in Eraſti peras, deinde ad Aſotum pergit quem excutit pariter.*

a Quaſi Dromonem non advertiſſet.

b Parat impingere pugnum in caput: mox injecta in fauces manu conatur ſtrangulare.

c Dromonem ſtringens.

d Fortiùs ſtringendo.

e Sentiens ſe ſuffocari.

f Procidit ad ipſorum genua.

g Seorſum.

Nihil

Nihil eſt. *EUG.* Ubi ergo turpe commiſſum nefas
Quereris? *PHIL.* Reductus proxima in ſylva cavus
a Seorſum. Servabat aurum. *DROM.* a Cauſa ni Juvenum vetet,
Vel inter iſtas ipſe riderem vices.
PAMP. Nulluſne teſtis? nemo ſpeculator procul,
Cum fortè tacita conderes aurum in ſpecu?
PHIL. Nemo unus, aut ſi quiſpiam facto adfuit,
Non ille fraudis eſſe ſuſpectus poteſt.
PAMP. Res ergo nota cuipiam? *PHIL.* Hoc verum eſt quidem.
PAMP. Jam nomen ede, Frater. *PHIL.* En edam; át cave
Virum innocentem ſceleris artificem putes.
PAMP. Cedo quis? *PHIL.* Panurgus aderat, atque operam bonus
Navavit ultro. *DROM.* Commodè: hanc operam bonus
Navavit ultro pariter, ut nimiùm gravem
Eximeret auri ſarcinam. *PHIL.* Obloqueris, ſcelus?
DROM. Me reprimo: ſanctum temere culpabam virum..
PAMP. Etiamne, Frater, ſic tibi imponi ſinas?
Tu, dum immerentes liberos damnas parens,
Ipſum, ipſum iniquæ fraudis abſolvis reum?
PHIL. Id eſſe credam? *DROM.* Tam bonum incuſes virum?
Tu potiùs auri ſponte jacturam feras.
ERAST. Ah! parce nugis. *PHIL.* Ergo quid facto eſt opus?
ASOT. Ibo, ibo: nummos reddet ereptos dolo:
Vel ad tribunal judicis vinctus probè
Trahetur. *EUG.* Ecce me tibi adjungam comes
Animiſque tecum paribus in furem invehar;
Eamus. *DROM.* At ſi pertinax factum neget,
Quo tu revinces teſte? *ASOT.* Si factum abnuit,
Fuſo cruore perfidus pœnas luet.
DROM. Auro carebis interim, & tota pater
Cantatus urbe fabulam populo dabit.
* Ad Dromonem. *PHIL.* * Tu pande, ſi qua rebus in miſeris via eſt,
Amice. *DROM.* Nunc amicus: at modo fur, ſcelus,
Prædo vocabar. *ERAST.* Dixit iratus parens.
DROM. Uterque Natus me tibi placidum facit.
Gratare ſoboli, Genitor, & grates habe.
Confidite; ultro reddet ablatas opes
Panurgus. *PHIL.* Ultro? *DROM.* Spondeo: at legem accipe.
PHIL. Nil moror. *DROM.* Aſoto tu dabis centum aureos;
Lex prima. *PHIL.* Dura lex! *DROM.* Item centum feret
Nummos Eraſtus. *PHIL.* Siſte: quid furto intereſt,
Peream an rapinis? *DROM.* An negas? *PHIL.* Vitam eripe.
DROM. Item Dromonem ſervulum mittes manu,
Dulciſque fiet deinde libertus tibi.
PHIL. An reſtat aliud, verbero infelix? *DROM.* Item
Maleſanam habendi, ſi potes, pelles ſitim.
Implebis? *PHIL.* Heu! quis eſſe jam poſſit ſuper
Locus optioni? *ERAST.* Cuncta præſtabit parens.

DROM.

Digitized by Google

DROM. Promittis? *PHIL.* Aurum redde; dein miſerum eneca.
DROM. Eamus intro; reliqua peragentur domi.

Finis Actus ſecundi.

ACTUS III.

SCENA PRIMA.

PANURGUS.

QUis me beatus vivit ac felix magis?
Tam pondus auri grande momento obtigit!
At, at cavebo, nequis objiciat mihi,
Quas ille ſordes opibus in mediis egens
Admiſit .... Ecquid eſſe locupletem juvet,
Partis frui ni noris utendo bonis?
Tamen hunc tenere neſciit vitæ modum
Philochryſus, iſta ſorte contentus ſatis,
Gravem aureorum ſi ſuper cumulum accubet.
Næ dignus hodie, qui gradu tali excidat;
Suaſque linquat alteri utendas opes!
Eadem Panurgo fata contingant, precor;
Jacere inertes deinde ſi nummos ferat.
Curabo genium: parvulam ornabit domum
Solito ſupellex mundior: menſam optimis
Onerabo dapibus; quoſque fors ſuperi volent
Adjungere ultra, ſuaviter peragam dies.
Nunc occulendus ſedulò ſupereſt dolus;
Ac longiorem facere ne videar moram,
Suſpecta quæ ſit forte, pulſemus fores;
Noſtroque parcum more palpemus virum.
Philochryſe.

SCENA II.

PHILOCHRYSUS, PANURGUS.

PHILOCHRYSUS *intus.*

QUis is es? *PAN.* Fidus & amicus tibi
Panurgus. *PHIL.* Ut te video & amplector lubens,
Amice. *PAN.* Tu me gaudio ſimili beas.
Nunc, fare, quid agis, obſecro?.... at nemo intus eſt,
Qui colloquentes audiat? *PHIL.* Nil hinc time.

PAN. Satin, eſt quietus animus, & cura vacat?
PHIL. Me nullus angit, nullus exſtimulat metus,
Fidelis ex quo ſylva Theſauros habet.
Rixæ exularunt, alta pax regnat domi;
Et nocte, ſpero, proxima irriguus ſopor
Tranquilla condet lumina in multam diem.
PAN. An vanus augur, iſta, quæ memoras, modo
Tibi canebam? Non bene hic aurum jacet,
Fruſtraque dominus eſſe ſecurus velit,
Ubi turba eoſdem tam frequens habitat lares.
PHIL. Verum ò nimis, Panurge: ſed quales feram
Grates amico pectori? ò utinam parem
Rependere animum liceat! *PAN.* Officium approbas?
Votum hoc ſuper: mercedis hoc unum loco eſt,
Placuiſſe. *PHIL.* Meritis ſic novum cumulum aggeras.
At habeo, Amice, ſana, quæ rurſum petam,
Conſilia. *PAN.* Ad omne promptus obſequium advolo:
Eloquere. *PHIL.* Scripſit me ſibi hæredem ſenex,
Ut ipſe noſti, Simo: jam latum mihi eſt,
Tam quidquid auri, quàm quod argenti fuit.
Quid facere jubeas? ten' mihi auctorem rear,
Ut iſta mecum ſumma remoretur domi?
An illa migret potiùs in eundem locum?
PAN. Quid ipſe cenſes? *PHIL.* Vis, ego ut apertum loquar?
Res tota Fratri patuit: is me auctum recens
Simonis opibus, ipſe quàm ſcirem priùs,
Jam norat: hoc ſi Nati & aſtutus Dromo
Subolere poſſint, priſtini redeunt metus;
Et expetita deſeret miſerum quies.
PAN. Philochryſe, ſana loqueris, & acutum vides
In rebus; & te nil opus quiſquam ut paret
Monere deinceps. *PHIL.* Ergo perſuades mihi,
Ut hæc priori ſumma jungatur comes.
PAN. Prudenter: hæc te ratio ſecurum dabit,
Dolos & omnes pariter ac curam eximet.
PHIL. Nihil moræ eſt, Amice, conſilium ſequar.
Aſt aderis ipſe ſocius, atque operi manum
Iterum admovebis? *PAN.* Quod voles cumque impera,
Tua juſſa noſtrum eſt exequi. *PHIL.* Paulum, obſecro,
Subſiſte, jam jam redeo: numeratos probè
Bis mille tenui capſula nummos feram.

SCENA III.

PANURGUS.

UT amica rident fata! proh! lætam diem
Albaque reliquas ante ſignandam nota!

Bis

Bis mille denis millibus nummum additi,
Diis invidendam, credo, fortunam offerunt!
Agedum; ſecundam, dum licet, fortem lucro
Appone; ſemel elapſa vix aliàs redit....
At ecce menti ſcrupulus ſe ſe objicit,
Et noſtra turbat gaudia.... Effoſſum ſuo
Philochryſus aurum quando perſpiciet loco;
Mora nulla, furti dicar admiſſi reus,
Cui licuit uni noſſe quod cunctis latet;
Factumque quamvis pernegem atteſtans Deos,
Haud facere videar poſſe juratus fidem,
Defodere nummos rurſum ut eluſus velit.
Quid agam?.... latebris tacitus ablatas opes
Suis reponam; mox ubi abſtruſus cavo
Recens jacebit loculus, utrumque auferam;
Geminoque dives pignore hinc fugiam procul.
En prodit.

SCENA IV.

PHILOCRYSUS, PANURGUS.

PHILOCRYSUS.

Actum eſt: ſequere; dum ferrum calet,
Urgenda res eſt. *PAN.* Video, ni grave ſit tamen,
Permitte, parvos ut priùs repetam lares,
Eſt aliquis intus facere quem miſſum velim.
Cum res peracta fuerit, ad notum ferar,
Teque, obſequendi cupidus, opperiar locum.
PHIL. Tu ſtatue porro, quod lubet cumque; interim,
Dum te reviſam, plurimùm ut valeas, precor.
PAN. Et te, tuaſque res tibi incolumes velim. * — ** Abit.*
PHIL. Belle! ſecundos vota ſucceſſus habent,
Et in paratos incidit caſſes fera.
Adeſte, adeſte....

SCENA V.

PHILOCHRYSUS, PAMPHILUS, ASOTUS, ERASTUS, EUGENIUS, DROMO.

ASOTUS ad Pamphilum.

Patrue, nos Genitor vocat.
* *An.* læta refers verba? *ERAST.* Succeſſit dolus; — ** Ad Philochryſum.*
Et captus hamo piſcis oblato ſtetit?
PHIL. Durate, fauſto cuncta procedunt gradu.

DROM. Vivat decori machinator facinoris,
Et invidendum jactet ingenium Dromo!
PAMP. At iſtud, oro, Frater, ut factum eſt, doce.
EUG. Nil eſſe gratum poſſit auditu magis.
PHIL. Ut ille ſenſit, eſſe bis mille aureos,
Quos premere eadem protinus vellem in ſpecu,
Factum approbavit. Tunc ego hortari virum,
Vicinum ut unà pergeret mecum in nemus.
Is multa ſimulans perbrevem petiit moram,
Domum ire priùs ut poſſet. *ERAST.* Ah! ſatis eſt, pater;
Res ipſa loquitur; nempe majorem appetit
Feciſſe prædam cautus; ac ne quem malæ
Suſpicioni faciat ereptus locum
Theſaurus, illuc ire contendit prior,
Furtim ut reponat cuncta, quæ furtim abſtulit;
Dum fœneratos auferat deinde aureos.
DROM. Quid verba perdis? iſta prædixi omnia,
Cum fabricari cœptus eſt animo dolus.
Jam tempus alia poſcit. *PHIL.* Auſculta, Dromo;
Et facere quid te deceat in præſens, cape.
DROM. Auſculto. *PHIL.* Citus i, perge vicinum in nemus;
Non ad ſiniſtram, trita quò ducit via,
Tibi ne Panurgus adſit, at dextram arripe;
Quà trames aditum tenuis occultum facit.
Fidos receſſus cùm ſemel deveneris,
Ubi quercus ingens latiùs pandit comas;
Abſcondere illic ſedulò; & cuncta è tuis
Speculare latebris: ipſe qua pronum eſt iter,
Panurgum adibo: facere ſi fors vim paret
Eluſus, aderis, atque ſuppetias feres.
Non ſtare poterit unus adverſum duos.
DROM. Permitte mihi me, cuncta præſtabo, ut decet.

SCENA VI.

PHILOCHRYSUS, ASOTUS, ERASTUS, PAMPHILUS, EUGENIUS.

PHILOCHRYSUS.

ABeo; pericli nequid adſportet mora.
ASOT. Tu, care Genitor, oro ſis noſtri memor;
Rerum & potitus liberes pactam fidem.
ERAST. Et noſtra pariter vota fac cumules, pater.
EUG. Sic cuncta faciles cœpta fortunent Dei!
PHIL. Vos, nulla ſtimulet cura, contentos dabo.

SCE-

SCENA VII.

PAMPHILUS, ASOTUS, ERASTUS, EUGENIUS.

PAMPHILUS.

QUo vos utrumque duxerim ſemper loco;
Aſote, Tuque, Eraſte, ſpectatum, reor,
Huc uſque feci. *ASOT*. Quid ais? impenſus favor
Amorque meritis major, &, ſi quid ſuper
Deinde expetendum reſtat; hoc Superos rogem,
Ipſi ut rependant, ambo quas nequeunt, vices.
ERAST. Animi receſſus utinam & arcani ſinus
Tibi paterent, corde defixa intimo
Tua dona, Patrue, cerneres! *PAMP*. Nunc idem amor
Stimulat, utrique ut grande documentum ingeram
ERAST. Effare: dociles obſequi & promptos habes.
PAMP. His erudire pariter Eugenium volo.
EUG. Sic uſque verbis, pater, & exemplo doces,
Animi cavere vitia, virtutem ſequi.
PAMP. Quò non habendi ſacra præcipitet fames
Mortale pectus, quotque deteſtabilis
Libido ſoleat eſſe turbarum caput;
Vobis recenti frater exemplo fuit.
ERAST. Meminiſſe refugit animus! *PAMP*. Ah! potiùs velim
Recurrere iſta ſæpè, veſtræque altiùs
Hærere menti; quale ſupplicium luat
Avarus, omnes dum ſibi infeſtos putat
Cunctos peroſus; dum graves animum exedunt
Fodicantque curæ; ne quis arcanum hauriat:
Neu furta ſervi, liberi inſidias ſtruant.
Quis ille furor eſt trahere in excubiis diem,
Noctemque totam ducere inſomnem metu!
Duriter habere ſemet; & miſeram famem
Nummorum acervos inter ingentes pati!
Jam, ſi quis, ut fert vita, congeſtas opes
Auferat Avaro caſus; inſanos piget
Animi æſtuantis impetus rurſum eloqui.
Vidiſtis ecquas actus in furias parens,
Aurum doleret pariter & vitam eripi?
Proin vos cavete, ne mala irrepat lues,
Opumque miſera pectus exurat ſitis.
EUG. Iſtas timere parce cognatis vices:
Utriuſque novi, Genitor, egregiam indolem....
At ecce, credo, jam Dromo accedit redux,
Secumque portat aliquid.

SCENA VIII.

PAMPHILUS, ASOTUS, ERASTUS, EUGENIUS, DROMO *cum Arcula.*

ERASTUS.

An ſalvas refers
Opes parentis? *DROM.* Reprime effrenem impetum;
Neve hæc profanæ propiùs attingant manus.
ASOT. Quid noſtra differs gaudia, & inanes moras
Innectis? *DROM.* En ut animus impatiens regi
Servare nullum didicit in rebus modum.
Paullum quieſce; protinus fiet ſatis
Utrique. * Numquid auribus placet hic ſonus?
ASOT. Iſthæc parentis arcula, hìc aurum latet?
DROM. Dubitas? *ERAST.* Panurgus quidquid eripuit. *DROM.* Fidem
Nec pertinaces, credo, juranti dabunt.
ASOT. Eloquere. *DROM.* * Sonitus iſte non loquitur ſatis?
ASOT. Ignoſce; tantum vix adhuc credo bonum.
EUG. Rem pande nobis, obſecro: & propriis, doce,
Ut captus ipſe ſteterit illuſor dolis.
DROM. Accipite .... In umbra tacitus annoſæ Ilicis
Dum lateo, facilis unde proſpectus patet;
Venit Panurgus pendulo irrepens gradu,
Totaque amicum pondus occultans toga.
Mox ipſe reſerat, lapide ſummoto, cavum:
Et mille figens arculæ hinc, inde oſcula,
Tene ergo, dixit, turpibus rurſum premi
Meos amores durus in tenebris feram?
Id ſceleris in me caderet? hoc in te probrum?
Confide; ab iſta poſtmodum ereptam ſpecu
Te, dulcis arca, dabimus; atque hinc pulchrior
Emerſa, capſa comite remeabis domum.
Hæc ille fatus, arculam refovet ſinu,
Iterum, iterumque blandus amplexu petit.
Et jam fideli dulce depoſitum cavo
Reddebat: ecce ſubitus inopinum occupat
Philochryſus, & me progredi è latebris jubet:
Irruimus: arcam protinus voti caput,
Dum ſe pudendis ambo maledictis petunt,
Arripio .... At ipſe concito accelerat gradu ....
Viden' ut ſerenam lætior frontem explicat,
Animuſque toto geſtiens vultu nitet!

** Concutit Arculam ad eliciendum è nummis ſonum.*

** Arculam iterum concutiens.*

SCE-

SCENA ULTIMA.

PHILOCHRYSUS, ASOTUS, ERASTUS, PAMPHILUS. EUGENIUS, DROMO.

PHILOCHRYSUS.

O Læta demum fata! propitiis juvat
Litare Superis, ſalva res: pulſi metus,
Rediere nummi; perfidus pœnas dedit;
Capitique metuens latro corripuit fugam.
Nunc obligatam reſtat exſolvam fidem.
DROM. Tu providebis ſi voles: hæc interim
Non improbandos arca ſufficiet vades.
PHIL. Timor omnis abſit; vota quod ſuperet, paro.
PAMP. Felicitatis, Frater, hunc cumulum adjice.
PHIL. * Tu pone ſervi nomen, & deinceps mihi
Libertus eſto. *DROM.* Nil moræ eſt; arcam accipe.
Tua ſit .... * Valete; veſtra res agitur; Deos
Precor, ut ſecundo cuncta procedant pede.
EUG. Aliena ſic te tam parum tangunt mala?
ASOT. Sceleſte, ſic nos ludis? *DROM.* Abſtineas probris,
Hominemque juris jam ſui inſultes, cave.
ERAST. Amice, noſtra perge tutari bonus.
PHIL. Ne vana utrumque cura ſollicitum exedat:
Nullum querelis patiar ulteriùs locum.
Adeſte Nati. * Tu prior centum aureos,
Aſote; totidem, Eraſte, centenos cape.
ASOT. Me nulla, Genitor, ſpondeo, immemorem dies
Videbit. *ERAST.* Alto pectori nunquam excidet
Tam dulce munus. *PHIL.* Plura, ſi fuerint opus,
Exigite; honeſtis ſumptibus parcam nihil,
Pudet mei me; priſtinos tandem ratum eſt
Abolere mores penitus, & dudum inſitam
Furialis auri pellere inſanam famem.
At ambo fugite pariter oppoſitam luem;
Libido neve prodiga, & luxus mali
Comes voluptas, moribus labem allinat.
Eamus intro: Tu, Dromo, cœnam appara;
Et feſta nobis reliqua peragatur dies.

*Ad Dromonem.

* Ad geminos Fratres.

* Arcam aperit unde promiſſam utrique ſummam largitur.

Finis Actus tertii & ultimi.

RECITS EN MUSIQUE
QUI ONT SERVI D'INTERMEDES à la Piece de Philochryſe, ou de l'Avare.

PROLOGUE.

Apollon invite la Jeuneſſe à un ſpectacle capable de l'inſtruire, & de la divertir.

APOLLON ET SA SUITE.

APOLLON.

Vous qu' une heureuſe deſtinée
A ſoûmis aux loix d' Apollon:
Accourez du ſacré vallon,
C' eſt en voſtre faveur, Jeuneſſe fortunée,
Que je veux aujourd' huy faire entendre en ces lieux,
Mille concerts mélodieux.

UN DE LA SUITE.

C' eſt Apollon qui nous appelle;
Allons, courons à ſa voix:
Qu' un ſoin fidelle,
Nous rende dignes de ſon choix.

CHOEUR.

Allons, courons à ſa voix:
C' eſt Apollon qui nous appelle:
Par un ſoin fidelle
Montrons-nous dignes de ſon choix.

APOLLON.

Venez tous célebrer une nouvelle Feſte:
Qu' à me ſuivre chacun s' appreſte:
Quittez pour un moment vos plus nobles emplois.
A voſtre age,
On n' eſt pas moins ſage,
Bour ſe divertir quelquefois.

CHOEUR

CHOEUR.

A noſtre age,
On n'eſt pas moins ſage,
Pour ſe divertir quelquefois.

APOLLON.

Sans craindre l'envie,
Gouſtez de nos chants,
Les plus doux accents:
Tout vous y convie:
D'innocents deſirs
Font de la vie,
Les vrays plaiſirs.

CHOEUR.

D'innocents deſirs,
Font de la vie,
Les vrays plaſirs.

UN DE LA SUITE.

Profitons des douceurs que le Ciel nous envoye;
Quittons tout: Apollon de ce feüillage épais,
Nous invite à chanter ſous cet ombrage frais.
Après quelques moments de plaiſir & de joye
Le travail en a plus d'attraits.

DEUX DE LA SUITE.

Son ſon empire,
Tout flatte nos vœux:
Son cœur n'aſpire
Qu'à nous rendre heureux.

APOLLON.

Que vos voix s'uniſſent,
Et qu'à jamais,
Ces lieux retentiſſent
De mes bien-faits.

CHOEUR.

Que nos voix s'uniſſent,
Et qu'à jamais,
Ces lieux retentiſſent
De ſes bien-faits.

PRE-

Digitized by Google

PREMIER INTERMEDE.

MALHEUR DE L'AVARE

Dans la poſſeſſion de ſon Tréſor.

AH! quelle folie!
Quelle étrange manie!
A quoy bon ces treſors l'un ſur l'autre entaſſez?
Ne diras-tu jamais, Avare, c'eſt aſſez?
Profite mieux des douceurs de la vie;
Les ris, les jeux,
Amis du bel age,
Si tu le veux,
Seront ton partage;
Si tu le veux,
Les ris, les jeux
Combleront tes vœux.

CHOEUR.

Les ris, les jeux,
Amis du bel age,
Si tu le veux,
Seront ton partage,
Si tu le veux,
Les ris, les jeux
Combleront tes vœux.

UNE VOIX.

L'argent n'eſt fait que pour l'uſage
Eſt-ce eſtre ſage,
De le tenir dans l'eſclavage?
Avare malheureux,
Voy l'état facheux,
Où l'erreur t'engage:
Tu perds l'avantage,
De vivre heureux.

CHOEUR.

Les ris, les jeux,
Si tu le veux,
Seront ton partage.
Eſt-ce eſtre ſage,
De vouloir eſtre mal-heureux?

UNE

UNE VOIX.

Ton cœur toûjours en proye aux funeſtes allarmes,
Ne peut gouſter un moment de repos:
Et tandis que par tout des tranquilles pavots
Le ſommeil fait ſentir le pouvoir & les charmes
Toy ſeul parmi les horreurs
Des plus mortelles frayeurs,
Tu n'as aucune part à cette paix profonde,
Dont joüit le reſte du monde.

CHOEUR.

Quelle rigueur!
Quelle douleur!

UNE VOIX.

Vaines richeſſes,
L'appas trompeur
De vos careſſes
Ne ſeduira jamais mon cœur.

DEUX VOIX.

Non, quand j'aurois pour gage
De voſtre foy,
Tout l'or que le Tage
Roule avec ſoy:
Non, non, vaines richeſſes,
L'appas trompeur
De vos careſſes
Ne ſeduira jamais mon cœur.

CHOEUR.

Non, non, vaines richeſſes
L'appas trompeur
De vos careſſes
Ne ſeduira jamais mon cœur.

Digitized by Google

SECOND INTERMEDE.

PLAINTE DE L'AVARE

Après avoir perdu ſon Tréſor.

L' A V A R E.

DEpit, rage, fureur, je m'abandonne à vous?
Terminez mon ſort déplorable.
Je me flattois en vain d'un deſtin favorable;
Les Dieux de mon bonheur jaloux
Déchaiſnent contre moy leur colere implacable.
On me ravit mon eſpoir le plus doux;
Mon tréſor, mon argent: ô ſort impitoyable!
Ay-je pû meriter ce terrible courroux?
Dépit, rage, fureur, je m'abandonne à vous:
Terminez mon ſort déplorable.
Et vous que j'avois creû des témoins plus diſcrets,
Lieux écartez, retraites ſombres;
Faut-il qu'à l'abry de vos ombres,
Vous n'ayez pû cacher plus long-temps mes ſecrets?
Ah! ſenſibles du moins à mes triſtes regrets,
Montrez-moy l'auteur de ma peine:
Qu'il reſſente, l'ingrat, tout le poids de ma haine.
Helas, helas!
Lieux écartez, vous ne répondez pas.

U N E V O I X.

Que ton ſort eſt digne d'envie!
N'accuſe point le Ciel d'un injuſte courroux:
Deſormais, ſans craindre ſes coups,
Tu peux d'une paiſible vie,
Gouſter les charmes les plus doux,
Des folles richeſſes
Fuyons l'embarras:
Toutes leurs careſſes
Ne meritent pas,
Que nous ſouivions leurs pas,
Fortune peu ſage,
Malgré tes attraits,
Ton humeur volage
Ne donne jamais
De veritable paix.

C H OE-

CHOEUR.

Des folles richeſſes, &c.

UNE VOIX.

Dans le premier âge du monde,
Avant que ce fatal poiſon,
Des fortunez mortels euſt troublé la raiſon:
On gouſtoit une paix profonde.
On n'entendoit pas tout que le chant des oyſeaux,
Se meſler au bruit des ruiſſeaux:
Et tandis qu'au bord des fontaines
Exempts de ſoucis & de peines,
Les Bergers enfloint leurs pipeaux;
Les tranquilles troupeaux
Bondiſſoient dans les plaines,
Au ſon des chalumeaux.

UNE VOIX.

O temps plein de charmes!
Ah! quand reverrons-nous,
Sans bruit, ſans allarmes,
Ah! quand reverrons-nous
Un temps ſi doux?

CHOEUR.

O temps plein de charmes!
Ah! quand reverrons nous,
Sans bruit, ſans allarmes,
Ah! quand reverrons-nous
Un temps ſi doux?

TROISIÉME INTERMEDE.

REJOUISSANCE

De l'Avare après avoir recouvré ſon Tréſor.

L'AVARE.

LE Ciel à mes deſirs enfin a répondu;
Ah! que mon bonheur eſt extreſme!
Qu'il eſt doux de revoir ce qu'on aime,

Quand

Digitized by Google

Quand on croyoit l'avoir perdu!
Que tu m'avois couſté de larmes:
Cher Tréſor, que pour toy j'avois versé de pleurs!
Oublions deſormais nos mortelles douleurs,
Faiſons ceſſer nos cris & nos allarmes.
Le Ciel à mes deſirs enfin a répondu.
Gouſtons le plaiſir extreſme,
De revoir ce qu'on aime,
Quand on croyoit l'avoir perdu.
De ce jour à jamais celebrons la mémoire;
Chantons, réjoüiſſons-nous;
Venez tous,
Prendre part à ma gloire:
Venez tous,
Chantons, réjoüiſſons-nous.

CHOEUR.

Allons tous:
De ce jour à jamais celebrons la mémoire,
Allons tous,
Chantons, réjoüiſſons-nous.

L'AVARE.

Ayant receû tant de biens en partage,
Peu ſenſible à cette faveur,
Je languiſſois dans un triſte eſclavage.
Ah! quel malheur!
De negliger un ſi grand avantage!
Ah! quel malheur!
De laiſſer captiver ſon cœur!
Mes propres maux m'ont rendu ſage,
Près de faire un triſte naufrage,
Je m'en vois quitte pour la peur.
Ah! quel bonheur!
D'échapper à l'orage!
Ah! quel bonheur!
D'avoir pû dégager ſon cœur.

CHOEUR.

Ah! quel bonheur!
D'échapper à l'orage;
Ah! quel bonheur!
D'avoir pû dégager ſon cœur;

Digitized by Google

Evitons, fuyons l'avarice,
Que ce caprice
Cauſe d'ennuy?
Eſt-il ſupplice
Pareil à celuy,
D'amaſſer pour autruy?
Que ſert l'opulence?
C'eſt un embarras,
Pour qui n'en uſe pas.
La ricche abondance,
Ne ſuit point nos pas,
Au-delà du trepas.
Tant qu'un heureux ſort nous convie,
Ne laiſſons pas échapper les beaux jours:
Le temps de la vie
Ne dure pas toûjours.

C H OE U R.

Tant qu'un heureux ſort nous convie,
Ne laiſſons pas échapper les beaux jours:
Le temps de la vie
Ne dure pas toûjours.

TIMANDRE.
PASTORALE,
A L'HONNEUR
DE
PHILIPPE DE FRANCE
DUC D'ANJOU,
Pour ſon heureux avénement à la Couronne d'Eſpagne.

M. DCCI.

SUJET.

Les Bergers de l'Heſperie ayant perdu leur Chef, furent avertis par l'Oracle d'aller chercher ſur les bords de la Seine celuy qu'ils devoient mettre en ſa place. On chargea Mirtille de cette affaire. Dès qu'il arrive au terme marqué per l'Oracle, il eſt plus embarraſsé que jamais, par le nombre de ceux qu'il trouve capables de commander. Mais le Genie qui veille au bonheur de l'Heſperie, le rie d'embarras, & luy fait voir pendant le ſommeil, celuy d'entre les Bergers, ſur qui doit tomber le choix. Mirtille ayant fait le récit de ce ſonge myſterieux, apprend que cet heureux Berger eſt Timandre petit fils du Grand Timandre Maiſtre des Bergers de Galacie. Le jeune Timandre inſtruit de ſon ſort, mais qui aimoit mieux obéir dans ſons pays, que d'aller regner dans un autre, ne s'y réſout enfin, que dans la veüë d'eſtablir une paix éternelle entre tous les Bergers.

ACTEURS.

TIMANDRE, petit-fils du grand Timandre Roy des Bergers de Galacie.

THYRSIS, } Bergers de Galacie, amis de Timandre.
AMYNTE, }

MIRTILLE, Député par les Bergers de l'Heſperie.

TIMAN-

TIMANDRE.
PASTORALE.

ACTE PREMIER.
SCENE PREMIERE.
MIRTILLE.

Juſqu'à quand dureront nos mortelles allarmes?
N'avons-nous pas encore aſſez verſé de larmes?
Sommes-nous condamnez à ſoupirer toûjours;
Et ne verros-nous point renaiſtre de beaux jours?
C'eſt icy cependant ſur les bords de la Seine,
Que l'Oracle promet de finir noſtre peine:
C'eſt parmi les Bergers de ces aimables lieux,
Qu'habite le Paſteur que nous donnent les Cieux:
Dont les rares vertus, & la race éclatante,
Doivent combler nos vœux & remplir noſtre attente.
Mais de quelque coſté que tournent mes regards;
Un ſilence profond regne de toutes parts.
L'Echo meſme, l'Echo ſi tendre, ſi ſenſible,
Aujourd'huy pour moy ſeul eſt dur, eſt inſléxible;
A mes gémiſſements répetez tant de fois,
Perſonne ne répond, tout eſt ſourd à ma voix.
* Que dis-je? deux Bergers viennent icy ſe rendre: ** Il apperçoit deux Bergers.*
Enfin ma juſte plainte a pû ſe faire entendre;
Attendons-les: ô Ciel, ſeul auteur de nos maux,
Rends-nous aprés le trouble un tranquille repos.

SCENE II.
MIRTILLE, THYRSIS, AMYNTE.

AMYNTE.

Thyrſis, jette les yeux ſur ce prochain bocage:
Je crois d'un Paſteur étranger,
Prés de ces deux ormeaux, entrevoir le viſage.
Je ne ſçay quoy le trouble, & ſemble l'affliger.
THYRS. N'auroit-il point couru quelque danger?

AMYNT. Joignons-le, cher Thyrſis; nous ſçaurons de ſa bouche,
Ce qu'il peut eſperer de nous;
Peut-eſtre qu'échappé de la fureur des loups;
Il craint encor d'une beſte farouche,
Et la rage & les coups.
THYRS. C'eſt un Berger, Amynte: ah! ſa peine me touche
Tout ſon air plaiſt; courons luy marquer noſtre amour.
A Mirtille. * Par quel deſtin, Berger? ſi loin de ta patrie,
Te voyons-nous dans cet heureux ſéjour?
Car je me trompe, ou l'Heſperie
Eſt le climat qui t'a donné le jour.
A Amynte. *MIRT.* Helas! Bergers, helas! *THYRS.* * On diroit qu'il expire;
De ſes yeux languiſſans je vois couler des pleurs.
A Mirtille. * De grace, explique-nous ce qui fait tes douleurs:
Berger, ne crain point de le dire:
Dans Amynte & dans moy tu trouveras des cœurs,
Capables de ſentir l'excès de tes malheurs.
MIRT. Dans l'eſtat où je ſuis, helas! que puis-je dire?
Des grands malheurs les longs recits,
Font que le cœur tout de nouveau ſoupiſe;
Les maux en ſont plus durs, loin d'en eſtre adoucis.
AMYNT. Ah! compte plus, Berger, ſur noſtre zéle;
Eſpere dans tes maux plus de ſoulagement:
Par les ſoins d'un ami fidelle,
Souvent on voit finir le plus rude tourment.
Apprens-nous donc quel eſt ce deſtin qui t'accable;
Le Ciel à tes ſoupirs eſt-il inexorable?
Contente, je te prie, une ſi juſte ardeur.
Berger, découvre, nous les ſecrets de ton cœur.
MIRT. Eh! bien donc, connoiſſez juſques où va ma peine:
D'un illuſtre Berger ſçachez le triſte ſort:
Pour le délivrer de la mort,
Et fléchir la Parque inhumaine,
Nous avons fait un vain effort.
Il a fallu ceder au pouvoir de ſes armes:
La cruelle en nos pleurs a ſçeù trouver des charmes:
Et ſans avoir égard à nos tendres amours,
De la plus belle vie elle a tranché le cours.
Ah! ſi pour le ſauver de ce peril extreſme,
Il n'euſt fallu, Bergers, que me livrer moy-meſme,
J'aurois ſeul affronté le plus effreux trépas.
Quand il s'agit de ſauver ce qu'on aime,
La mort doit avoir des appas.
AMYNT. Si les Manes encor ſous leurs cendres paiſibles:
A nos juſtes regrets ne ſont point inſenſibles;
Qu'en dépit de ſon ſort ce Berger eſt heureux,
D'eſtre l'unique objet de ton cœur genereux!
MIRT. Qui ne l'auroit chéri! ſous ſon Empire aimable

Que

Que nous avons gouſté de plaiſirs innocents!
On n'entendoit par tout que d'agréable chants;
Par tout regnoit un calme inalterable,
Dans nos foreſts & dans nos champs.
THYSR. Nous condamnons du ſort l'injuſte tyrannie;
Mais de legers amuſements
Charmeront ta mélancholie:
Demeure avec nous quelque temps:
Contre le mal qui te poſſede,
Le temps eſt, je t'aſſeure, un ſouverain remède.
MIRT. Eh! le pourrois-je? helas! tandis que parmi nous
Chacun ſouffre un cruel martyre,
Seroit-il permis avec vous,
De paſſer des moments ſi doux?
Non, non; le ſeul plaiſir deſormais où j'aſpire,
Eſt de calmer des Dieux le terrible courroux.
AMYNT. Quoy! les Dieux n'ont-ils point épuiſé leur colere?
Reſteroit-il quelque arreſt plus ſévere,
Dont il falluſt prévenir les rigueurs?
MIRT. Bergers, vous ignorez nos plus vies douleurs.
THYRS. Helas! quand une fois le deſtin ſe déchaiſne;
Dans quels gouffres affreux précipite ſa haine!
Mais pourſui juſqu'au bout le recit de tes maux;
Si contre vous encor quelque orage s'appreſte,
Peut-eſtre pourrons-nous détourner la tempeſte.
MIRT. J'y conſens: écoutez, j'acheve en peu de mots.
Si celuy dont je plains la dure deſtinée,
Nous euſt donné des fruits d'une heureuſe hymenée,
Je me conſolerois; mais pour comble d'ennuy,
Il ne laiſſe aucun fils pour regner aprés luy!
Aſſez de nos Bergers, tous d'une noble race,
S'efforçoient à l'envy d'occuper cette place:
Mais le Ciel hautement confondant leurs deſſeins,
Veut qu'on faſſe paſſer le Sceptre en d'autres mains
L'Oracle vient de nous l'apprendre:
Dans nos hameaux ſa voix s'eſt fait entendre;
D'abord tous ont ſubi ſa loy:
Et je viens en ces lieux, Bergers, chercher un Roy.
AMYNT. Que nous dis tu? *MIRT.* Son ordre eſt ſans replique,
Il n'eſt pas permis d'en douter.
C'eſt en ces termes-cy, que l'Oracle s'eſplique:
Je ne fais que les répeter.
Sur les rivages de la Seine,
Cherchez celuy dont le Ciel a fait choix.
Si vous voulez bien-toſt voir finir voſtre peine.
Bergers, obéiſſez promptement à ma voix.
THYRS. Quoy l'Oracle, Berger, ne dit rien davantage?
MIRT. Non, Bergers; & c'eſt-là ce qui fait mon tourment.

En abordant ſur ce rivage,
J'eſperois que le Ciel parleroit nettement.
AMYNT. Les Dieux touchez de voſtre obéïſſance,
Découvriront bien-toſt ce ſecret d'importance:
Allons, ſui nous dans nos hameaux;
Auſſi-bien le ſoleil acheve ſa carriere:
En attendant qu'il rende au monde la lumiere,
Nous pourrons adoucir tes maux.

Fin du premier Acte.

ACTE II.

SCENE PREMIERE.

MIRTILLE *dormant & revant.*

QUe de jeunes Heros! que de Bergers aimables!
Que d'objets agréables
Viennent en foule icy ſe montrer à mes yeux!
Sont-ce des hommes? non: c'eſt le vray ſang des Dieux!
Heureuſe mille fois, ô ma chere Patrie!
Mille fois heureuſe Heſperie!
Si parmi les Bergers illuſtres que je voy,
J'avois la liberté de te choiſir un Roy. *
** Il demeure un peu de temps ſans parler.*
Ah! que d'attraits brillent ſur leur viſage!
Que de douceur & que de majeſté!
Vit-on jamais dans la fleur du bel age,
Tant de ſageſſe & de maturité?
Heureuſe mille fois, ô ma chere Patrie!
Mille fois, heureuſe Heſperie!
Si parmi les Bergers illuſtres que je voy,
J'avois la liberté de te choiſir un Roy. *
** Il s'arreſte encore.*
Mais que me dit cette riche couronne,
Quid d'un jeune Berger pare l'auguſte front?
Quel nouvel éclat l'environne?
D'où vient un changement ſi prompt?
N'en doutons point, c'eſt noſtre Maiſtre;
Allons, courons le reconnoiſtre.
a Seigneur, ſouffrez qu'à vos genoux....
b Où ſuis-je? qu'je veu? quel ennemi jaloux,
Tout d'un coup a fait diſparoiſtre
Un ſpectacle ſi doux?...
Helas! ne ſeroit-ce qu'un ſonge?
Un ſonge qui m'auroit ſurpris;

a Il ſe leve dormant encore.
b Il ſe reveille.

Il

Et d'un agréable menſonge,
Auroit voulu charmer un moment mes eſprits?
Non, non; augurons mieux de ce nouveau préſage,
Aprés ce que j'ay veù, j'eſpere une meilleur ſort.
Souvent le calme ſuit l'orage,
Un vent impetueux meine ſouvent au port.
J'apperçois les Bergers....

SCENE II.

MIRTILLE, THYRSIS, AMYNTE.

THYRSIS.

Quoy, meſme avant l'aurore,
D'un paiſible ſommeil mépriſant les douceurs,
Tu cours déja te livrer aux rigueurs
Du noir chagrin qui te devore?
Laiſſe un moment regner le repos à ſon tour?
Si le jour a pour ſoy les chagrins en partage,
De la nuit le plus doux uſage,
Eſt de calmer les ſoins du jour.
MIRT. Je ne ſuis plus ſi fort à plaindre,
Si j'en crois tout ce que j'ay veù:
Au comble de mes vœux me voilà parvenu:
Et deſormais, Bergers, je n'ay plus rien à craindre.
AMYNT. Quelqu'un t'eſt-il venu conſoler en ces lieux?
Ou pendant le ſommeil les favorables Dieux
Ont-ils flatté ton eſperance?
Pardonne, je te prie, à mon impacience?
Mais ayant reſſenti ta peine & ton effroy,
N'eſt-il pas juſte en récompenſe,
De partager le plaiſir avec toy?
MIRT. J'ay veù l'eureux Berger qu'on nous donne pour Roy,
Je dormois, il eſt vray: mais mon cœur en allarmes,
D'un doux ſommeil n'a pù gouſter les charmes.
Animé de l'eſpoir qui m'ameine en ces lieux,
Et dans la vive impatience,
D'apprendre enfin ſur qui les Dieux
Feroient tomber la préference;
J'ay remarqué mille objets gracieux,
Qui ſe ſont offerts à mes yeux.
Mais pour démeſler ces myſteres,
J'ay beſoin de voſtre ſecours.
Je vous croy l'un & l'autre & diſcrets & ſinceres;
Et vous eſtes tous deux mon unique recours.
THIRS. D'abord que je t'ay veù; ton air, ta politeſſe
M'ont inſpiré pour toy, Berger, de la tendreſſe;

Ton intereſt des tiens eſt devenu le mien.
Amynte eſt tout à toy, compte ſur ſon ſervice.
AMYNT. Thyrſis, c'eſt me rendre juſtice,
Que de juger de mon cœur par le tien.
MIRT. Contre tant de faveurs je ne puis me défendre:
Ah! devant que j'oublie une amitié ſi tendre,
On verra les Bergers oubliant leurs troupeaux,
A la fureur des loups expoſer leurs agneaux;
On verra dans les bois l'aimable Tourterelle,
Quitter avec mépris ſa compagne fidelle;
Et la tendre Progné laſſe de ſoupirer,
Laiſſer ſa triſte ſœur de douleur expirer.
Pardonnez, chers Bergers, à ma reconnoiſſance,
Si je ſemble abuſer de voſtre patience.
Je reviens.... Le ſommeil avoit de ſes pavots
Répandu la douce influence:
Le jour bien-toſt alloit par ſa préſence,
Rappeller les mortels aux pénibles travaux,
Lorſqu'un ample vallon s'eſt offert à ma veuë:
Où de verds arbriſſeaux, à la ligne dreſſez,
De mille fleurs entrelaſſez,
Formoient de toutes partes une agréable iſſuë.
Là près d'un long canal, dont les tranquilles eaux
Courent ſe partager en differents canaux;
Un illuſtre Berger en pompeux équipage,
M'a paru s'avancer vers ce prochain bocage.
Cent autres tranſportez & de zele & d'amour,
S'empreſſoient à l'envi de luy faire la cour.
Tout eſtoit grand dans ſa perſonne;
Son air, ſon port majeſtueux.
Mais avec tout l'éclat que ſa grandeur luy donne,
Il paroiſſoit affable, obligeant, genereux.
THYRS. Ah! Berger, à ces traits reconnoy noſtre Maiſtre!
MIRT. O Dieux! qu'il eſt digne de l'eſtre!
Heureux Bergers, heureux, d'avoir un ſi grand Roy!
Et quel bonheur pour vous, de vivre ſous ſa loy!
Qui ne vous enviroit, Bergers, cet avantage?
THIRS. O ſi tu ſçavois comme nous,
Les vertus que du Ciel il receût en partage!
O ſi de ſa belle ame on t'avoit fait l'image!
Aimé, craint, réveré de tous,
On diroit qu'il oublie & Sceptre & Diadeſme,
Lorſqu'honorant des Dieux la majeſté ſupreſme,
Il donne des leçons au reſte des mortels,
Du culte & du reſpect qu'on doit à leurs Autels.
AMYNT. Ajouſte que luy ſeul fait toutes nos délices;
Qu'il aime la vertu, qu'il fait la guerre aux vices;
Qu'il comble de bienfaits

Ses

Ses ennemis & ſes ſujets:
Que joignant à ſes dons la grace & les careſſes,
Il donne un nouveau prix aux plus grandes largeſſes.
MIRT. Heureux, Bergers, heureux d'avoir un ſi grand Roy!
Et quel bonheur pour vous de vivre ſous ſa loy!
Voudriez-vous encore me dire?
Quel peut eſtre un Berger, que j'ay veu près de luy:
O Ciel! qu'il m'a paru digne auſſi de l'Empire!
Et ſi dans l'embarras où j'huy,
Il m'euſt eſté permis de me choiſir un maiſtre,
Qu'il m'auroit épargné d'ennuy!
AMYNT. Je le croy, Berger; mais peut-eſtre,
On n'auroit pas eſté de ton avis.
Apprend, apprend que c'eſt l'incomparable fils,
De celuy dont je viens de faire
Le portrait & le caractere;
Mais un fils genereux, ſage, bon comme luy;
Digne fils enfin d'un tel pere,
Noſtre gloire déja, quelque jour noſtre appuy.
MIRT. Ah! je ne prétens point uſer de violence!
Trop heureux, ſi je puis obtenir pour mon Roy,
Celuy que le Ciel meſme éleve à cet employ.
Un moment encor d'audience:
De mon ſonge en deux mots jacheve le recit.
AMYNT. Pourſui, Berger, pourſui; parle avec confiance:
Pour vous à cela près, il n'eſt rien qu'on ne fiſt.
MIRT. Parmi cette troupe d'élite,
Qui du Prince par tout accompagnoit les pas:
J'ay veu trois Bergers à ſa ſuite,
Jeunes, bien faits, & pleins d'appas.
Non les Graces jamais n'eûrent ſur le viſage
Plus d'agréments avec la fleur de l'âge;
Et jamais le Dieu de l'Amour
Ne parut dans un ſi beau jour.
Une parfaite reſſemblance,
Le meſme air, le meſme agrement;
M'a fait croire auſſi toſt que tous également,
Ont une divine naiſſance.
THYRS. Tu le dis: en effet on n'en peut mieux juger:
Ils ſont fils du noble Berger;
Que nous venons de te faire connoiſtre:
Et petit-fils de noſtre Maiſtre.
MIRT. Si je vous demandois l'aiſné,
Vous diriez qu'il eſt deſtiné
Pour gouverner icy l'Empire ſon Pere.
AMYNT. N'en doute pas. *MIRT.* Mais pour ſon frere,
Qui le ſuit de plus prés, nous le donnerez-vous?
AMYNT. L'affaire eſt aſſez d'importance,

Et mérite bien qu'on y penſe.
MIRT. Penſez-y, j'y conſens: mais les Dieux ſont pour nous.
AMYNT. Les Dieux, Berger? *MIRT*. Les dieux. *AMYNT*. C'eſt encore un myſtere
Que tu dois expliquer. *MIRT*. Eh bien, je le vais faire.
Tandis que je conſidérois,
De ce jeune Berger les animables attraits;
Ses cheveux blonds, ſa bonne mine,
Son port auguſte, & ſa taille divine:
Et malgré ſa jeuneſſe un air de gravité.
Temperé de douceur & d'affabilité.
Alors j'ay veû le celeſte Genie,
Qui regle le deſtins de ma chere Patrie,
Deſcendre du plus haut des Cieux:
Il tenoit à la main un Sceptre précieux,
Un riche & brillant Diadeſme:
Et du jeune Berger en ayant ceint le front,
Il a repris ſon vol leger & prompt,
Où réſide des Dieux la majeſté ſupreſme.
Alors ſaiſi du transport le plus doux,
J'ay voulu de mon Prince embraſſer les genoux;
Mais le ſommeil à ce moment me quitte.
Favoriſez, Bergers, une juſte pourſuite:
C'eſt à vous de nous rendre heureux.
THYRS. Nous verrons lá-deſſus & l'Ayeul & le Pere;
Et ſi l'on peut te ſatisfaire,
Tu te verras bien-toſt au comble de tes vœux.
Pour charmer ton inquietude,
Enfonce-toy, Berger, dans cette ſolitude;
Nous ſerons de retour icy dans peu de temps.
MIRT. J'y vas, Berger, j'y vas compter tous les moments.

Fin du ſecond Acte.

ACTE III.

SCENE PREMIERE

TIMANDRE, AMYNTE, THYRSIS.

TIMANDRE.

AH! c'eſt contre mon cœur trop vouloir entreprendre:
Ceſſez, ceſſez de m'engager,
A ſuivre ce nouveau Berger.

A tous

A toutes vos raiſons je ne ſçaurois me rendre.
Le Troſne qui paroiſt ſi doux,
Ne charme pas mes yeux, comme il charme les voſtres;
J'aime encor mieux obéïr avec vous,
Que d'aller regner ſur les autres.
AMYNT. Le noble ſang dont vous ſortez,
Doit commander par tout, où le ſoleil éclaire:
C'eſt trop peu que noſtre hemiſphere,
Pour le nom glorieux, Seigneur, que vous portez.
TIM. L'Empire eſt un fardeau plus lourd qu'on ne peut croire,
Sous de fauſſes douceurs il cache de vrais maux:
Eh! ſoyez, chers Bergers, moins jaloux de ma gloire;
Soyez-le plus de mon repos.
AMYNT. Le repos juſques-là ne touche point voſtre ame;
Nous avons aſſez veù quelle ardeur vous enflame:
Et quand du Grand Timandre on eſt le petit-fils,
On devient à tout inſenſible
Dans le repos le plus paſible,
Si de la gloire il n'eſt le prix.
TIM. Bergers, le repos où j'aſpire,
N'eſt point indigne de mes vœux;
Et pour refuſer un Empire,
On n'en eſt pas moins genereux.
Pour un jeune Berger le poſte eſt dangereux:
Un Empire à régir n'eſt pas choſe facile:
Pour en gouverner le timon,
Ce n'eſt pas aſſez d'un beau nom,
Si la main n'eſt encore habile.
THYRS. Ceux que le Ciel fait naiſtre Souverains,
Et maiſtres de nos deſtinées,
N'attendent pas le nombre des années,
Pour voir tout par leurs yeux, faire tout par leurs mains.
Cette incomparable ſcience,
Qui dans le reſte des humains,
Eſt le fruit de l'experience;
Tous les Bergers, Seigneur, de voſtre illuſtre ſang,
Semblent l'apporter en naiſſant.
Nous avons veù le Grand Timandre,
Commander aux Bergers dès l'âge le plus tendre;
Et dans ces premiers temps déja briller en luy
Ces talents merveilleux qu'on y voit aujourd'huy.
TIM. Pour devenir un jour d'un ſi parfait modelle
Le portrait reſſemblant, & l'image fidelle,
Il faut, Bergers, l'étudier long-temps.
Laiſſez-moy dans mes jeunes ans,
Borner là tous mes ſoins & toute ma ſcience:
Je n'ay point eu dès mon enfance,
De plus ardent deſir:

Heure-

Heureux un jour, ſi j'avois le plaiſir
D'approcher de la reſſemblance.

S C E N E II.

TIMANDRE, AMYNTE, THYRSIS, MIRTILLE.

MIRTILLE *appercevant Timandre.*

QUe vois-je? c'eſt luy-meſme; embraſſons ſes genoux.
Souffrez, Seigneur.... * *TIM.* Berger, que faites-vous?
MIRT. Je viens au nom de tous révérer la puiſſance,
De celuy que le Ciel nous a donné pour Roy.
Je viens me ſoumettre à ſa loy,
Et l'aſſeurer de noſtre obéiſſance.
THYRS. Seigneur, je l'avois bien préveü,
Que ce Berger, tout plein de voſtre image,
Dès qu'il vous auroit veu,
Viendroit vous rendre hommage.
Douterez-vous encor qu'inſpiré par les Dieux,
Il ne vienne exprès en ces lieux,
Vous choiſir pour ſon maiſtre?
MIRT. Seigneur, j'en atteſte les Cieux.
Le Dieu qui vous a fait connoiſtre
M'eſt apparu ſur le bord d'un ruiſſeau,
Et m'a chargé pour vous de cet ordre nouveau.
Va, Berger, m'a-t'il dit; & que rien ne t'etonne:
Dans le fond de ce petit bois,
Tu verras le Berger dont le Ciel a fait choix.
De vingt & deux Hameaux offre luy la Couronne.
Recevez-la du Dieu qui vous la donne.
TIM. Nous verrons, Berger, nous verrons.
MIRT. Quoy donc je viens d'offrir le plus bel héritage,
Qu'arroſent de leurs eaux & l'Ibére & le Tage:
Et pour toute réponſe on me dit: Nous verrons!
Seigneur, que faut-il que j'eſpere?
Ah! ſi les Dieux dans leur colére
Nous ont fait reſſentir leurs plus terribles coups,
Pourriez-vous bien encor vous mettre contre nous?
AMYNT. Non: flatte-toy pluſtoſt d'une belle victoire;
Timandre tout de bon ſonge à vous rendre heureux:
S'il eſt peu ſenſible à ſa gloire,
Il ne peut eſtre inſenſible à vos vœux.
MIRT. Si les ſurprenantes merveilles,
Que dans noſtre païs on trouve à chaque pas,
Et dont le ſeul recit enchante les oreilles,
Avoient pour vous quelques appas:
Ja vanterois icy nos fertiles campagnes,

* *Il ſe jette aux genoux de Timandre.*

Nos

Nos prez, nos bois, nos vallons, nos montagnes:
Les agrémens de nos Hameaux,
Et la bonté de nos Troupeaux.
Les Aquilons & les Borées,
Suivis des rigoureux hyvers,
Qui déſolent tout l'Univers,
N'approcherent jamais de nos belles contrées.
Toûjours une aimable ſaiſon,
De cent ſortes de fleurs d'une odeur agréable,
De beaux & rares fruits d'un gouſt incomparable,
Offrent dans tous les temps l'abbondante moiſſon.
La terre en richeſſes feconde
De ſes brillants tréſors a rempli tout le monde:
Et les autres mortels par nos ſoins enrichis,
Sans nous de l'or encore ignororoient le prix.
THYRS. Allez, Seigneur, allez regner dans l'Heſperie,
Le théatre eſt digne de vous:
Quel honneur pour noſtre patrie,
De l'avoir emporté ſur cent peuples jaloux!
AMYNT. Tous leurs Bergers au ſeul nom de la Seine,
D'un nouvel eſpoir inſpirez,
Ont crû bien-toſt ſe voir à la fin de leur peine.
Mais quand de leur bonheur ils ſeront aſſeurez;
Quand charmez de voſtre préſence,
Et de tant de vertus qui reluiſſent en vous,
Ils ſe verront au terme le plus doux
De leurs ſouhaits & de leur eſpérance:
Ils ne formeront de deſirs,
Que pour gouſter long temps ſous voſtre obeïſſance,
Du regne le plus doux les innocents plaiſirs.
TIM. Eh bien, à vous quitter il faut qu'on ſe prépare?
Mais ſi de vous je me ſépare,
Où trouver dans tout l'Univers,
En vous perdant, Bergers, ce que je pers?
THYRS. Non, toute la reconnoiſſance,
Qu'exige voſtre amour & vos bien-faits de nous,
Ne peut mieux s'expliquer que par l'humble ſilence.
Ah! ſi nous ne pouvons, Seigneur, vous ſuivre tous;
Nos cœurs toûjours d'intelligence
Voleront ſans ceſſe après vous.
AMYNT. Toujours de vos vertus admirateurs fidelles,
Quand juſqu'en nos Hameaux la Déeſſe à cent voix
Annoncera les heureuſes nouvelles
De vos grands & fameux exploits:
Nous en conſerverons à jamais la mémoire;
Et tous les échos d'alentour,
Répeteront ſans ceſſe tour à tour,
Et voſtre nom & voſtre gloire.

MIRT.

MIRT. Laiſſez-vous attendrir par nos vives douleurs;
Ecoutez nos ſoupirs, faites ceſſer nos pleurs.
TIM. Enfin, Berger, je vœux vous ſatisfaire:
Je ne puis réſiſter à vos empreſſements:
Je vas renoncer pour vous plaire,
Aux plus juſtes attachements.
Mais je veux que la paix déſormais établie,
Entre tous nos Hameaux & ceux de l'Heſperie,
Uniſſe pour jamais nos cœurs & nos eſprits;
Je n'accepte, Berger, l'Empire qu'à ce prix.

Fin du troiſiéme & dernier Acte.

ADMO-

Digitized by Google

ADMONITIO.

QUos Dramatis noſtris ſubjungimus levioris armaturæ Theatrales ludos, neſcio qualem habituri ſint Literatorum hominum judicio exiſtimationem ac famam. Neque enim illi aut diſtincti plures in Actus prodeunt, quod neglectæ artis vitio fortè dabitur à quibuſdam; neque metri lepor ac gratia, quibus Fabulæ inprimis commendantur, eiſdem acceſſere.

Tamen non molimur rem novam; neque graves nobis auctores deſunt, qui res minimè ſerias aut etiam ludicras ex tam ſeveris Theatri legibus exigendas eſſe non putaverint, nihil ut committerent ſcenæ, quod non aut ornatum metro, aut certos diviſum in actus procederet.

Et verò, quod attinet ad metrum, hoc ſibi pro jure ſuo Comœdia vindicat, eum ut adhibeat loquendi modum, qui pœnè nihil à vulgari ſermone diſcrepet; quod in pleriſque veterum Comicorum operibus in promptu eſt animadvertere; ubi tam obſcurus, tam diſſimulatus vulgò numerus eſt, ut ſermo merus & ab omni ſolutus metro haberi poſſit.

Verùm id ego cavere eos velim, qui in ludicris ejuſmodi opuſculis Comicorum Trimetros non uſurpant, ut ſoluta eorum Oratio Trimetrorum colorem ac formam aliquam imitetur. Et quoniam illi Jambo maximè, qui Trimetrum abſolvit, ſe produnt ac dignoſcuntur; ſic & ſtylus, vel ſolutus, ſectetur Jambos, quibus oratio concludatur.

Hæ porro rudiores & ornatæ minus Fabulæ, quibus abeſt certus Actuum numerus, iis nihilominus legibus tenentur, quas accurata Fabula & ſuis abſoluta partibus requirit. Scilicet ut ſit aliquid ſemper unum ac ſimplex quod exhibetur; ut vel intra breves contracti opuſculi anguſtias deprehendatur Principium aliquod, Medium item ac Finis, quibus actio Dramatica continetur; ut incidat rerum nodus, qui neque per vim, neque per fas ac nefas, ſed expeditè ac feliciter diſſolvatur; ut ſervetur unitas temporis ac loci; ut Fabula rectè morata ſit, & ſuas etiam peripetias, ſeu fortunæ mutationes patiatur. Neque enim licet quidquam in Theatrum dare, quod contra præceptiones communibus ſuffragiis tam receptas peccaverit.

His legibus, quæ Fabulæ ſcenæ committentur tam metri gratia, quam Actuum varietate deſtitutæ, ſtabunt nihiloſecius, & ſpectantium plauſu non indignæ videbuntur. Cæterum Fabulis illis, quas edimus è multis omnino duas, hoc precari liceat, ut, quam olim, dum repræſentarentur, invenerunt gratiam, eandem apud benevolos Lectores experiantur.

VOTA.

Digitized by Google

V O T A.

A C T O R E S.

MERCURIUS, Deorum Nuncius.

MEGATHYMUS, Vir ambitioſus.

PHILOCHRYSUS, Avarus.

CLYTUS, Fatuus ingenii & eruditionis oſtentator.

DROMO, Servus.

POLYCHRONIUS, Senex.

MOPSUS, Ruſticus.

ARISTUS, Vanus probitatis ſimulator.

EUGENIUS, Puer.

PRO-

P R O L O G U S.

M E R C U R I U S.

NÆ muneris dudum me tædet ac piget mei; adeo defeſſus ego ſum ferendis quotidie hominum votis ad Jovem! Hanc ſibi deinceps Deorum quilibet ſumat provinciam; id oneris à me penitus alienum volo. Saltem ſi quid piè, ſi quid ex æquo bonoque voveret hominum genus! At, quotquot ſunt hodie qui vivunt, nullum tenent in votis modum. Nihil apud illos aut æquitatis aut rationis ipſius leges valent. Hi avaritiæ ſtudent uni, illi ambitioni ſerviunt, iſti voluptates venantur cupidiùs, alii molli amant conſeneſcere in otio. Quid multa? hominum nulla pars, ætas nulla, nulla conditio ab ejuſmodi contage ac peſte ſana atque integra eſt. O ſi quam feciſſet conſiliis meis moram; ſi me bene monentem ſæpius, ac conſulentem ſana ſuſtinuiſſet Jupiter! Pol compeſcuiſſet jamdudum inſanabilem illam optandi quidlibet ac petendi per fas ac nefas licentiam; neque ſe tam facilem in audiendis & exaudiendis multò minùs mortalium votis exhibeat. Quò, quò demum res cadat, vel æquiorem ſe mihi hac in re præſtabit Jupiter, aut alium inveniet quempiam qui partes tam ingratas ferat. * Sed ecce turbam jam tumultuantem audio: tamen vix dum orta eſt dies! Sic eſt; rebus quiſque in ſuis ſatis alacer ac ſtrenuus; & hortatore non eget. At mirum ſane & portento ſimile quidpiam, ſiquis, vel unus, beneficii accepti memor redeat acturus gratias... Sonus ingeminat, ſentio; nihil moræ eſt. Referentur fores, noſtrique fiat adeundi copia.

*Fit ſtrepitus.

S C E N A P R I M A.

MERCURIUS, MEGATHYMUS, PHILOCHRYSUS, CLYTUS, DROMO, POLYCHRONIUS, EUGENIUS, MOPSUS, ARISTUS.

M E G A T H Y M U S.

MErcuri, Deorum optime, fac me voti compotem! *PHIL.* Mercuri Maja genite, ſupplicem vides, precantem ne deſpice. *CLYT.* Mercuri facunde Nepos Atlantis, unum eſt quod petam, benignus annue. *DROM.* Mercuri fidiſſime Jovis nuncie, ſi qua te miſerorum cura commovet, afflictum & multatum malè reſpice Servolum. *MOPS.* O tu Batti mendacis ultor æquiſſime, ſi nihil mentiri velim, attentas precibus aures adjice. *POL.* Mercuri Superis Deorum pariter & imis gratiſſime, miſereſce longævæ Senectutis, & æqua poſtulantem ne reſpue. *ARIST.* Mihi nihil eſt planè quod petam; venio gratias tibi Jovique acturus plurimas. *MERC.* Veniſtis meditati, ſentio; neque nihil eſt omnes quod petatis. Agite non ego vos moror .... Ceſſatis? Reſpondet nemo? Dic * tu ſodes; quid ambis? ſiles? *MEG.* Mercuri optime, ſi remotis paulum arbitris meatem explica-

*Ad Megathymum.

plicare liceat. *MERG.* Quid? Tu vereris palam eloqui, quod rogatum accedis Deos? *MEG.* Non quidem me piget; at .... *MERC.* Bene eſt... Et tu * bone vir, quid me vis? *PHIL.* Equidem pauca: patere tamen, hæc in aures tacitus ut inſuſurrem tuas. *MERC.* Tu * potro? *GLYT.* Ego? Faciam ultro quod jubes; ſed odi profanum vulgus, & arceo. *MERC.* Video, nemo hic veſtrum eſt, qui aperto vivere voto audeat; digni omnes, ne vivam, quibus ambas iratus buccas inflet Jupiter; quorum & irritas eſſe, temeritatis in pœnam, preces ſtatuat. *ARIST.* * Sortem ego tuam næ miſeror plurimùm. Mercuri, qui cum ingeniis ejuſmodi conflictandum habeas. Secedo rediturus poſtmodum, cum eſſe tibi plus otii perſenſero. *DROM.* Non ſic faciet ædepol Jupiter; adeo nihil veni poſtulatum iniquiùs. *POL.* Neque mihi quidquam ab ea parte metuendum putem. *MOPS.* Tam multam tibi lactis ac mellis copiam adolebo Mercuri; ut te placatum mihi ipſumque adeo Jovem confidam fore. *MERC.* Ergo ſeorſum omnes audiemus: recedite tantiſper; tu * ſubſiſte interim.

* *Ad Philochryſum.*
* *Ad Clytuum.*
* *Submiſſa voce.*
* *Ad Megathymum.*

S C E N A II.

MERCURIUS, MEGATHYMUS.

MERCURIUS.

ADes dum; quid ambis? quò vota feruntur tua? *MEG.* Nihil ego vel iniquum peto, vel operoſum, vel ea indignum indole, quam à Superis acceptam gratulor; pro qua & meritas, ut par eſt, grates fero. Imò hoc unum hodie me angit ac ſollicitat, ut vim indolis promovere omnem, & extremam operi ſuo manum ſupremus rerum omnium artifex Jupiter non gravetur imponere. *MERC.* Jovem habebis, ne time, & virtuti & æquitati ſemper faventem. Quid deinde? *MEG.* Hoc igitur ſcire te velim, Divum Interpres ſagaciſſime, me vel à teneris incredibilem quandam ad magna quæque experiri indolem. Nihil ego noctu diuque, niſi pugnas, excidiones urbium, larvas ac Triumphos cogitare ſolitus. Sentio me, quocumque ferar, ubicumque verſer, acrioribus ad gloriam incitari ſtimulis. *MERC.* Sequere porro tam felices impetus, propitium tibi polliceor Jovem. *MEG.* Hac ſpe fretus; novi enim, quam ſit illud verum, quod jactatur paſſim à peritis Naturæ ſpeculatoribus, nihil fruſtra fieri in rerum natura: atque adeo impreſſas maximè ab ortu ſingulis hominum affectiones, eſſe veluti quædam rerum magnarum ſemina; quæ, ſi foveantur diligenter atque adjuventur, in immenſum excreſcant. Hac ſpe, inquam, fretus, vide, amabo, quid mediter. *MERC.* Expecto. *MEG.* Nihil ego minùs, quàm ſupremum univerſi orbis affectem imperium. *MERC.* Superi! *MEG.* Neque enim ſit mihi ſatis, ſi quam partem orbis, ut Alexander olim, aut Cæſar, fecero meam: niſi, quem tenet apud Superos in Cœlo locum Jupiter, idem mihi apud mortales contingat in terris. *MERC.* Ambitioſum ſanè voti genus! *MEG.* Et dignum animis illis ingentibus, quibus afflatus jamdiù anhelo totus ad grandia. *MERC.* Hoc reſtat unum, ut parta toto de orbe victoria ſuis ipſum de ſedibus detrudas Jovem. *MEG.* Stultum apage conſilium: ſuo in ſolio quieſcet impune Jupiter: ipſe forte contentus mea terreſtris imperii habe-

habenas regam. *MERC.* Fortunatum omnino Jovem, cui tantum per te liceat! *MEG.* Credis ratum hoc fore Jupiter ut habeat? *MERC.* Conſultabimus; res illa, ſi qua eſt alia, maturiore conſilio indiget. *MEG.* Cæterum hoc animum, precor, inducas tuum, rem hìc agi publicam multò magis, quàm meam. *MERC.* Intelligo. *MEG.* Nam ubi me ſemel imperantem ſibi orbis ſenſerit, tum fortunatum ſeſe demum & ex omni beatum parte fateatur volo. *MERC.* Belliſſimè: Rem præſtares, opinor, quam pertentare Jupiter non audeat. *MEG.* Quid poſſit Jupiter, aut quid non poſſit, non hìc ſcrutabor operoſiùs; unum hoc ſcio, quid mediter, & qua conſequi id liceat via. *MERC.* Mira narras. *MEG.* Et majora præſtantem ſuſpicies. *MERC.* Atenim cedo; quam proponis tibi regnandi formam ac modum? *MEG.* Paucis accipe; atque intellige vel ex eo, quanti ſit, unum præponi me rerum univerſitati moderatorem unicum. *MERC.* Videamus. *MEG.* Ac primo quidem exulabit orbe toto penitus armorum furor, & ubique regnabit alta pax. Quantam putas hinc ſublatam malorum ſegetem! inde quam inexhauſta bonorum exundabit copia! *MERC.* Mirabiliter. *MEG.* Neque hoc ſatis: revocari velim denuo aureos illos mores, quibus præfulſiſſe olim Saturni ætatem ferunt. Sic mutua junget populos concordia, & pulſis turbarum irritamentis optata ad omnes perveniet quies. *MERC.* Inventum feliciter! *MEG.* Jam rixis, contentionibus, diſſenſionibus domeſticis præcidam locum. Erit unicuique quod ſatis eſt; nec erit, alter alteri quod invideat. *MERC.* Euge, bellè! *MEG.* Præterea florebunt artes me principe; erunt in pretio Literatorum ſtudia. *MERC.* Magnum ſcilicet ſufficies ipſe dicendi ſcribendique argumentum. *MEG.* Multa hìc prætereo, ne jactantior mei fortaſſe & pius æquo mihimet arrogare videar. *MERC.* Commodè omninò: tempus enim eſt, ut aliis, qui præſtolantur ad fores, facias, & ipſi quid velint, narrandi locum. Vale. *MEG.* Addo verbulum, quod erit, uti confido, magni apud Jovem ponderis. *MERC.* Quid id eſt? *MEG.* Dicam. Noſti, Mercuri, quàm gravem ſæpè Jovi ſolicitudinem pariant, quæ geruntur in terris: at, ſi ſumma rerum fuerit ſemel me penes, licebit, mihi crede, in utramque aurem otioſus ut dormiat. Hæc tu memento, ut in aurem inſtilles Jovis. *MERC.* Meminero: abi ſis. *MEG.* Hæc ſi facias, perenne te impenſi muneris monimentum manet.

SCENA III.

MERCURIUS.

HÆccine venire cuiquam in mentem, ne dicam habere locum in votis queant! En qualem mihi provinciam imponunt homines ſtultum & inficetum genus! Si regione contentus aliqua, ſi regno .... at inhiantem univerſo orbi quis ferat? Sed ecce alius prodit: videamus.

SCENA IV.

MERCURIUS, PHILOCHRYSUS.

MERCURIUS.

ET tu quid oratum venis, ò bone? quid deeſt tibi? *PHIL.* Heu! quàm multa ſunt, Deorum ſuaviſſime, quibus indigere me quotidie ſentio. *MERC.* Bono eſto animo: ſi modò nihil præter æquum poſtulabis, facilem me tibi polliceor. *PHIL.* Sic ego ſemper exiſtimavi fore. *MERC.* Quid igitur cupis, ut faciam tibi? *PHIL.* Nihil admodum: hoc tamen quodcumque eſt, ſi feceris, feceris omnia. *MERC.* Tanto lubentiùs impertiam tibi quod rogas: fare. *PHIL.* Opes, ni grave eſt, largire: nihil eſt ulterius quod petam. *MERC.* Opes ais? *PHIL.* Veriſſimè. *MERC.* Non eſt illud tam nihil quàm dicis. *PHIL.* Da, da defoſſum uſpiam Theſaurum aliquem effodere. *MERC.* Atenim opum quæ tanta libido eſt, ut cæteris, quibus indiges, ultro careas? *PHIL.* Itane verò, Mercuri, in humanis rebus hoſpes ac peregrinus es, ut neſcias, hoc eſſe divitiarum fatum, illas ut qui habeat, cætera pariter habeat ad ſatietatem; eiſdem qui caruerit, rerum omnium pariter ſit indigentiſſimus? *MERC.* Vide, quò rem deducas, ò bone! *PHIL.* Nihil hic ad vivum refero, optime Mercuri, res, ut dico, ita ſe habent. Opes roganti cum dederis, ſimul & dederis veſtes egregias, magnificam ſupellectilem, aurata palatia, elegantes hortos, regales villas; & quid non? Quibus ego, quoniam opes miſero non ſuppetunt, infeliciter egeo. *MERC.* Non ita facere videtur fidem elegans ille, quo tu incedis, apparatus. *PHIL.* Ne te color aut ſpecies decipiat, Mercuri: ita pleique hominum vivimus; ut ſi repetat grex avium plumas, moveat Cornicula riſum furtivis nudata coloribus. *MERC.* Nihil ergo adjiciendum tibi putas, opes ſi tuleris? *PHIL.* Nihil. *MERC.* Nihil? *PHIL.* Nihil rerum omnium. *MERC.* Sic ergo nulla te ingenii fama, nulla cupido nobilitatis, nulla rerum bene geſtarum gloria ſollicitat? *PHIL.* Imo: me me iſthæc ædepol ſollicitant omnia mirum in modum; at illa, ſi neſcis, ſunt ejuſmodi, ut perpetuum quoddam inierint cum divitiis conſortium: ſintque homini diviti totidem veluti ſtipatores corporis. *MERC.* Mirum illud eſt quod ais. *PHIL.* Non ita mirum, ut reris. Ego novi certe non paucos, quorum de genere ac nomine tota retro, quàm longa eſt, ſiluit antiquitas, & omnis, credo, poſteritas conticeſceret, niſi pecuniam nacti, nomen pariter adepti eſſent & genus. *MERC.* Egregium porro genus & prædicandum nomen! *PHIL.* Habent illi continuò, qui avos ipſis, ne vivam, & abavos, & tritavos, multoque etiam longiùs petitam majorum ſeriem exſuſcitent, ingenuis quibuſque & nobilibus reipſa viris invidendam. Tum nobilitatis ex improviſo naſcuntur inſignia, Tituli, Faſces, Gentilia ſcuta in multos deducta ramos, quibus abrogare fidem nullus impune certaverit. *MERC.* Hæc placeret tibi ſpecies nobilitatis? *PHIL.* Fucum facit illa nihilominus, & faciet certè nepotibus multò magis. *MERC.* Scilicet? *PHIL.* Credis nimirum non habendos eſſe eos poſtmodum tam nobiles, quàm illi ipſi ſunt, quorum genus & nomen unà cum latifundiis palatiiſque coemerint? Neque verò unus ille fructus eſt, quem opes pariunt; eſt

alius,

alius, ut fatear quod res eſt, quem ambitioſiùs ſequar. *MERC.* Quis ille eſt, amabo? *PHIL.* Ingenii & doctrinæ fama. *MERC.* Etiamne fortem hanc eſſe divitiarum, ut ingenium doctrinamque commodent? *PHIL.* Sic eſt, Deorum optime; neque prorſus dubito, quin ea demum fortuna mea futura ſit, poſtquam beneficio tuo opes creverint, ut ego ipſe, qui, nihil ut diſſimulem, neque reconditioris doctrinæ ſupellectilem, neque ſubtilioris ingenii vim meis in rebus numerandas unquam cenſui, in ingenioſum repente & politioris doctrinæ artificem evadam virum. Quin & mihi continuò ſcribentur libri tanquam peritiſſimo rei Literariæ æſtimatori atque arbitro; ſuffragium meum eruditi, quotquot ſunt, viri ambient. Muſarum denique patronus & Mecœnas alter, nihil tale meritus audiam. Tanti eſt pollere divitiis, & unum aliquem fortunatorum hominum nuncupari! *MERC.* Atenim moneo: rara eſt admodum pecuniæ ac probitatis concordia. *PHIL.* Alius forte quiſpiam minus amans virtutis quàm ego ſum, exclamaret; quærenda pecunia primùm, virtus poſt nummos. Verum abſit, ut tam pravè de probitate ſentiam. Imo hæc etiam divitiarum dos eſt non ultima, ut probitatem etiam invitis ac repugnantibus concilient. Nam quis divitem improbitatis accuſare audeat? *MERC.* Hæc videbimus cum Jove otioſiùs. *PHIL.* Porro reſtat hoc unum Mercuri, quod rogem, ut non modicas, ſed amplas opes largiaris. Nam res cæteræ, propter quas maximè opes ambiuntur, non contingunt niſi ditiſſimis. *MERC.* Providebimus. *PHIL.* Non erimus immemores; bona pars eorum, quæ dederitis, ad vos redibit.

SCENA V.

MERCURIUS.

Adeone tam præpoſteram haberi de opibus opinionem, ut quæ malorum omnium fons & origo ſunt, eædem bonorum omnium æſtimentur artifices! At ecce novum quodpiam ſe offert hominum genus. Faciamus periculum, quid velit & quid poſtulet.

SCENA VI.

MERCURIUS, CLYTUS.

CLYTUS.

Non ignotus, reor, homo tibi ſiſtitur, ſagaciſſime Mercuri; neque eam viximus hucuſque vitam, quæ latere mortales poſſit aut Deos. *MERC.* Tamen ede nomen, ni grave eſt, quaſi te non noſſem. *CLYT.* Clytus ego ſum, quotidianus Muſarum aſſecla & Apollinis comes acceptiſſimus. *MERC.* Gratulor: at quorſum huc ad nos accedis? quid poſtulas? *CLYT.* Nolim me exiſtimes eorum eſſe de numero, qui ambitioſa plerumque, aut avara Superos fatigant prece. *MERC.* Sapienter tu quidem. *CLYT.* Opibus non inhio, quod habeo cumque, eo contentus ſatis. *MERC.* Moderationem laudo animi tui & æquitatem. *CLYT.* Quod ſpectat ad dotes ingenii, habeo multas unde reddam gratias Diis immortalibus, adeo nihil eſt, quod expoſtulem.

Haud quemquam ſcio, qui tam acutum in rebus cernat, quàm ego cerno. Verſus pango, quos Homerus ipſe, quos Virgilius invideat: ſtylo utor tam florido, tam terſo, tam polito, ut ſi Terentius, ſi Horatius, ſi Cicero ipſe reviviſcat, agnoſcant ultro ac fateantur ſuum. *MERC.* Fortunatus tu quidem, cui tam impensè faverint Dei! *CLYT.* Amicos equidem Deos expertus ego ſum, Mercuri, neque quidquam ſit, quod precer, ſi gratiam apud homines nactus ſim parem. *MERC.* Itane verò quemquam eſſe, qui tam acceptum Superis caput, non habeat in deliciis, in oculis non ferat? *CLYT.* Utinam enim verò ita foret! At iniquum præter modum experior hominum genus. *MERC.* Quid quereris autem? *CLYT.* Id meritò queror, Mercuri æquiſſime, quòd eorum de me opinio cum judicio Deorum non conſentiat ſatis, neque me eo, quo par eſt, habeant loco. *MERC.* Factum invenuſtè ædepol ac nequiter! *CLYT.* Si quid ſcripſerim, ſi quis à me liber prodeat in lucem, iſtud quodcumque eſt, avidè arripiunt, vellicant, corrodunt, explodunt, & nigrum ubique inſigunt theta. *MERC.* Malè! *CLYT.* Equidem video, quid ipſos exſtimulet; urit enim fulgore ſuo qui prægravat artes infra ſe poſitas. *MERC.* Saltem id eſſe debet tibi ſolatio, quòd extinctus idem amaberis. *CLYT.* Interim, Mercuri, id ſi exorare velles à Jove, ut pravos populi errores corrigeret, eoſque, quos deceat, injiceret de me ſenſus, rem faceres, ne vivam gratiſſimam. *MERC.* Populus, ſi neſcis, ò bone, bellua multorum capitum eſt! *CLYT.* Satis ſentio, qui videam tot illa capita in meam conjuraſſe perniciem. Hoccine lepidum eſt, vix eſſe quemquam, qui tot in me Deorum munera veneretur? *MERC.* Næ injurioſi tibi ſunt illi præter modum! *CLYT.* Vide, amabo, quid deſignarint recentiſſimè. Exierat à me nuper opuſculum comptum illud ac perelegans, quod ipſis Muſarum manibus elaboratum diceres. Sperabam, ſtatim atque veniſſet in lucem, excipiendum avidè, atque hunc ſaltem vigiliarum mearum ac laborum fructum eo, quo merebatur, plauſu cumulandum. Verùm longè aliter res cecidit, ac ſperabam fore. Fruſtra ſtetit propalam bibliopolarum ad columnas; aut ſi paucorum venit in manus, deteriorem multò ſortem expertus eſt. *MERC.* Vices doleo tuas, & ineptæ, ut reor, multitudinis accuſo, vel errorem vel faſtidium. Tamen numquid forte artem aliquam aliam tentares feliciùs? Lubricum eſt ſtudii genus illud quod decurris, & periculoſæ tractas plenum opus aleæ. *CLYT.* Quid loqueris? me ignoras, credo, Mercuri, nequedum noſti, qualem ad rem Literariam nactus ſim indolem. Vin' Tu, quid in ea re valeam; facere periculum? Nihil ego te moror. Ecce partem aliquam non contemnendi Poematis, ad quod extrema nondum acceſſit manus. Tamen ex ungue leonem intelliges. De equo Trojano inſcribitur, eſtque in viginti quatuor, ad exemplum Homeri, diviſum libros. *MERC.* Nihil opus eſt: ſerva. Hinc muſſitantes audio, qui pro foribus expectant, dum tu me detines; vale, res curabo tuas. *CLYT.* Memineris etiam atque etiam precor, hoc unum me velle, ut præpoſtera de me hominum judicia reformet Jupiter, &, quam illi mihi invident, laudem, etiam cum fœnore reſtituat. *MERC.* Factum puta. *CLYT.* Si res ex ſententia ceſſerit, neque Te, neque Jovem, ſpondeo, illaudatos feram.

SCE-

S C E N A VII.

M E R C U R I U S.

O Stultas preces! ò ridicula mortalium vota! mitto quàm ſtultè ſibi perſuaſerit, unum ſapere ſe, reliquos inſanire dum putat. Verùm ſimplex ne furor eſt hoc rogare Superos, ut multitudinem prava ſentientem dedoceant & ad meliora flectant conſilia .... At quid ſibi vult iſte ſervulus?

S C E N A VIII.

M E R C U R I U S, D R O M O.

D R O M O.

NÆ ſervitutem ſervio illætabilem, miſeram, deteſtabilem! *MERC.* Quid quereris tantùm? *DROM.* Heu! quid queror? Dic potius; quid non queror! Tota in me, credo, conjurat Domus. Vir, Mulier, Liberi, Domeſtici. Ipſa etiam Felis & Simia, quaſi icto inter ſe fœdere, me me affligunt omnes & excruciant miſerabiliter. Ni quid adjuraris, ò bone, Mercuri, res mihi, ne vivam, ad reſtim & ad laqueum rediit planiſſimè. *MERC.* Bono eſto animo; amicam opem ſenties; ſed effer priùs quod tibi ſit querelarum caput. *DROM.* Ergo, ne quid ignores, Deorum, quotquot ſunt, humaniſſime: Eſt Herus mihi, cui ſervio tam liberaliter ut nemo magis! aſt utinam tu noſſes Virum! Dives agris ille quidem, dives poſitis in fœnore nummis, at tam parcus, tam tenax, tam avarus, tam ſordidus, ut avaritia ipſa, ipſa tenacitas, meræ ſordes ſuum in homine domicilium poſuerint. *MERC.* Hoc quereris unum? *DROM.* Et hoc videtur tibi de nihilo, dum longa indicit ventri jejunia, dum fame ſervos enecat? *MERC.* At ipſe, quomodo tandem ſe habet? an lautè, an ſplendidè? *DROM.* Duriter ſe habeat quantum volet, & ipſe ſit injurius ſibi, nihil moror; at me nihil tale meritum cur tam malè tam immiſericorditer caſtiget?... quanquam ò!... *MERC.* Quid ſuſpiras? *DROM.* Heu levia memoravi nimis! *MERC.* Eloquere. *DROM.* Et iſthuc adjice, quòd moroſus ſemper ac querulus, quòd iræ impotens, quòd contentionis cupidus, quòd amans rixarum, quarum finis hic uſque miſerabilis, Dromo innocens ut vapulet! *MERC.* Incommodum id quidem. *DROM.* Incommodum, ſupra quàm dici id queat. *MERC.* Sentio. *DROM.* Sentio, ipſe multò magis. *MERC.* Age, quidvis ut faciam tibi? *DROM.* Finem hunc ergo credis malorum quæ patior? *MERC.* Habes aliquid aliud, quod expoſtules? *DROM.* Ordimur. *MERC.* Quid ais? *DROM.* Diſce, Mercuri, quod verum eſt. Rem eſſe nobis dixi cum Hero peſſimo: quid ſi Viro peſſimo Uxor pejor ac nequior? Ne ſervitium ferre malim Megæræ cujuſpiam, quàm iſtius mulieris, adeo ad omne malitiæ atque acerbitatis comparata eſt genus. Bellum domi continuo, pax nulla. Adeſt perpetuo clamitans ac vociferans rem per me dilapidari domeſticam, moveri turbas, ſuſdeque permiſceri omnia. Verbero nimirum ego, ſi quid veri crepat illa, furcifer, ſycophanta, flagellis uſque cædendus ac loris.

Hæccine vita eſt quam vivimus? Teſtem te unum volo, Mercuri, atque arbitrum! *MERC.* Non is ego ſum, quem aliena non tangant mala. *DROM.* Liberos prætereo, prolem parentibus non abſimilem, quibus hoc volupe eſt inter cætera, ut, ſi quid peccaverint ipſi, peccant autem, ita me dii ament, quàm plurima, miſerum in Dromonem culpam conferant, cum tamen a me ſit quàm procul. Si fractus cyathus, ſi epota amphora, ſi quid comeſtum furtim aut ſubreptum clanculo, reus omnium agor protinus & verſanda mola damnor ad multos dies. *MERC.* Vin' tu in libertatem vindicari? *DROM.* Non ipſa mihi diſplicet adeò ſervitus. *MERC.* Vin' mutare Dominos? *DROM.* Neque illud eſt quoque, quod ego rogare te velim. *MERC.* At qui beatum eſſe jam licet; quid moraris? *DROM.* Beatum vere facies, id ſi beneficio tuo conſequar, quod votis omnibus ambio. *MERC.* Mentem explica. *DROM.* Erudire meditor heros meos, quo ſervos habere condeceat loco. *MERC.* Et hoc ſervi liberalis eſt: at quo demum pacto id perficies? *DROM.* Facillimè, unum ſi modo exoratus annueris. *MERC.* Cedo, quid petis? *DROM.* Fac eum eſſe me qui Herus eſt, & Herum viciſſim eum eſſe, qui ego ſum. Vah! niſi brevi & Virum & Mulierem & Liberos, quotquot ſunt, tam placidos quàm oves reddiderim! *MERC.* Inventum feliciter! *DROM.* Hoc da meo dolori ſolatiolum, ut paucos per dies regnum in eam domum exerceam: næ egregiè ornatos omnes dabo virtutibus ſuis! *MERC.* Quid faceres porro? *DROM.* Hero primùm ipſi loculos, quos in oculis habet, & quibus tanquam ſacris parcit, eriperem. Tum cœnando opiparè, bibendo largiter, ridendo, ſaltando, jocando, genium ac cuticulam curando molliùs, facerem exemplo meo, ut diſceret, quid valeat nummus; vel quos in uſus tandem impendi debeat. Tum, ne qua libido veniret homini excarnificandi me deinceps, ut fecit, emendatum liberaliter juberem in piſtrino tandiu molere, periculo dum ſapiens ſuo habere ſervulos noſſet humaniter. *MERC.* Metuo nequid pejus ſtatuas in mulierem. *DROM.* Sua ipſi pœna parata eſt, & digna, ne vivam, indolis pervicacia. *MERC.* Tamen cave, ne rigidus plus æquo atque acerbus videare. *DROM.* Perenni velim damnata ſilentio, loquacitatis pœnas æternùm luat. *MERC.* Nimis auſterus es. *DROM.* Ne latum unguem detractum feram. *MERC.* De adoleſcentibus taces? *DROM.* Nec indonati abirent illi: nimio languent ac depravantur otio. Proh! quibus in agro ſingulos exercerem modis! Confide, Mercuri, totam tibi pulchrè erudiam domum; tu fac tantùm adjutor ut ſis. Abeo; vereor etenim, ne, ſi me Herus morantem longiùs ſenſerit, interim dum Herus eſt, jure abutatur ſuo.

SCENA IX.

MERCURIUS.

SAltem jucunditatis habet non nihil, quam pre ſe tulit ſervulus, ingenii feſtivitas. At quis ferat oblatam deſpici ab eo libertatem ſpe tam fragili, tam ludicra animum explendi ſuum? Sic præpoſtera ſemper & inania mortales ambiunt .... An ſaniora fortè, qui prodit, rogabit ſenex?

SCENA X.

MERCURIUS, POLYCHRONIUS.

MERCURIUS.

ET tu Polychroni, quid petis? quod præſtari tibi à nobis officium poteſt? *POL.* Maximum. *MERC.* Fare. *POL.* O ſi ſcires, Mercuri, quàm grave ſit onus illud Nonagenarii quod ferunt. *MERC.* Hoc te onere ſolutum velles. *POL.* Divinaſti. *MERC.* Sic erit brevi, ne metue: aderit jam dies ille, qui te omni cura liberet atque moleſtiæ. *POL.* Quid loqueris? *MERC.* Dico inſtare tibi ſupremum diem. *POL.* Apage, apage; non iſtud eſt, quod peto. *MERC.* Quid ergo eſt quod velles? *POL.* O mihi præteritos referat ſi Jupiter annos, qualis eram!... *MERC.* Intelligo: hac deponere ſenium lege malis, ſi priori reſtitutus Juventæ fores. *POL.* Omninò, omninò: rem attigiſti penitus. *MERC.* Atenim an non vixiſti ſatis huc uſque contentus ut ſis? *POL.* Eſſem contentus magis, optime Mercuri, ſi peractum ſemel remetiri curſum liceat. *MERC.* Tantam adeptus gloriam; rebus domi foriſque præclarè geſtis? Tot meritus laureas, quid habes ultra quò poſſis tendere? *POL.* Proh! quanto majorem longa rerum experientia factus doctior gloriam adipiſcerer! *MERC.* Nihil te piget tot laborum quos inter armorum tumultus exantlaſti, nihil curæ, nihil ſollicitudines, quibus obnoxiam noſti mortalium vitam, deterrent? *POL.* Didici quo tolerari pacto fortuna debeat quantumvis aſpera. *MERC.* Tu, qui legionibus imperitaſti, repueraſcere velles cum puſiunculis, devorare rurſus prima Literarum rudimenta & omnem ſubire ætatis illius aleam? *POL.* Leves apage periculorum caſus quoſcumque loqueris.... O fortunati nimium, ſua ſi bona norint pueri quotquot ſunt! Crede mihi, optime Mercuri, nunquam ſe produnt magis Juventutis commoda, quàm cum elapſa eſt ſemel. Quanto deguſtarem illam ſuaviùs, iterum ſi adforet! *MERC.* Atenim vide quanto de gradu excideres. Te venerantur omnes ac colunt, tibi aſſurgunt venienti, ultroque ac volentes decedunt. *POL.* Jucundiùs, ædepol, quidpiam eſt hæc eadem ſperare poſſe poſt longum tempus. *MERC.* Nec pecunia te retinet tua? *POL.* Pecuniam ais? *MERC.* Oppidò. *POL.* Pecuniam ſervare non liceat mihi? *MERC.* Neutiquam. *POL.* Pecunia mihimet eripitur mea? *MERC.* Prorſus. *POL.* Quam labore tanto comparſi miſer? *MERC.* Sic erit. *POL.* Cur autem? *MERC.* Lex dicta vitæ curſum temetientibus. *POL.* Dura lex! At pecunia carere qui poſſum mea. *MERC.* Aliam dum vives comparabis. *POL.* Iſtuc non ſic in promptu eſt, ut retis. Difficiliora jam ſunt tempora: Res hodie minor eſt olim quàm fuit, & ætas haud dubiè poſtera etiam deteriorem feret. *MERC.* Tuum eſt ſtatuere porro, utrum è duobus malis vitam, an opes? *POL.* Utrumque bonum eſt. *MERC.* Scio: ſed alterutro carebis. *POL.* Tun' hoc jubeas? *MERC.* Jubet ordo fatorum irrevocabilis. *POL.* O dura nimiùm fata! *MERC.* Vale ſis: biduum datur tibi ad deliberandum. *POL.* Æquior nunquam fuit deliberandi cauſa. *MERC.* Sanum tibi conſilium apprecor. *POL.* Etiam verbulum. *MERC.* Perfice. *POL.* Quid meis fiet,

obſecro, cedere me ſi oportet bonis? *MERC.* Ne te iſthæc cura remordeat. *POL.* Opes dum perdo, ego lentus ut ſim? Ah! Mercuri, iſtud da, precor, ut ſciam. *MERC.* Dicam: fortunas, uti ſit, heres abſumet tuas. *POL.* Heres perfidus fortunas abſumet meas? *MERC.* Et hoc mirum eſt? *POL.* Terrarum intra viſcera potiùs defoſſas velim. *MERC.* Vale, inquam, ne me detine ulteriùs! *POL.* O vita! ò pecunia! quò diverſum rapitis?

SCENA XI.

MERCURIUS.

NUllus ergo objiciet ſe mihi, cujus audire vota non pigeat. Puerum video: Hæc ætas fuci neſcia atque expers doli, auſcultemus, quò pueri vota ferantur, & quid veniat rogatum Deos?

SCENA XII.

MERCURIUS, EUGENIUS.

EUGENIUS.

VAh! miſeram & infelicem ætatis noſtræ conditionem! Vidi, cùm abeundum mihi ſoret, ne hanc quidem votorum partem aſſecuto, ut tibi, Mercuri optime, vel liceret ſalutem dicere. *MERC.* Nam cur animule mi? *EUG.* Nempè cedendum fuit cæteris, quotquot hìc aderant, omnibus; ita deſpicimur nos pueri, & eſt nemo, noſtra quem moveat calamitas! *MERC.* Quam tu hìc calamitatem ais. *EUG.* Calamitatem calamitatum calamitoſiſſimam. *MERC.* Vide, quàm gravem facias ætati tuæ calumniam, quam reliquas inter feliciſſimam, uti revera eſt, ita planè nuncupant. *EUG.* Superi! *MERC.* Seniores conſule, quotquot ſunt, cordatos utique ac ſapientes viros; nemo illorum eſt, qui hoc quotidie non clamitet, veſtramque adeo vobis ſortem non invideat. *EUG.* Credo, & hìc accedet miſeriæ cumulus, noſtra ut ignorentur mala. Ah! Mercuri, de nobis æquiùs fac ut æſtimes. Vel iſtud cerne jugum quod ferimus! triſte ſortis ærumnoſæ ſpecimen! *MERC.* Bono eſto animo, ſi quid eſt meritò quod expoſtules, æquum nactus es rerum tuarum Judicem, imò & adjutorem. *EUG.* Sic equidem exiſtimavi ſemper, Deorum æquiſſime; & hac fretus humanitate tua venio, malorum levamen aliquod per te ut habeam. *MERC.* Præſto ſum: quid quereris? *EUG.* Age, quid non querar, in hoc quod decurrimus ſtudiorum curriculo? *MERC.* Imò quid hic non juvet; & hæc juventus lætiſſima, quam non præ ſe fert ſuaviſſimæ cujuſdam vitæ ſpeciem. *EUG.* Nimium ne crede colori: Frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur. *MERC.* Næ periti vos eſtis diſſimulandi artifices! *EUG.* Sic nocemus nobiſmet ipſis miſeri, dum liberales plus æquo ſumus! At, at ſortem hanc excute totam, quam patimur, & diſce quanta nos premant mala! Quanquam nolim ego te morari longiùs, ſit unum hoc ſatis expoſtulaſſe mali genus, ſervitutem miſerrimam. *MERC.* Nam quis hoc credat? *EUG.* Imò, quis hoc non fateatur? *MERC.* Nunquam id evinces. *EUG.* Da brevem moram, Mercuri optime: nolim hic

ego

Digitized by Google

ego ſucum facere, nam quis vobis illudat Deis? Rem demonſtro ipſam luce meridiana clariùs. Age; quis ille, amabo, ſervus omnium miſerrimus? Opinor, qui alieno ſemper vivit arbitrio, nunquam ſuo. *MERC.* Ut detur hoc tibi: quò rem deducis demum? *EUG.* Atqui vita hæc noſtra eſt, ut campanula, vigilandi, dormiendi, edendi, jejunandi, laborandi, feriandi magiſtra ſit. Gaudes ſtertere multam in diem heſterno feſſus labore: Ecce importunus ante ſolem ortum ſonus è ſtratis exturbat. Dormire non juvat? Datum eſt ſignum ad quietem, decumbendum eſt. Fames urget? hora non inſonuit, ſervanda jejunia. Non eſuris? cœnæ tempus eſt, truderis ad menſam vel invitus. Feriari velles, invitat tranquillæ lucis amœnitas? Nihil agis, durus monitor pellit ad ſtudium. Ludere in præſentia non amas? aer pluvius eſt? Fruſtra ſis, dies ludo dicitur, neceſſe eſt ut vel cum faſtidio ludas. *MERC.* Vis illa quidem eſt, at amica vis. *EUG.* O ſi unum hoc eſſet ſervitutis noſtræ incommodum! *MERC.* Quid? eſt etiam aliud, quod adjicias? *EUG.* Ordimur. Nam quæ durior ulla ſervitus, quàm tot habere dominos, quot obvios, tot cenſores atque obtrectatores juventutis, quot moderatores paſſim offendas; quibus ſi placere omnibus volueris, nihilo quid ſuſcipias operoſum minùs, quàm ſi fœcundam & recentibus uſque capitibus pullulantem Hydram uno conficere ictu tentaveris. *MERC.* Mirum illud quod ais? *EUG.* Hilaris es, comis, feſtivus, ut fert ætatis noſtræ conditio; invenies, qui te levem turbidum, etiam amentem dictitet: Gravitatem quandam affectas præter ætatem? moroſus, difficilis, obſcurus haberis. Garris ingenioſè, ſuaviter arrides, comiter blandiris? callidus continuò, verſipellis, aſtutus audies. Simplicior contra urbanitates ejuſmodi non aucuparis? Vix ac ne vix quidem vitabis nomen arrogantiæ. Corporis cultum paulum negligis? Sordidus es, impexus, obſoletus. Capillos identidem in cirros agis & cyprio conſpergis pulvere? Politulum clamant & cuticulæ ſtudioſum plus æquo ſuæ. *MERC.* Unde tibi tam diſerta diſcendi copia? *EUG.* Mitto jam varias tempeſtates ac procellas, tot ſyrtes ac ſcopulos, tot fortunæ reflantis ictus, ſine quibus tam longæ navigationis curſus non perficitur. Ecquis porro tam felix, quis diverſa inter pericula tam induſtrius, ut navigiolum, quod ſinguli deducimus, non allidat vadis identidem, & miſerum aliquando naufragium non ferat? Scilicet, per varios caſus, per tot diſcrimina rerum tendimus in Latium. *MERC.* Confide: præſentes experieris Deos, & exaudiri faciles: Quid petis? *EUG.* Malorum finem, Mercuri, ni grave eſt. *MERC.* Quid? vis nuncium remittere Litteris, & aliam artem profiteri magis commodam. Ego quidem ac lubens: at eſt etiam aliud ultra quod rogitem. *MERC.* Quid illud porro? *EUG.* Omnem penitus ut liceat dominatum excutere. Piget me, pudetque, Mercuri, tam diuturnæ ſervitutis. *MERC.* Nam quis ætatulam hanc regat, ſi moderatorem non habes? *EUG.* Et huic mederi potis es incommodo; da tempus ipſum finire adoleſcentiæ, & eam ſtatim aſſequi partem ætatis, quæ me juris efficiat mei. *MERC.* Tu ſuccidi vitæ tempus optatiſſimum? & tibi tot annos eripi patiare? *EUG.* Neutiquam; ſed voti compos per te ſemel cum fuero, Mercuri; eoſdem quos abſtuleris, reſtitues annos, & in hoc vitæ articulo, quam longam voles, faciemus moram. *MERC.* Intelligendo: vale ſis. Norit Jupiter quid poſtules. Interim; hoc ſtude, ut obſequio docili tam ſingulare beneficium promereas.

SCE-

Digitized by Google

SCENA XIII.

MERCURIUS.

IGnoſcendum huic ætati & condonandum facilè, ſi quid inconſultum roget... At agreſtis prodit! an in illa ſaltem vitæ ſorte nulla deprehendemus ſimplicitatis bonæ, aut etiam æquitatis veſtigia?

SCENA XIV.

MERCURIUS, MOPSUS.

MERCURIUS.

QUid tu hominis es? *MOPS.* Mopſus vocor, Deorum optime, vicino in pago villicus, tibi paratus ad omnia. *MERC.* Ut ſe habent illic res tuæ? *MOPS.* Probabiliter ſatis, nihil ut ſit, quod querar. *MERC.* Segetem amplam collegiſti? *MOPS.* Plena, ne vivam, frumento granaria: vinaria cella cadis optimis abundat, nec ſine fumoſa perna caminus eſt. *MERC.* Domi alta pax, magna concordia? *MOPS.* Nullæ apud nos turbæ, nullus tumultus, niſi quem ciere placuerit. *MERC.* Animum verò nec ægritudo torquet, nec macerant ſollicitudines? *MOPS.* Procul à nobis, mihi crede, ſtabulant; neque ullum patimur eſſe ſub tecto noſtro triſtitiæ locum. *MERC.* Prudenter. *MOPS.* Si adfuiſſes aliquando, vel cùm reclinati ſub umbra molli in gramine, interiore falerni nota nos beamus feſtos per dies; vel cùm fiſtulæ ad cantum tundimus pede terram ſalientes, næ vitam vivere nos beatiorem diceres, & noſtræ ſorti, quantus quantus videris eſſe, invideas! *MERC.* Gratulor impensè tibi ſortem tam lætam, & hic accedat precor felicitatis cumulus iſthæc Jupiter propria ut faxit bona. *MOPS.* Pace tua, Mercuri optime, non iſtuc eſt quod velim. *MERC.* Nam quid melius vel faciam, vel optem tibi? *MOPS.* Vide, ne quid diſſimulem, aut circuitione utar longiori, tædet me tamdiu ruri vivere, & Mopſum ubique trito ac vulgari nimium dici vocabulo. *MERC.* Tamen tibi bene eſt, ut tute fateris, & nihil eſt in pago, quod deſit tibi. *MOPS.* Eſto; ſed in urbe meliùs eſſe dum poteſt, cur amator urbis non videar? Cæterum iſtiæc, opinor, ſpecies apta ſatis ex ſe ſe, cùm politior ornatus acceſſerit, ut cives inter aliquem habeat locum. *MERC.* Forma nimirum perelegans. *MOPS.* Ingenium iſto in corpore non contemnendum latet. *MERC.* * Inſulſum caput! *MOPS.* Adde, quòd neſcio quis aurem vellicat identidem, & admonet tacitum: Mopſe, quid agis ruri? ad urbem propera: noli dubitare, rem facies. *MERC.* Hoc credis? *MOPS.* Quin & memini, dum eſſem Junior, dicere Melibœum, qui non levis augur in pago noſtro audiebat; memini, inquam, dicere, cùm me reſpexiſſet attentiùs, iſte, ſi vixerit, proh! qualem evadet in virum. *MERC.* Ruris ergo te piget? *MOPS.* Omninò. *MERC.* Placet urbem viſere? *MOPS.* Imò perplacet, vixque animus ſe capit, dum blanda reputat urbis gaudia. *MERC.* At dic, amabo, quid in

* Seorſum.

in urbe facies? *MOPS.* Civis ego dicar civium de numero, & digito monſtrabor prætereuntium. *MOPS.* At ſi mutata conditione, ſortem pariter ac fortunam mutaveris, ſi rerum omnium copiam egeſtas turpis, tranquillitatem animi anxietas, gaudium ac lætitiam labor ac dolor ſubſequantur, quanti faciendam urbem æſtimes? *MOPS.* At utramque experiri fortunam lubet. *MERC.* Pœnitebit. *MOPS.* Pol jacta alea eſt: nihil eſt quod factum mutem, aut retractem dicta. *MERC.* Partes autem in urbe quas tibi agendas eligis? *MOPS.* Rogas? primas ſcilicet. *MERC.* Primas? *MOPS.* Hoc animum induxi meum: in votis faciendis parum aut nihil intereſſe, pluſne minùſne poſtulaveris. *MERC.* Erras: ipſis etiam in votis habenda moderatio eſt. *MOPS.* Si quid imminuendum videbitur, crede mihi: non agam tecum contentiosè: neque enim ambitioſus ego ſum, neque eorum de numero, qui, ſi obtinere primas non valuerint, ſecundas ultro non ferant. *MERC.* Commodam video ac patientem nactus indolem es. *MOPS.* In humanis rebus hoc paratum animo eſſe oportet, quaſi ſi ludas teſſeris, ut ſi quem maximè velles, jactans non obtigerit, eo, qui obvenerit, contentus ut ſis. *MERC.* Bene eſt. De iſtis apud Jovem conſultabimus. *MOPS.* At rem urge, & omnes moras amputa. *MERC.* Quieſce. *MOPS.* Et nos aliquod nomen decuſque tandem aliquando geremus. Vale: fac apud te ſis, tuamque ſedulus opem ut impertias.

SCENA XV.

MERCURIUS.

Etiamne genus iſtud hominum ambitio ſtulta inficiat? Quò, quò recedes demum, aurea ſimplicitas, ſi caſas humiles & ruris arcanos receſſus defugis? Fugiam & ipſe terras iniquas, & ſceleratos mortales relinquam nunquam reviſurus.... Abeo. Tamen Ariſtum video, virum integræ apud homines famæ: nihil ille iniquum orabit aut petet, ſat ſcio. Juvat impenſam malè audiendis tot hactenus nugis operam reſarcire, dum licet... at quid fugit....

SCENA XVI.

MERCURIUS, ARISTUS.

MERCURIUS.

Ades dum, Ariſte: quò reflectis pedem? quò fugis? *ARIST.* Verebar loci hujus contingere ſanctitatem, & fatigatum te multorum, ut reor, ineptiis etiam interpellare. *MERC.* Imò, imò: accede potiùs; patet apud Deos uſque virtuti aditus ac probitati. *ARIST.* Rara avis in terris virtus ac probitas. *MERC.* Et hoc Superis chariores, qui, ut tutè facis, virtutem colunt. *ARIST.* Ah! parce; ſi quid in me boni eſt, quod ſentio quàm ſit exiguum, munus Deorum eſſe fateor, & grates ago. *MERC.* Bene eſt, Deos puta propitios tibi hac faventes; atque illis

ad

ad voluntatem utere. *ARIST.* Etiam aliquid ut adjiciant Dei? *MERC.* Ita ſpondeo; opta tibi quod voles. *ARIST.* Heu! quid velim? *MERC.* Vis divitias atque opes dari? *ARIST.* Modicas Superi dederunt, iiſque contentus vivo. Tamen, ut fatear quod res eſt, dum penſo mecum tacitus, quàm perperam opibus utantur ſuis, quotquot ingentes poſſident, dico identidem ſuſpirans, hæ! ſi contigiſſent mihi, facerem ut quereretur nemo collocatas malè. *MERC.* Factum puta, Ariſte: diteſces. *ARIST.* Saltem provide, opes ne prava contingant via. *MERC.* Num quis eſt honorum gradus, ad quem aſpires? *ARIST.* Procul eſt à me, ne viam, honorum fames, eumque reputavi longè fortunatiſſimum, qui vivere obſcurus poteſt. Tamen quis ferat, Deorum optime, deſpectam jacere probitatem, dum regnat vitium ac triumphat? O ſi nactus eſſem juris quidpiam, ſi ſtarem, ſceleſtus ille quo nunc ſtat loco! *MERC.* Quid eſt, Ariſte? habes aliquem, qui tibi officiat, aut quem adverſarium feras? *ARIST.* Abſit, cuiquam ego infenſus ut ſim; at neſcio quo meo fiat fato, nullus ut virtutis hoſtis fuerit unquam, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit. *MERC.* Permirum illud eſt. *ARIST.* Res agitur virtutis, ut Agatho ſublimi dejectus gradu temeritatis ac ſuperbiæ pœnas luat. *MERC.* * O larvam virtutis!.... Scrutemur hominem penitiùs. *ARIST.* Nec pœnas qualeſcumque, ſed meritis pares. *MERC.* Atenim, Ariſte, durus videris & auſterus nimis. *ARIST.* Ego manſuetudinem colui ſemper quàmmaximè; neque quidquam eſt in me, quod ſciam, non blandum aut non melleum. *MERC.* At Agatho vir probus taliſque ſemper apud omnes audiit. *ARIST.* Probus? hominem ita noſti? Equidem vim facio mihimet ipſe, dum apertè loquor quod ſentio: nam & amicus olim fuit & amicum me ſibi etiamnum putat. *MERC.* Et amicum prodis? *ARIST.* Uni ego amicus virtuti. *MERC.* * Sceleratum caput!. ſed urgeamus... Magnum in te, video, cuſtodem ac ſatellitem virtus habet. *ARIST.* Heu! virtus infortunata quàm paucos defenſores invenit? *MERC.* Te patrono ac vindice quid metuat? *ARIST.* Equidem id ego ſum conſecutus, ut virtutis cultor ac propugnator audiam: hac gaudeo fama? quam Jupiter mihi propriam ut faciat, etiam atque etiam precor, ipſam, cum volet, virtutem dabit. *MERC.* Hæc ambire te, peſſime veterator, hæc precari? Sic illudis ergò multitudini, ſic perſtringis oculos fucatæ larva probitatis?... Neſcio quæ lentum teneat mora; quin ego te diffidam medium &... Apage hinc longiùs, debita fulminanti Jovi victima. Interim qualis ſis, poſtmodum innoteſces & urbe tota cantaberis. *ARIST.* Heu! quid agam? quò me vertam? perii!

* Seorſum.

* Seorſum.

SCENA ULTIMA.

MERCURIUS.

Eone veniſſe quemquam improbitatis? Reliquos ſuſtinui patiens vel dum ſtulta peterent. Aſt impia poſtulantem quis ferat? Repeto cœlum protinus: aut illatam mihi ſibique vindicabit injuriam Jupiter, aut alium inveniet, partes implere qui velit meas.

F I N I S.

REVO-

Digitized by Google

REVOCATA
VIRTUTEM INTER ET FORTUNAM
CONCORDIA.
DRAMA.

ACTORES.

VIRTUS.
FORTUNA.
ALEXANDER.
ANNIBAL.
CÆSAR.
POMPEJUS.
CATO.
CICERO.
DAMASIPPUS, Philoſophus.
LABERUS, Poeta.

PROLOGUS.

VEtus eſt multorum querela; ut, ſi minùs bene ſibi fuerit in vita, Fortunæ vel temeritatem vel inconſtantiam accuſent, neque parem meritis ſuis favorem reſpondere ſemper expoſtulent. Hinc quidam ita rem deducere, ut raram eſſe velint Virtutis cum Fortuna concordiam; tamque ex adverſo poſitam putent eſſe utriuſque indolem, ut vix ullum, aut certè longum habere poſſint inter ſe commercium. Ii porro rectène ſentiant an ſecus, pronunciàre non auſim. Verùm quid ſuper hujuſmodi controverſia, jam inde ab Auguſti Cæſaris temporibus, in mutuo prolixoque Virtutis ac Fortunæ congreſſu deciſum ſit, veſtris omnium oculis hodie ſubjiciemus. Nunc autem in tanta cùm temporum intercapedine, tum morum diſcrepantia, mutatumne quiddam aut interpolatum ex ſancitis olim & acceptis utrinque legibus cenſeri debeat, id æquiſſimi tot perſpicacium ſpectatorum judiciis dirimendum relinquemus.

SCE-

SCENA PRIMA.

VIRTUS.

VIx ac ne vix quidem, credo, ſuffi ciam deinceps excipiendis tot querelis; adeo multi expoſtulatum apud me quotidie veniunt, malè ſemulctatos a Fortuna, Virtuti dum ſerviunt impenſiùs. Sanè tumultuantem turbam niſi Minos & Eacus coercuiſſent, necdum elapſa forem eorum de manibus. Equidem ſcio, tanto in numero reperiri non paucos, qui falſo Virtutis nomine gloriantur, & meritorum reputant loco, quod una ſuaſit aut perfecit cupiditas. At injurioſa nimis ego ſim clariſſimis tot viris fortiſſimiſque Heroibus, niſi, quam petunt, ultro navarem operam, certumque jam defuncti vita haberent in Virtute patrocinium, qui dum viverent, Virtutis ſe cultores fuiſſe profitentur. Movit me inter cæteros, ut fatear quod res eſt, Romanorum quorundam calamitas, qui non æquam ſatis, ut mihi quidem videtur, pro meritis Fortunam experti ſunt.... Unde autem ſtrepitus ille concurſantium? An ruptis impune obicibus memet inſequuntur uſque Manes queruli?....

SCENA II.

CICERO, POMPEJUS, CÆSAR, CATO, VIRTUS.

CICERO.

AMica Virtus, tunc ſic amantem tui, ſic ſtudioſum rerum tuarum Ciceronem abjicies? En cerne recentis adhuc, & nondum obducti vulneris infandam citatricem! ò tempora! ò Mores! *CÆS.* O Cæſaris olim deliciæ, Virtus optima, mene tam luctuoſo periiſſe fato patieris, dum tuis ego partibus unicè ſervio? *POMP.* Nihil igitur erit, Pompejus quod queratur, quem Virtutis odio invidioſa nimis Fortuna ſuſtulit, tibi, Tyranne, dum favet? *VIRT.* Probris parcite, amabo vos: ſpondeo me vobis æquam omnibus. *CAT.* Nec amicum veterem, & tibi ſemper addictum deſeres, ò Virtus optima, Catonem vides. *VIRT.* Hominem video Virtuti ſimillimum. *CAT.* Et noſti quales me ad anguſtias inimica tibi Fortuna adegerit.

SCENA III.

VIRTUS, CICERO, POMPEJUS, CÆSAR, CATO, ALEXANDER, ANNIBAL.

ANNIBAL.

UNus erit, opinor, Romanis locus, de Fortuna quod querantur apud Virtutem? Agnoſcitis, Romulidæ, Annibalem illum, veſtræ olim genti tam fatalem; ac niſi Fortuna reſtitiſſet, pro ſua levitate & inconſtantia,

ſtantia, ſuperbæ Romæ futurum jam jam extinctorem? *ALEX.* Et Alexandre adverſam ſibi Fortunam non arguet; quem imminentem totius orbis imperio, Virtute duce atque auſpice, in ipſo ætatis flore medioque victoriarum in curſu per ſummum nefas vitæ eripuit? *CAT.* Ecquis erit deinceps, ò bona Virtus, qui famulari tibi velit, ſi regere cuncta pro arbitrio Fortunam feras? *CIC.* Quem Patronum habebis ac defenſorem contra improbitatis audaciam, ſi fautores tuos atque aſſeclas ſortis iniquæ ludibrio permiſeris? *CÆS.* Aut nominis mei memoriam ab injuria Fortunæ vindica: aut erit nemo, qui Tyrannus eſſe, quàm patriæ patens non malit. *POMP.* Quid cætera juverit comparaſſe, una Fortuna ſi deſit? *VIRT.* Confidite; veſtras ego partes agam ſedulò. *ANN.* Cave, tibi ne excidat, quantum in Annibale clientem nacta ſis. *ALEX.* Hunc tuere, Virtus, pro tuo, quem ſuum fateri Jovem non puduit. *VIRT.* Secedite omnes, dum Fortunam quæritо, & veſtras, ſi fortè illam occupare liceat, defero querelas. At cavete, ne quis tumultus Manes alios exſuſcitet: ſi quid erit, quod loqui pro ſe quemque oporteat, monitos dabo.

SCENA IV.

VIRTUS.

NAm quò requiram levem & inconſtantem Deam? Sentio; Regiæ foribus aſſidebit ut ſemper. Mirum! quod Cæſaris unius Auguſti gratia dediſcere viſa ſit mores atque indolem?..... Numquid ipſa nobis ſponte ſe offert?.... Nihil falſum auguror. Oculis depoſuit faſciam..... ut magnifico ſuperba incedit gradu! Nihil moror; experiar, num me vel oculata ignorare obſtinet, aut etiam notam probè deſpiciat?

SCENA V.

VIRTUS, FORTUNA.

FORTUNA.

QUàm iniqui ſunt Mortales! ita nullum ponunt improbitati aut finem, aut modum! Neſcio quid me teneat, quin nocentes terras ego deſeram, &.... peracta res foret jam diu, niſi moram etiamnum ponerent, pauci illi quidem, at tales quibus favere me nunquam pœniteat... Pergo, quò me res illorum vocant. *VIRT.* Hem, quò te proripis, obſecro? ſiſte paululum. *FORT.* Quid petis, aut Tu quis es? *VIRT.* Ita me ignoras, perfida? an potius ignorare te fingis? *FORT.* Permitte, ut ego te contempler attentiùs. *VIRT.* Næ te cœcam meritò nuncupant, vel cùm poſito velamine videris oculata! *FORT.* Cave ne me incuſes immeritam. *VIRT.* Etiam non ſentis, improba, Virtutem non agnoſcis? *FORT.* Ita eſt, ut dicis? Nihil ſimulas? *VIRT.* Etiam juranti non credet. *FORT.* Ignoſce, ò bona Virtus! at errare mihi contigit tam ſæpe, idem multi dum profitentur perperam, ut nec dum rationem dubitandi omnem penitus ſuſtuleris. *VITR.* Ergo non faciunt fidem, qui ſedet in oculis pulvor, in

in vultu modeſtia, & in toto corporis habitu nativa ſimplicitas? *FORT.* Ambiguum apage, & ſi quod eſt aliud, ut jam vivitur, ſignum mendax ac futile. *VIRT.* Quid ais. *FORT.* Ad ſingula pœne veſtigia occurrunt mihi, qui hanc ipſam, quam jactitas, compoſitionem corporis, hunc oris habitum præſeferunt, tui tam ſimiles, quàm ipſa tibi. *VIRT.* Mirum illud eſt omninò, quod loqueris. Tamen, ſi bene memini, ſenſi te olim magis perſpicacem, nec tibi errare in me tam graviter contigit. *FORT.* Olim, non tam eruditi hominum mores ad fallaciam, quàm nunc ſunt. *VIRT.* Jam verò perſuaſi tibi qualis ſim? & expers fuci candor omnem ſuſpicionem abſtulit? *FORT.* Perſuades quidem: tamen ſtabat hodie fores ad meas homo nequam, ſi quis aliàs fuit, qui eo prope, quo tu, loquebatur modo. *VIRT.* Nihil ego jam mirer, ſi clientes meos & aſſeclas ignores, quæ me ipſam vix ac ne vix quidem agnoſcas. Fruſtra quid ulteriùs querar. Vale ſis. *FORT.* Tamen ſiſte: quid quereris? *VIRT.* Video; promptam habes cauſam & commodam, ut faveas improbis, & illudas probos: atque, ut fraudem etiam adjuves, oculos velas faſcia, & cœcam te fingis. *FORT.* Non ita cœcam, ut reris, ò bona! *VIRT.* Scio te improbam eſſe multò magis, quàm cœcam: adeoque nullam eſſe mihi deinceps tecum rem velim. *FORT.* Imò, Amicam me tibi crede. *VIRT.* Amicam? *FORT.* Amicam dico, amiciſſimam. *VIRT.* Dum meos abjicis? dum ſceleſtum quemque tueris ac beas? *FORT.* Scilicet. *VIRT.* Cur ille vitio pinguis ac ſcelere, conſpicuus auro nitet ac purpura? Cur iſte natus infima de gente ſummo ſedet rerum in faſtigio? *FORT.* An non ridere nonnumquam & jocari licet? *VIRT.* Rides, & jocaris? at illi riſu fruuntur ac joco. *FORT.* Non fruentur diu, mihi crede, in altum tolluntur, ut inde graviore lapſu corruant. *VIRT.* Eſto ludum inſolentem ludas cum ejuſmodi hominibus. Verùm quo tu excuſabis pacto contumeliam, quam infers viris nihil tale merentibus? *FORT.* Non video ſatis, quò pertineat iſthæc objurgatio. *VIRT.* Veniunt ad me quotidie, qui malè ſe haberi à re expoſtulent, hoc uno nomine, quòd partes ſequantur meas. *FORT.* Et hoc credis? *VIRT.* Quotquot moriuntur imprimis, nemo unus eorum eſt, qui te non accuſet graviter. *FORT.* Vetus eſt illa, mihique cum Medicorum grege communis jampridem contumelia. *VIRT.* Sanè diffiteri non poſſis, minùs æquam te fuiſſe multis ex hac ipſa Republica Heroibus, quibus, dum viverent, tanquam Virtutis veræ cultoribus ſuffragata vox omnium eſt. *FORT.* Imo: Nego iſtud ac pernego. *VIRT.* Utinam audiiſſes eorum de te querelas! *FORT.* Audiam ultro, ſi lubet, teque unam velim controverſiæ totius judicem atque arbitram. *VIRT.* Tam gratum facis, quàm quod gratiſſimum. Orabunt cauſam ipſi ſuam, meque poſthac interpellare deſinent. *FORT.* Feliciter. *VIRT.* Manes in propinquo ſunt, qui me præſtolantur. At, ne tumultus fiat, adducam tibi alios poſt alios. *FORT.* Tu facito, ut voles.

SCE-

SCENA VI.

FORTUNA.

UT ego retundam hominum illorum faſtum atque inſolentiam! Sic eſt: ſi quid præter ſpem contingat aut votum, Fortuna culpatur una, ſæpe cùm eſt innocens. *CÆSAR.* *a* Primas mihi vindico. *CICERO.* *b* Ego acceſſi prior. *ANNIBAL.* Ego cederem tibi? *POMPEJUS.* Tun' mihi te conferendum putes? *ALEXANDER.* Rem utinam arma deciderent! *VIRTUS.* *c* Abſtinete jurgiis: nullus hic prærogativæ locus eſt. Mors æquat omnes omnibus. Rationem habebimus unam antiquitatis. *ALEXANDER.* Et hoc mihi jure primatum arrogo.

a Poſt ſiparium.
b Poſt ſiparium.
c Virtus ingreditur & reliquos ſtantes poſt ſiparium alloquitur.

SCENA VII.

FORTUNA, VIRTUS, ALEXANDER.

ALEXANDER.

ALexandrum noſti, Fortuna perduellis ac perfida? *FORT.* Sanè: cujus ego lateri per tot annos indefeſſa comes aſtiti. *ALEX.* Nempe, ut inſultares mihi, & capeſſentem univerſi orbis imperium tam cruentum in morem ſuccideres? *FORT.* Bellè! inſultabam ego tibi, dum expugnabas tot urbes, tot ſubigebas provincias, tot populorum victor triumphabas? *ALEX.* Etiam hoc tibi vindicabis, inconſulta, quod unius Virtutis merces ac præmium fuit? *FORT.* Hoc Virtus agnoſcat ſuum, quod inſpiravit Ambitio, ſuſcepit Furor, Fortuna perfecit? *ALEX.* Teſtem te volo, Virtus optima, quàm perperam iſthæc effutiat. Tu partem rebus in meis haberes ullam, per quam centies non ſtetit, quin in ipſo laudis aditu occumberem? *FORT.* Iſthæc falſo jactitas. *ALEX.* Non tu mihi ſemper & ubique inſidias comparaſti, peſſima? *FORT.* Et hoc pernego. *ALEX.* Non enecaſti me tantumnon in Cydno flumine? *FORT.* Quod ſudore perfuſus ac pulvere imprudenter intraveras. *ALEX.* Tu me in capite ad Granicum & Cycropolim, ad Iſſum in femore, ad Indos in humero, ad Maſacam in pede graviter vulneraſti. *FORT.* Dic ereptum te à me totidem illis periculis, in quibus, niſi adfuiſſem, multo ante tempore oppetiiſſes. *ALEX.* Ergo non viſus ſum tibi oppetere ante tempus, improba, quæ me in ipſo ætatis flore peremiſti immiſericorditer? *FORT.* Ego te peremi? *ALEX.* Hoc etiam diſſimulabis, tuis me inſidiis Babylone interfectum? *FORT.* Quas mihi inſidias canis? *ALEX.* Non propinaſti venenum tu mihi? *FORT.* Quid venenum accuſas? Accuſa intemperantiam, commeſſationes, crapulam. *ALEX.* Hæccine merces, hoc præmium debebatur rebus tot à me ſapienter, moderatè, fortiter geſtis? *FORT.* De fortitudine nihil tecum diſputo. *ALEX.* Et fructum invides? *FORT.* Levem nimirum fructum illum æſtimas, quem totius Orientis peperit victoria? Ne exhauſtos brevi theſauros ſuos Fortuna videat ſi tanti conſtet Herois cujuſque magnanimitas. *ALEX.* At cur eo me fructu gau-

gaudere non permiſiſti diutiùs? *FORT.* Feciſſem id ultro, ſi tam ſapiens ac moderatus, quàm fortis extitiſſes. *ALEX.* Sapientiam incuſabis? ede quidpiam ſapienter geſtum aut prudenter minùs. *FORT.* Egregium enimverò ſapientiæ ſpecimen; dum, relicto Macedonum regno, Erronis inſtar, orbem univerſum peragras? dum Scythis nihil tale merentibus bellum inſers ridiculum? Dum Hammonis Jovis Oraculum conſulis, ne Philippi habeare filius? Dum apud Perſas honores tibi divinos vindicas? *ALEX.* Credo paratam te facere adversùm me omnia. *FORT.* Et moderationem animi tuam oſtentabis? *ALEX.* Imò: tam conſtanter quàm verè profitebor. Age dum; quis in victoria minùs inſolens, quàm ego? quis in hoſtes clementior, in omnes moderatus magis extitit? Familiam Darii totam excepi ut meam, hoſtem Darium, non ut perderem, ſed ut ſervarem, ſum perſecutus. Extinctum luxi, percuſſores mulctavi: Porum etiam inſultantem regnis reddidi, & in amicitiam accepi. *FORT.* Feliciter: at cum nationes integras immolabas Epheſtionis extincti Manibus, cum Clytum inter epulas propria mactabas manu; cum iræ impotens obvios quoſque percutiebas, moderatus ac comis cenſebere? *ALEX.* Heu me! quid agam? *FORT.* Pluribus abſtine, ne ſi evulgentur iſta, quæ exprobravi meritò tibi, famæ, quam habiturus es apud poſteros, noceant plurimùm. *ALEX.* O bona Virtus, ita me deſeres? *VIRT.* Cauſam egiſti tuam: quid vis ut tua gratia faciam ampliùs? *ALEX.* O Fortunam duram mihi ſemper atque aſperam! * *VIRT.* Næ multactus à te nequiter ille Philippi filius! *FORT.* Vides, quàm me accuſaret perperam. *VIRT.* At ecce prodit Annibal.

* *Abit.*

SCENA VIII.

FORTUNA, VIRTUS, ANNIBAL.

ANNIBAL.

NOn is ego ſum, apud quem beneficium malè collocatum quis putet. Fatebor ingenuè, debuiſſe me olim tibi plurimùm, ò Fortuna! atque ex hac ipſa commemoratione meliùs intelliges, quàm juſtas de te querelas deinceps habuerim. *FORT.* Gaudeo, quòd æquitatis laude aliqua non careas. *ANN.* Sic eſt: faventem te & amicam ſum expertus, cum ex Hiſpania Gallias prætergreſſus, laborioſum mihi difficilemque aditum per Alpes aperui. Ac niſi me uno privaſſes oculo, dum huic operi incumberem acriùs; nihil fuiſſet de te tunc quod quererer. Sed prodigio ſimile quidpiam, niſi proſperos quoſque eventus aliqua labe ſemper aſpergeres. Dandum aliquid innatæ levitati atque inconſtantiæ. *VIRT.* Næ commodum in Annibale nacta es adverſarium. *ANN.* Satis bellè in ipſo Italiæ ingreſſu Carthaginenſes ultus ſum meos, quos Romani ex Sicilia expulerant. Tu me contra Sempronium adjuvaſti feliciter ad Trebiam, contra Flaminium adſuiſti Traſimenum ad lacum. Neque, ut fatear quod res eſt, egregiam minùs operam navaſti adverſus Minutii equitatum, quem cecidi ac delevi penitus. At triumphaſti mecum ad Cannas, neque monſtratum aliàs illuſtriùs quid Fortunæ ſociata Virtus valeat.

FORT.

FORT. Non expectabam tam ſincerum rerum mearum præconem. *ANN*. Et tamen deſeruiſti me, perduellis ac transfuga; & tamglorioſam beneficiorum tuorum ſeriem incredibili perfidia corrupiſti. *FORT*. Ego deſerui te? Cœlum Deoſque teſtor, niſi te Romæ ad mœnia totam hyemem otioſa præſtolata ſim; parata, ſi acceſſiſſes, civitatis portas ultro pandere: dum Te interim victoremque exercitum turpi deſidia & mollibus voluptatum illecebris Capuæ frangeres. *ANN*. An non videbar tibi mulctatus ſatis; qui multiplici affectus clade, & reverti coactus in Africam, Scipioni cederem, quem viceram priùs, niſi me varias per orbis partes circumageres tuæ levitatis atque inconſtantiæ ludibrium? *FORT*. Ita noſti Fortunam; ut neglecta ſemel ac contempta redeat? *ANN*. Egregium enimvero, & dignum tua procacitate ſpectaculum, Magnus ac mirandus cliens Annibal, & ad Regis ſedens prætorium, donec Bithyno Tyranno vigilare libeat? *FORT*. Tibi uni imputa. *ANN*. Saltem ſi medias inter hoſtium acies armatum mori; ſi quod priſtinæ fortitudinis ſpecimen contigiſſet edere! At unicum habuiſſe me in veneno præſidium! *FORT*. Et hoc meum gratulare tibi beneficium, quod Romanorum non veneris in manus, immanitatis, perfidiæ, impietatis pœnas daturus. *ANN*. Miſerum me, cui hæc inſuper probra ſuſtinenda ſint! Abeo. Te, te Dii perdant, peſſima! Quis hanc mihi mentem injecit, tecum rurſus ut contenderem? *VIRT*. Ni cæteri cauſa meliùs agant ſuam, ſanè viceris... At Catonem video: vereor ut hinc tam facilè te extrices, nam, ut fatear tibi quod res eſt, ille me totam devinxit ſibi.

SCENA IX.

FORTUNA, VIRTUS, CATO.

CATO.

NOn meas hodiè, ſed tuas, virtus optima, contra cœcam, levem ac ſceleratam Deam partes ago. *VIRT*. Sic amicus ſemper ac Virtutis defenſor Cato. *CAT*. Mihi utinam uni Fortuna nocuiſſet! nihil ego jam expoſtulem, & mea ſorte contentus ſatis, ſcelerati Numinis riderem injurias ac ludibria. Imò plus profuit illa mihi, dum nocuit, quàm favendo contuliſſet. Mihimet ego relictus uni humanum erudii genus, quàm facilè quivis Fortunæ præſidio careat, ſi vis animi, ſi prudentia non deſint. At quis ferat, ò bona Virtus, ut neglecta contemptaque jaceas, dum vitium exultat, atque triumphat improbitas? Non te puduit, inconſulta, ſi tamen quidquam eſt, cujus te pudeat; non te puduit, inquam, favere improbitati, dum à Virtutis partibus deficeres turpiter? *FORT*. Nondum video ſatis quid velis; aut cur mihi ſuccenſeas tantopere. *CAT*. Non ſuccenſeam ego tibi, & unà mecum Virtutis amatores, quotquot ſunt, non ſuccenſeant, dum Pompejanis terga vertis, ut ad Cæſarianos avoles? *FORT*. Et in ea te quid peccatum arguis? *CAT*. Quod ambitioni malæ, ac dominandi libidini ſervire, quàm juri & æquitati malueris. *FORT*. Unde hoc tam conſtanter affirmas pro vero? *CAT*. Hoc vidiſſes ſatis, niſi cæca fores & improba. *FORT*. Rem decidis tu qui-

dem: at contentioſam tamen & litigioſam hactenus. *CAT.* Ita ſentiebat Cato, dum Pompejo ſtuduit: exemplum ſumpſiſſes ex me, ſi quid potuiſſes ſapere. *FORT.* Magnificè! tamen victrix cauſa Superis placuit. *CAT.* At Catoni victa. *FORT.* Vereor, ſenſus ejuſmodi Virtus ut approbet, cujus te tam ſtudioſum ais. *CAT.* Iſthæc ne te maceret cura; æquiorem mihi Virtutem ſpondeo, Fortuna quàm extitit. *FORT.* Ne iniquus ipſe tu mihi, quæ Catonem ſic colui ſemper, ut neminem magis. *CAT.* Hoc tibi vindices, inconſulta? *FORT.* Age, quid gloriæ tuæ votiſve defuit, dum viveres? *CAT.* Merces hæc Virtutis, hoc præmium fuit. Operum hoc unum tuorum eſt, quòd me deſerueris Uticæ. *FORT.* Imo, amicas tibi ultro tetendi manus, & una vetuit ſuperbia, ne gauderet Cæſar ſervandi tui gloria. *CAT.* Superſtes Cato extinctæ libertati viveret? *FORT.* Video; novum illud & inſolens ambiebas præconium; ut cuncta terrarum ſubacta præter atrocem animum Catonis dicerentur. Apage hinc, felicior futurus, ſi modeſtior. *CAT.* Etiam illudat mortuo peſſima, & ultra vivendi fines inſultet? Piget deinceps, vel ipſum impii Numinis aſpectum pati. * *VIRT.* Verſabaris in loco difficili ac lubrico. *FORT.* Hinc conjice, quid à cæteris mihi ſit deinceps metuendum.

* *Abit Cato.*

SCENA X.

FORTUNA, VIRTUS, CÆSAR, POMPEJUS.

CÆSAR.*

* *Poſt ſiparium.*

POmpejo Cæſar ut cedat? * *POMP.* Diſce tandem aliquando cedere, qui faventem tibi magis quàm mihi Fortunam hodie non habes. *VIRT.* Metuo ne civile bellum etiam apud Inferos redintegrent. *CÆS.** Miror ego te, qui Fortunam accuſes, quaſi non amicam tibi. *FORT.* Bellè! agent ambo cauſam meam ſatis commodè, neque erit, ſpero, quidquam ego quod eloquar. *POMP.* * Teſtem appello te, Virtus optima, niſi iniquam mihi pro jure meo Fortunam querar, quæ beatam & cumulatam ex omni parte ſortem Pompejo inviderit. *CÆS.* Ecquid defuit tibi, felix ut beatuſque viveres? *POMP.* Nihil; unam ſi fortunam exceperis. *CÆS.* Ingratum te & accepti beneficii parum memorem! Nempe fortuna defuit tibi, qui Marium Catinam & Carbonem in Italia, Hieram Numidarum Regem, & Domitium in Aphrica, Sertorium & Perpennam in Hiſpania, Piratas Cilicum in Mediterraneo Mari, Mithridatem in minore Aſia, Antiochum & Ariſtobulum in Syria ubique victor ac felix ſuperaveris? Qui graviſſimo bello præficiendus eo nomine Imperator viſus es, quòd unus inter cæteros mortalium fortunatiſſimus exiſteres? Cui triumphanti, tam ſæpe, tam magnificè univerſus orbis plauſum dedit? Cujus expectationi votiſque clariſſimum quodque Reipublicæ noſtræ lumen vel in injuſtæ cauſa reſpondit? *POMP.* Injuſtam ais cauſam, quæ ambitioni tuæ frenos poneret ac modum? *CÆS.* Docuit exitus, utra pars æquior foret, Pompeji an Cæſaris. *POMP.* Et hoc eſt, in quo Fortunæ levitatem arguam; quæ me Pharſalicis in campis, cùm maximè adjuvare debuiſſet, turpis deſeruit transfuga; quæ perfugium quærentem apud amicum, illuſit tam.

* *Poſt ſiparium.*
* *Poſt ſiparium.*
* *Ingreditur cum Cæſare.*

tam crudeliter, ut ille contumeliam pro beneficio, mortem pro reſtituto Regno redderet. Hoccine Pompejus magnus fatum meruit, ut in aliena terra victus ac fugitivus erro perduellium manibus occumberet? Spectaculum hoſti vel ipſi deploratum, quantumvis neget! *CÆS.* Memini; neque fateri me piget; movit lacrymas ſanguinolentum caput: imò & ultus ego ſum auctores necis. Tamen patienter dole, quam tibi ipſe ſortem accerſiveris. *POMP.* Etiam inſultes miſero, quem Fortuna non deſeruit, niſi ut tibi blandiretur per ſummum nefas? *CÆS.* Æquitati tunc favit. *POMP.* Æquitatem vocas, oppugnare Patriam armata manu? *CÆS.* Te petebam unum, non Patriam. *POMP.* Et me cur petebas, perfide? *CÆS.* Quia in libera Republica neminem ferre volebas parem. *POMP.* Et tu cur, excuſſo ſuperioris jugo, dignitati inhiabas Regiæ? dignus ædepol, qui vel feras affectatæ Tyrannidis pœnas dares; & debita dudum Pompejo victima ante ipſius effigiem vel ab amicis perfoſſus concideres! *FORT.* Ut ambo, vel inviti, cauſæ ſuffragantur meæ! *CÆS.* Quid me affectaſſe objicis Regis nomen aut gradum? An non jubente me ſpoliati Magiſtratu Tribuni, qui regios honores detulerant? *POMP.* Supremum interim retinebas imperium; & rerum dominus atque arbiter, Regem in Dictatore perpetuo exhibebas importuniſſimum. *CÆS.* Tamen ecquis in victos moderatior, clementior in hoſtes, in omnes humanior? gladium vagina vacuum civitas non vidit. Ah! ſi quid in Fortuna æquitatis foret, indulſiſſet Cæſari quidpiam, neque tam cruento parricidio inquinaſſet manus! *POMP.* Noli facere fucum mentita pietatis imagine; novimus quam tibi proponeres, quam haberes ſemper in ore rerum gerendarum formulam, ſi jus violandum eſt, inquiebas, regni gratia violandum eſt; cæteris in rebus pietatem colas. Næ regulam ad illam vitam exegiſti feliciter! *FORT.* Habeo perennes utrique gratias, tam bene ambo pro me feciſtis! nihil eſt ultra quod adjiciam, ut injuſtam à vobis labem pluribus eluam. *POMP.* Sic Pompejum tueris, ò Virtus? *CÆS.* Ita Cæſarem adjuvas? *VIRT.* Utriuſque ſortem doleo. At vobiſmetipſi vel iniquam dixiſtis legem. *POMP.* O Fortuna! *CÆS.* O virtus! *VIRT.* Mihine tam illuſum turpiter ab illis foret? *FORT.* Hinc augurare, per me licet, num tam adverſa Virtuti Fortuna ſit....... At quis prodit ille? *VIRT.* Tullius.

S C E N A XI.

FORTUNA, VIRTUS, CICERO.

C I C E R O.

SI quantum apud vivos Fortunæ temeritas poteſt, tantum apud mortuos ejuſdem iniquitas valeret; non minus hodie cederet in Inferis Marcus Tullius Fortunæ temeritati, quàm tum in vita ceſſit temeritati. *FORT.* Etiam in jus me vocas, Marce Tulli, quæ te hominem novum ad tantum dignitatis evexerim apicem? *CIC.* Et obloqueris adhuc, perfida, non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam? Quo uſque tandem abutere, levis & inconſtans Dea, bonorum probitate? quandiu me

furor iſte tuus vexabit? quem ad finem ſe ſe effrenata jactabit inſolentia? Nihil ne te tot noſtri labores, nihil exhauſta pro communi ſalute pericula, nihil revocata ab interitu Reſpublica, nihil pietas, fides, vigilantia commoverunt? Non ſentis accuſari ab omnibus levitatem tuam, increpari crudelitatem tuam non vides? Quàm me nullo meo ſcelere circumveneris, & contra fas omne mactaveris, quem ignorare, quem non expoſtulare arbitraris? Luget Senatus, meret Equeſter ordo, tota civitas confecta ſenio eſt, ſqualent municipia, afflictantur coloniæ, agri denique ipſi me tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum civem deſiderant. *FORT*. Rem eſſe tibi credis, opinor, vel cum Catilina, vel cum Clodio? *CIC*. Tu Clodio, ipſoque adeo Catilina pejor hoſtis, quæ non civem modò, ſed Conſulem, non Conſulem modò, ſed Patriæ vindicem ac conſervatorem interemeris. *FORT*. Sic modeſtus more ſuo Tullius. *CIC*. Fidem appello Romani Senatus, qui clariſſimis civibus bene geſtæ Reipublicæ teſtimonium multis, mihi uni conſervatæ dedit.... Nunc me una conſolatio ſuſtentat, quam Fortuna non eripiet; quod tibi, ò Patria, nullum à me amoris, nullum ſtudii, nullum officium pietatis defuit.... Ego inimicitias potentium pro te appetivi; ego meum ſæpe corpus & vitam objeci armis inimicorum; ego bona, Fortunas meas ac liberorum in communionem tuorum temporum obtuli. *FORT*. Iſthæc commemoratio beneficii tam frequens, vide, Marce Tulli, ne exprobratio ſit. At quid me necis auctorem accuſas tuæ? Accuſa ſuperbiam, accuſa dominandi libidinem, accuſa linguæ intemperantiam, qua Virum Conſulem laceraſti tam immiſericorditer. *CIC*. Hoſtis patriæ Antonius hæc meruit probra, quæ tulit. *FORT*. At Cæſar tam ſæpe, tam honorificè compellatus à te pater Patriæ quid meruerat, ut conſpirares ejus in caput? *CIC*. Vah! perfidum, & inviſum Numen! nullum ego tecum deinceps vel commutare verbum velim. Et tu, Virtus, hæc audis, hæc vides, hæc ſentis, &

* *Abit*. ſiles? * O tempora! ò mores. *FORT*. Numquid ſatis feliciter retudi ſuperbientis Cauſidici jactantiam? ut obmutuit, poſtquam de inſidiis fata mentio eſt! *VIRT*. Non putabam ego te tam diſertam, ut Oratori tanto imponeres ſilentium. *FORT*. * Namquid monſtri eſt? *VIRT*. Philoſophus.

* *Damaſippum intuetur*.

S C E N A XII.

FORTUNA, VIRTUS, DAMASIPPUS.

D A M A S I P P U S.

ETſi non ſpero æquiorem te mihi fore quàm cæteris (nam mirum eſt, quàm ſe querantur exceptos malè, quotquot, ò bona Virtus, te patronam vindicant) tamen multa Fortunæ ingeram probra, atque animo morem geſſero. *VIRT*. Confide tamen: non tam iniquam, ut reris, Fortunam ſenties, ſi modo poſtulabis nihil, quod æquitas non ferat. *DAM*. Hoc tu ſpondes, ò bona Virtus? ah! noſti, quàm unicè gens noſtra Virtutem colat. *VIRT*. Age, tu quis es? *DAM*. Damaſippus ego. *VIRT*. Damaſippi notum nomen: quidvis tibi? *DAM*. Artem colui, dum vixi, plurimam; at aliam alia nihilo meliorem. *VIRT*. Cur autem? *DAM*.

Quia

Quia rigidus ubique Virtutis cuſtos ac ſatelles. *VIRT*. Factum nequiter! *DAM*. Senator ego primùm, Junius Damaſippus nomine; Verum, heu! conditio quam ſterilis atque expers lucri; niſi rem facere arte volueris peſſima! Pœnituit me brevi tam infructuoſæ conditionis. *FORT*. Ergo nullo ponebas in pretio monſtrari digito prætereuntium, &, hic eſt, dicier. *DAM*. Fumus iſte edacem paſcebat malè. Ergo adjeci animum ad faciendam mercaturam. Hinc quærere ſedulò æra vetera, quibus vafer Siſyphus olim laviſſet pedes, ſiquid ſculptum infabre, ſi quid fuſum duriùs, ſentiebam. Noram ponere ſignis pretium, mercabar hortos, villas coemebam, domos; uno verbo, jam compita mihi omnia Mercuriale cognomen imponebant. Tamen nec meliorem in hoc vitæ inſtituto Fortunam ſum expertus. Re malè geſta poſtmodum, & ad medium Janum fracta, parabam è ponte Fabricio mittere me in Tiberim præcipitem, niſi imprudens reſtitiſſet Stertinius. *VIRT*. Quo tandem caſu tibi res ceſſit tam infeliciter? *DAM*. Dum tui cupidus plus æquo videor, ô bona Virtus! & fidem in mutandis mercibus adhuc incognitam colo. Scilicet caro emebam omnia, vili eadem pretio vendebam. *VIRT*. Non videtur hæc quidem tam commoda rei ampliandæ ratio. *DAM*. Inde ego Philoſophus ſapientem cœpi barbam paſcere. *FORT*. Hac ſaltem parte nihil de me expoſtulabis: nam tibi ſesquipedalis è mento fluit. *DAM*. Heu! *VIRT*. Quid ingemis? *DAM*. Et fructum illum, quem mihi in paſcenda barba pollicebar, Fortuna eripuit! *FORT*. Quem fructum, ais, Damaſippe? *DAM*. Ut ſaperem! ſic enim affirmabat fore, qui me ad profitendam Philoſophiam hortabatur, ut ſtatim atque Pallium induiſſem Philoſophicum, & creviſſet mento barba, Inſani nomen, quod impoſuerat vulgus hominum, deponerem, & Octavus aliquis ſeptem Græciæ ſapientibus accederem. Verùm longè aliter accidit ac ſperabam.

S C E N A XIII.

FORTUNA, VIRTUS, DAMASIPPUS, LABERUS.

L A B E R U S.

O Tu, quæ meritos tutaris numine Vates,
Ingeniiſque faves, Virtus generoſa, ſepultis;
Affer opem; miſerum vexat Fortuna Poetam,
Et nullam ſtygiis requiem ſinit eſſe ſub umbris.
Non ſatis ergo fuit, quod me, dum vita manebat,
Immeritum peteret? Cur poſt mea fata nocere
Pergit, & injuſtos amat exercere furores?
Quas patior, mea Diva, vices miſerare, meoſque,
Si bene quid merui, ſi te magis omnibus unam
Dulce fuit coluiſſe, precor, ſolare dolores.
Numinis inviſi tumidos contundere faſtus
O mihi ſi liceat! Nomen ſacrum eſſe Poetis
Noverit, & vates diſcat Fortuna vereri.

VIRT. Igitur Poeta es tu?

LAB. Ille ego ſum Laberus docti quondam inclyta montis
Gloria, dulce decus! Phœbus cui ſæpe canenti
Applauſit, meritoque caput præcinxit honore.

VIRT. Non video quidem in te, quod meorum de numero fuiſſe te perſuadeat. Tamen quid vis, ut faciam tibi?

LAB. Tu virtus, abſterge probrum, quo perfida nomen
Infecit Fortuna meum, dignoſque Camœnis
Aſperſit, magno dignos & Apolline verſus.
Scilicet hæc Flaccum furiis immanibus egit
Præcipitem; hic Linguæ frenum poſuiſſe loquaci
Auſus, inexpertum ſervare ſilentia juſſit.
Proh! dolor! heu! quò non mortalia pectora cogis,
Livor iners, vel quod facinus tu linquis inauſum?
Ille mihi hærentem multa cum laude coronam
Detrahere aggreſſus capiti, dum fervidus inſtar
Nequicquam, in noſtros mordaci dente libellos
Irruit, & tota miſerum cantavit in urbe....
* Sed quid rerum agitat? vel cur me lumine torvo
Reſpicit ignava quondam de gente Sophorum
Dictus, & inſanos inter ſtultiſſimus omnes?

* Damaſippum animadvertit.

DAM. Ut te video & amplector lubens, amice!

LAB. Hinc procul, aſpectu te, peſſime, ſubtrahe noſtro.

DAM. Quid refugis autem?

LAB. Abſiſte: inſani refugit commercia vates.

DAM. Quid? jam excidit tibi, inſanum te magis vixiſſe neminem?

LAB. Ille mihi, ò Virtus, ni jam tua cura reſiſtat,
Credo equidem, inſanos afflaverit ore furores.

DAM. Pol! nihil tu mutatus à te ipſo es; cum furentis in morem vicos, plateas ac compita tuis perſonares verſibus, & plaudenti plebeculæ mimos divenderes.

LAB. Neſcio quis dextram retinet pudor, ocyùs iſtud
Quin volet inviſum in caput, &, pro talibus auſis,
Indigno repetat meritas à ſanguine pœnas?

DAM. Meminiſtin' ut compoſitus aliquando cum ſcurra Pantolabro, hominem facetiis ac larvis tanto intervallo vinceres?

LAB. Proh! indigna nimis duri inclementia fati.
Hoc merui perferre probrum? tuque, optima Virtus,
Hæc audis, & lenta ſiles? Sed age, an tibi vates
Deſpicimur, Superum ſoboles? Namque à Jove ſummo
Et genus eſt nobis, Divinumque è ſanguine creti
Dicimur! Ah! quoties doctæ plauſere Camœnæ,
Dum Reges, Regum & pueros, & facta Nepotum
Fortia ſublimi ferrem trans Sydera verſu!
Aula ſuo vati, monimentum & pignus amoris,
Præmia quanta dedit! Quin & ſincera doloris
Argumenta, meo lacrymas fudere ſepulchro.

DAM. Sanè: tu Principum deliciæ, quibus lepidos dabas de te ludos Morione quovis ac Pantomimo potior: quos facies hæc una, hic habitus homi-

nis,

nis, ſi quid inprimis recitares, ſine ullo aut Cothurnorum, aut larvæ præſidio tantopere delectabat.

LAB. Hæc blateres impune? mihi dabis, improbe, pœnas. * *(* In barbam Damaſippi involat & partem eripit.)*
DAM. O ſcelus! ò flagitium! ad Plutonem appello.
LAB. Dulces Exuviæ! monumentum inſigne Triumphi
Barba mei! fruſtra tecum contendere certet
Actoris Aurunci ſpolium! Tu charior auro
Præda mihi! foribus poſthac affixa ſuperbis,
Fata Sophi miſeranda canes, ſecliſque futuris,
Non impune ſacros lædi teſtabere vates.
VIRT. Nihil ne tu Plutonis Tribunal reformidas?
LAB. O Tibi ſi liceat geminas his dentibus aures
Eripere, inviſo qui dente laceſſere Vatem
Auſus es immeritum, & linguam frenare loquacem,
Nil precer, aut juſtas ultra jactare querelas,
Diva potens Fortuna, velim: vixiſſe beatus
Dicar, & æthereas caput intra condere ſedes.

VIRT. Hominem opperire ſtygias ad umbras, dum venerit; interim fruere victoria tua, & abi.

SCENA ULTIMA.

FORTUNA, VIRTUS.

FORTUNA.

NUm videbor tibi deinceps tam iniqua meritis hominum, quam illi jactitant? *VIRT* Fateor impoſitum fuiſſe nonnunquam ſimplicitati meæ, neque audiendos eſſe tam facilè, qui te arguunt. *FORT*. Atque ut intelligas magis, quantopere ſtudeam tibi, quidquid expoſtulent illi, qui diſſidium inter nos volunt, reſpice, quæſo, tantiſper vel in Senatum, vel in Aulam; illic agnoſcis multos, qui verè & ex animo te colunt. *VIRT*. Sanè: quis Ariſtum in Senatu, quis Lælium Pontificum in collegio, quis Eudoxium in Aula, & alios quos prætereo plurimos, ſinceros eſſe Virtutis amatores neget? *FORT*. An habent illi de me quod querantur? an deeſt illis quidquam, vel dignitatis ad ſplendorem, vel divitiarum ad copiam, vel gratiæ ad auctoritatem? *VIRT*. Næ meritis illi ſortem adepti ſunt parem. *FORT*. Verùm in uno Cæſare morari te velim. *VIRT*. Injurioſam te profecto & ab omni alienam æquitate, niſi ſpectata tanti Principis merita penſanda duceres! * Nam in quo tandem aut Religio purior, aut pietas illuſtrior, aut fides ſanctior, aut prudentia perſpicacior, aut humanitas amabilior enituit? *FORT*. Hæc ego tibi ut valdè aſſentior omnia, ita neque Tu diſſenties mecum, extitiſſe neminem, qui me ſibi addictam magis ſit expertus. Revolve longam illam annorum ſeriem, ex quo imperii habenas moderatur, & continuam rerum ex voto fluentium perpetuitatem agnoſce. Quis bello vel pace illo felicior? quid aggreſſus unquam eſt tam arduum, tam difficile, tam operoſum, quod exitu proſpero caruerit? Eſt aliqua pars orbis tam remota, quæ rerum ab eo geſtarum gloria vacet?

(Hæc dum exhiberetur Fabula Ludovicus Magnus regnabat.)*

Digitized by Google

vacet? Charus ſuis, verendus hoſtibus, admirandus exteris, quid ultra ad beatam ex omni parte felicitatem expetat? *VIRT*. Ergo tuere beneficium tuum, ſi ſtabilem inter nos concordiam voles. Foveamus ambo, certantibus animis, optimum Imperatorem: populo ſuo diu lætus interſit: hic longum amet dici pater atque princeps, & quam toto orbe fecit bonus tranquillitatem ac pacem, eadem ipſe multos per annos potiatur. *FORT*. Sic erit, mihi crede, & quo quiſque ad Auguſti Principis merita accedet propiùs, eo me ſibi propitiam magis ac faventem ſentiet. *VIRT*. Parcant igitur accuſare deinceps aut Virtutem, aut Fortunam, quibus in vita deterius ſpe atque expectatione futurum eſt: ſibique ipſi tam obſcuritatem imputent ſuam, quam calamitatem.

F I N I S.

LIBER

Digitized by Google

LIBER
DE CHOREIS DRAMATICIS.

PRÆFATIO.

EAm habent Choreæ cum Tragœdia Comœdiaque neceſſitudinem, ut qui de utraque tam multa hactenus verba fecimus, non integrum nobis videatur Choreas ipſas ſilentio præterire. Nam quoad longiſſimè quis velit repetere primam Tragœdiæ Comœdiæque naſcentis originem, & rudiora utriuſque recordari initia, facilè intelligat, non priùs Actores ad dicendum, quàm ad ſaltandum in ſcenam prodiiſſe.

Poſtulat igitur inſtituti à nobis operis ratio, ut illam Theatri partem, aut præceptionibus aut exemplis deſtitutam non patiamur; quod eo diligentiori ſtudio tractari par eſt in hoc altero Bibliothecæ noſtræ volumine, quò rarior eſt eorum, qui de Choreis ſcripſerunt, numerus, & frequentiores noſtris temporibus Choreæ in ſpectaculum poſtulantur.

Etenim quòd ad veteres rerum iſtarum ſcriptores attinet, Ariſtoteles primus occurrit, qui non tam data opera diſſeruit de Choreis in Poetica ſua, quàm eaſdem leviter perſtrinxit, dum ſuis Tragœdiam ac Comœdiam legibus informaret: ſeu quòd Tragicis rebus ac Comicis infertæ, earumque pars ut plurimùm, non facerent quiddam à Tragœdia Comœdiave diſtinctum; ſeu quòd Choreas nihilominus ac Tragœdiam Comœdiamque cùm in imitatione eſſe poſitas pronunciaſſet; quæ de alterutra præſcriberet operoſiùs, hæc Choreis ipſis eſſe accommodanda ſatis innueret.

Scripſit Lucianus de Choreis, ſed ad ſaltationis commendationem potiùs & eorum, qui ſaltandi arte præcelluerant, prædicationem, quàm ut certi quidpiam informare Choreas meditantibus præciperet. Non prætermiſit ille quidem quod eſt in Choreis præcipuum, & quo vis ac natura Choreæ maximè nititur. Nam de imitatione multa diſputat, ad quam ſaltandi artem totam referendam eſſe copioſè ac ſcienter defendit. Quæ quàm nativa cumulataque in ſaltatoribus tam ſui, quàm exacti jam temporis extitiſſet, pluribus ac luculentis exemplis demonſtrat. Verùm hæc ipſa non ſunt eo digeſta modo atque ordine, ut rerum iſtarum Candidati erudiri commodè poſſint; aut nullis aliis imbuti præceptionibus ad inſtruendas ipſi Choreas comparati ſatis inveniantur.

Omitto Athenæum, qui de ſaltatione quidem ac Pantomimis egit, Choreas verò ipſas, aut quæ ad eaſdem conſtituendas requirantur, non attingit.

Quod recentiores ſpectat, nemo ante Manbrunum de Choreis verba feciſſe viſus eſt. Is rogatus ab amicis ſuam de Choreis ſententiam, & quam informaſſet animo, delinearet Artis illius imaginem, Diſſertatio-

nem,

Digitized by Google

nem edidit ſuper ea re brevem, & amœnis deſcripſit verſibus cujuſdam Tripudii formam, ſic enim vocat ſaltationis illud genus, quod à nobis Chorea, à Gallis noſtris, *le Ballet*, appellatur; & illud Poemati ſuo, quod *Conſtantinus* inſcribitur, Epiſodii loco inſeruit. Sed ſenſit ipſe non tam ſe felicem in adumbrando inuſitati operis genere fuiſſe; quàm in tractando Epico Poemate extitiſſet; qui fateri non dubitat, mirari ſibi contigiſſe, quòd defuiſſent adhuc, qui Tripudiis leges ponerent. *Ante* XXX. *aut* XL. *annos*, inquit, *cuilibet in Tragœdiam & Comœdiam impune quidlibet audere licitum erat; ita ut multos etiam de Literatis non puderet unum aliquem hominem ab uſque pueritia ad ſenectutem in eadem Tragœdia perducere. Extitere tandem aliquando qui malo illi mederentur. In Tripudia ſatis inquiſivit Eruditorum nemo.*

Extat noviſſimus omnium de Choreis vulgatus Lingua Gallica Liber auctore P. Claudio Meneſtrier, cujus hæc Inſcriptio eſt, *Des Ballets anciens & modernes*, qui ſaltandi artem, quàm latè patet, ab ipſis rudioribus initiis ad noſtra iſthæc tempora perduxit. Eſt in hoc opuſculo ingens rerum copia, &, quæ dicta ſunt à ſingulis in Choreas, illic diligenter collecta reperiuntur. Neque verò non vidit, qua imprimis laude Choreæ commendentur, qui abſolutionem hujus artis, quemadmodum & Poetices, in perfectiſſima imitatione poſitam eſſe diſertiſſimis verbis oſtendit. Unum hoc deſiderandum videri poſſit, ut rerum ordo clarior procederet, neque tam multam Liber creſceret Chorearum in ſegetem, quas vel proponi in exemplum non oportebat, quia pleræque vitioſæ ſunt, vel notari cenſura atque emendari decuiſſet, ne earumdem contagie peccaretur.

Nos, qui breve meditamur Dramaticarum Chorearum dare compendium, quo adjuvari poſſint ii, quibus conditionis ſuæ ratio exhibendi palam Choreas neceſſitatem imponit, ſatis habebimus accuratam tradere artis illius notionem, & quid in eadem exercenda vel ſequendum vel fugiendum ſit, dilucido, quantùm fieri poterit, ordine digeſtum aperire.

LIBER

LIBER
DE CHOREIS DRAMATICIS,
vulgò LES BALLETS.

CAPUT PRIMUM.

De Origine & Antiquitate Chorearum.

HOc præmonere inprimis & ante omnia operæ pretium eſt, quantum ſit Choream inter & ſaltationem meram diſcrimen. Nihil enim moror artem illam, quæ corpus agitare decenter & varios ejuſdem motus muſicorum inſtrumentorum ad numeros docet temperare; id ſi ſuſcipiat unum, ut placeat oculis, & vacuam rebus Tripudii concinnitatem cum eleganti pedum ac brachiorum mobilitate ad pompam oſtentet.

Quare nihil inquirendum putem curioſiùs, quàm vetuſta ſit illa ſaltatio. An cum ipſo mundo nata videri poſſit, quæ voluptatis ac lætitiæ comes individua, aut ejuſdem potiùs neceſſaria ſoboles habeatur? an ſuam trahat originem à Corybantibus in Phrygia, vel Curetibus in Creta, qui jubente Rhea circum ſalientes Jovem, ne vagitibus proderetur, eundem à Saturni furoribus incolumem ſervarunt? an Auctores agnoſcat Salios, qui Evandri temporibus Populeis ramis evincti tempora, altaria circum, Virgilio teſte, ſaliebant ad cantus? an duxerit ortum à Sacris in Delo inſula fieri ſolitis, quæ niſi adhibita ſaltatione nunquam peragebantur?

Certè ſcrutari volentibus vetuſtiſſimam quamque temporum memoriam occurrunt infinita ſaltationis hujuſcemodi veſtigia, quam in Sacris præſertim fuiſſe uſurpatam non profanorum modò, ſed ſacrarum etiam Literarum teſtimonia comprobant. Nam ſaltaſſe Iſraelitas præcinente Maria Propheriſſa Aaronis ſorore, poſt ſubmerſum aquis Pharaonem & exercitum ejus Liber Exodi innuit. *C. 15.*

Et Juvenes Tribus Benjamin cùm facerent impetum in puellas Silo, quas ſibi in conjuges raperent; occupaverunt illas procedentes ad ducendum choros, quos annua Tabernaculorum ſolemnitas imperabat. *C. Jud. ult.*

Saltavit David coram Arca, cùm illa ex Obededonis domo deferretur. *2. Reg. c. 6*

Eſt hæc & Davidis ejuſdem ſaltatio, qua populum Iſraeliticum appellat ad ſaltandum in honorem Dei, *Filii Sion exultent in R. ſuo. Laudate nomen ejus in choro.* Quas voces doctus Interpres non dubitat de Tripudio, ſeu de multitudine ſaltantium ac concinentium explicare.

Fabuloſa verò Numina ſaltare videas apud Poetas.

Saltat & in mediis hominum pater atque Deorum. *Inquit Eumelus.*

Vocat Pindarus ſaltatorem Apollinem. Dianam ſaltantem Virgilius inducit.

Qua

Qualis in Eurotæ Sylvis aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille ſecutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades.

Venus cum Nymphis ac Gratiis ſaltans ab Horatio deſcribitur.

Jam Cytheræa choros ducit Venus imminente Luna;
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede.

Verùm Saltatricis illius artis quærimus originem, quam Dramaticam Choream appellamus: quæ non in ſola pedum agilitate, aut venuſta reliqui corporis geſticulatione poſita ſit, ſed aliud quidpiam ſignificet ulteriùs, & ſe tam naturalium rerum, quam actionum & motuum quorumlibet ſedulam imitatricem profiteatur.

Id Saltationis genus, quod exquiſitioris artis opus eſt, etſi poſterioribus ſæculis perfectionis ſuæ cumulum acceptum debet, non eſt tamen tam recens ac novum, ut ultimæ antiquitati originem ſuam non referat.

Etenim legimus Saltationes Ægyptiorum totidem fuiſſe nativas Actionum imagines, quibus aut Sacrorum ſuorum deſignarent myſteria, aut cœleſtes aſtrorum motus, mirabilemque totius Univerſi concentum atque harmoniam repræſentarent. Nam ſaltabant in orbem, ut ſtellarum orbes ac circulos imitarentur; &, poſitis in medio ſui circuli altaribus, ſolem ipſum in media cœli parte poſitum ſibi fingebant intueri, cujus orbes in Eclyptica diurnos & annuos ſuis ipſi orbibus exhiberent.

Hic verò Saltationis artificioſæ modus Platoni, qui diſcipulus Ægyptiorum fuit, tam mirabilis viſus eſt, ut profiteri non dubitaverit, eum divino afflari ſpiritu oportuiſſe, qui primus cœli totius imaginem in Chorea adumbraſſet.

Ab Ægyptiis mutuati ſunt Græci novam illam exercendæ Choreæ rationem, & veteris Tragœdiæ choris inſeruerunt. Nam primò Saltantium chorus in orbem movebatur ſiniſtrorſum, atque hoc motu, quem vocabant στροφὴν, hoc eſt converſionem, motum primi orbis ſtellarumque fixarum repræſentabant. Deinde numeris iiſdem, & paribus intervallis relegebant veſtigia, & ferebantur dextrorſum, ut Planetarum motum, quem ἀντιστροφὴν, ſeu converſionem in contrariam partem appellabant. Mox conſiſtebant immobiles, ut quietem terræ exhiberent: &, quia tunc diverſa canebant à motibus, cantum illum, quem ſtantes ac veluti defixi ſolo promerent ἐπῳδὸν nuncupabant.

Hinc & Pindari carminibus venit, ut in Strophas, Antiſtrophas atque Epodas diſtinguerentur; quia dum canebantur illa fidibus ac tibiis, ſaltantium choros numeris ſuis temperabant.

Verùm non ita multo poſt redux è Creta Theſeus receptum jam apud Græcos ſaltandi morem eò tranſtulit, ut varios Labyrinthi, quem evaſerat, errores exprimeret, & retentis ſtropharum & antiſtropharum nominibus, juventutem docuit inextricabiles loci hujus ambages & innumeros flexus ac reflexus ſaltando ſimulare, quam illi Gruum Choream nominarunt, quòd Gruum more, cùm turmatim volant, alii poſt alios longo ordine decurrerent.

Atque hæc fuere rudiora Chorearum initia; quæ poſterioribus temporibus Dramatum choris inſertæ, tantum deinceps incrementum acceperunt, ut ab iiſdem etiam ſejunctæ novum Dramatis genus conſtituerint.

CA-

CAPUT II.

De Definitione ac Natura Choreæ.

Plutarchus Choream definiebat, Saltationem mutam & picturam loquentem.

Chorea, inquit Athenæus, eſt rerum quæ dicuntur & canuntur imitatio; quam geſtus, ſubjicit Lucianus, corporis motus & numerus efficiunt; quemadmodum in cantu vocis flexibus eadem perficitur.

Ariſtoteles in ſua Poetica Choream ait eſſe imitationem Actionum, Morum & Affectuum; quibus figurata ſaltatio numeris muſicis, certis conſtantibuſque motibus, geſtibus ac figuris inſtructa exprimendis incumbit.

Teſoro ſcriptor Italicus Choream vocat metaphoram actuoſam, quæ intimos affectus & externas hominum actiones repræſentat.

Definitio Ariſtotelis etſi cæteras inter expreſſum quid habet & accuratum magis, tamen eò concurrunt omnes, ut Choreæ vim ac naturam attingant, dum illam imitatione contineri totam contendunt. In quo Chorea nihil differt à reliquis artibus & à Poeſi inprimis, quicum non tantùm ſimilitudine operis, ſed etiam generis affinitate conjuncta eſt. Etenim quantò latiùs Chorea imitando patet, quàm Pictura, quæ tacita Poeſis vulgò dicitur! Nam ut ſolers atque habilis Pictura ſit in aſſimilandis coloribus ac figuris, in exhibenda rerum diſpoſitione atque habitudine corporum; iis certè circumſcribitur limitibus atque anguſtiis, quas Chorea non agnoſcit. Scilicet, quod præſtare Pictura nequeat, id exprimendum Chorea ſuſcipit, &, dum in exteris rerum imaginibus conquieſcit illa, hæc, quod intimum eſt hominum animis, & in unaquaque re penitus inſitum, imitando ſectatur.

Atque ut viſa fuit ſemper ea Choreæ virtus maxima, quæ imitandi laude præcelleret, ita certatum acriter inter eos, qui ſaltarent in Choreis, ut imitationis gloria æmulos ſuperarent. Hæc porro ſaltantium æmulatio, tam egregios per ætates ſingulas Saltatores peperit, nihil ut eſſet rerum omnium, quod imitando non exprimerent: adeoque Spectatores Saltationis, etiam choro ceſſante, & impoſito tibiis ſilentio, intelligerent mutum Saltatorem, & nihil loquentem audirent.

Sanè Theleſtes quidam Ariſtotelis teſtimonia, tam peritus erat ſaltandi magiſter, ut cùm ſaltaret ſeptem Duces ad Thebas, quæcumque geſta erant, oculis ſubjiceret. Neque verò rationem ob aliam peritis Chorearum actoribus Pantomimorum nomen obtigit, niſi quòd nihil proponi poſſet ipſis ad imitandum, quod motibus ac geſtibus feliciter non exprimerent.

Quòd ſi poſterioribus ſæculis, atque hac præſertim ætate noſtra, plus decoris in apparatu, magnificentiæ in veſtibus, melodiæ in cantu, inventionis in Machinis, in ipſa conſtructione Fabulæ, quæ ſaltatur, plus artis & induſtriæ videri poſſit Choreis acceſſiſſe; quantum deceſſit ab imitatione, quæ nullo jam pœnè ponitur in loco. Querebatur Plutarchus, quòd in pleriſque ſui temporis Saltatoribus ſtudium imitationis deferbuiſſet, neque adſpirarent illi ad aliam laudem, cùm prodirent in ſcenam, quàm ut inani pedum velocitate, compoſito corporis ac brachiorum motu ſpectatorum oculis illuderent. Verùm quantò æquiùs hodie expoſtulare liceat eò rediiſſe Chorearum artem, ut eleganter ma-

gis

gis quàm ſcienter ſaltetur; adeo vix ulla deprehendas veteris Choreæ veſtigia, quam imitatio ſola commendabat.

De Choreæ origine, deque ipſius natura ac definitione ex veterum ſcriptorum monumentis hactenus diximus. Verùm quia Choreis, quales jam in uſu ſunt, accrevere multa, unde, ſi perfectæ imitationis laudem excipias, non comptiores modò & ornatiores, ſed abſolutiores etiam meritò cenſeantur, eam ſubjicimus definitionem, qua contineantur omnia, quæ ad Choream tam perficiendam quàm decorandam hodie concurrunt.

Sit igitur illa Choreæ Definitio. Chorea eſt Saltatio Dramatica, quæ Actiones omnis generis, Mores, Affectus, figuris, motibus corporis ac geſtibus, cantu, Machinis & apparatu ſcenico ſic imitatur, ut delectationem pariat.

Dicitur primò Saltatio Dramatica; hoc enim differt à Saltatione nuda ac ſimplici, quæ temperatis ad Muſicæ numeros motibus nihil penitus ſignificantibus abſolvitur; quòd ipſa ſit Actio quædam, ſeu potiùs imitatio actionis, idque cum Tragœdia atque Comœdia commune ſibi vindicet.

Dicitur ſecundò Saltatio, quæ actiones omnis generis, mores, affectus imitatur: in quo diſconvenit tam à Tragœdia quàm à Comœdia, quæ Actionem unam eamque humanam, hæc civilem, illa heroïcam exhibent; cùm non humanas modò illaſque multiplices, ſed animalium etiam & rerum ſenſus expertium actiones Chorea repræſentandas ſuſcipiat. Animalium actiones dico in Choreis repræſentari: neque enim rarum illud & infrequens, ut inducantur in ſcenam, qui ſaltando belluas imitentur. Imò Domitiani temporibus erant, Martiali teſte, qui Elephantes ad ſaltandum erudirent.

Et molles dare juſſa quod Choreas
Nigro bellua nil negat magiſtro.

Addo rerum etiam ſenſus expertium actiones in Choream dari, quandoquidem hoc erat primis Choreis propoſitum, ut varios Cœlorum ac Syderum motus adumbrarent; & nunc etiam rupes atque arbores ſeſe moventes ad numeros introducantur.

Dicitur tertiò Chorea id quod ſuſcipit perficere motibus, figuris, geſtibus, cantu, machinis; hæc enim ſunt, quibus Chorea res quaſlibet imitatione conſequitur.

Denique hoc ſibi proponit Chorea, ut delectationem pariat. Neque verò quidquam eſt tam natum ad oblectandos animos, quàm ars illa mirabilis, quæ, ut ait Caſſiodorus, ore clauſo, manibus loquitur, & quibuſdam geſticulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingua, aut ſcripturæ textu poſſit agnoſci.

CAPUT III.

De Materia ſeu de Argumento Choreæ.

Diſſeruimus ſatis multa de Chorea, ut facilè quivis intelligat, quàm latè pateat ejus materia, & quàm nullis circumſcripta ſint finibus, quæ præbere ipſi argumentum poſſunt. Quid enim excluditur à Chorea, quæ actiones omnis generis, mores & affectus ipſos complectatur?

Quare quidquid hiſtoriæ monumentis conſignatum eſt; quidquid in Poetarum fabulis exaratum occurrit; imò novus quilibet ingenii partus,

partus, qui nihil vel hiſtoriæ vel fabulæ debeat, legitimum Choreæ argumentum ſufficiunt, ſi modò admirationem movere ac voluptatem poſſint.

Hinc triplex oritur Chorearum genus; Hiſtoricum, quod ſuum ab Hiſtoria argumentum mutuatur, Fabuloſum, quod à Fabula, Fictitium quod ab inventoris ingenio profectum eſt. Quin & una eademque Chorea in hoc triplici argumento verſari poteſt, ſi hiſtoriam cum fabula, hiſtoriam & fabulam cum inventione miſceat.

Neque enim tam ſeveras Chorea leges admittit, ut, quod tam Tragœdiæ quàm Comœdiæ ratio poſtulat, ipſa vel actionis, vel loci, vel temporis unitate reſtringatur. Actiones illa non multiplices modò, ſed generis varietate diſſimiles: Res cùm locorum intervallo diſſitas, tum disjunctas temporum longinquitate complectitur. Unam hanc agnoſcit unitatem, nihil ut ſuſcipiat tractandum, quod rei propoſitæ non conducat, & aptè hæreat. Quare ſi pro argumento Choreæ Ludos delegeris, ſi Somnia, ſi quatuor anni tempora repræſentare placuerit, nefas ſit exhibere quidquam, quod vel ad ludos, vel ad ſomnia, vel ad quatuor anni tempora non referatur.

Variam præterea ac multiplicem Chorea appellationem habet à multiplicitate & varietate materiæ, in qua verſatur. Hinc quadruplex numerabatur apud veteres Chorearum genus. Aliæ Tragicæ dicebantur, quæ res Tragicas tantùm ac ſerias exhibebant. In ſaltandis ejuſmodi fabulis Pylades excelluit, cujus ſaltatio gravis, ſeria plenaque affectuum Tragœdiæ inprimis congruebat. Aliæ vocabantur Comicæ, in quibus nihil niſi lepidum ac jocoſum oculis offerebatur. Hujus Saltationis princeps fuit Bathyllus, qui facetiis ac leporibus inter ſaltandum conditus Comœdiæ jocos ac ſales belliſſimè repræſentabat. Aliæ Satiricæ, quæ non tam mordaces, quàm petulantes & indecoræ poſtmodum à Theatro proſcriptæ ſunt, quòd bonis moribus & honeſtati contumeliam inferrent. Aliæ denique Thymelicæ, quæ à Thymele editiore loco, in quo ſaltabatur, nomen ferebant. Erant Thymelicæ Choreæ Allegoricæ, quæ graphyca rerum imitatione res ipſas oculis, quales erant revera, ſubjiciebant.

CAPUT IV.

De Forma Choreæ.

FOrma Choreæ nihil aliud eſt, quàm inventio ac diſpoſitio partium, ex quibus Chorea componitur. Quidquid enim repræſentandum in Chorea ſumpſeris, Totum eſt aliquod ſuis conſtans partibus, quæ aut exiſtunt reipſa, aut poſſunt exiſtere.

Igitur artificium Poetæ, qui Choream inſtruit, in eo maximè vertitur; Primum, ut ex ea re, quam tractare voluerit, eruat quæ ad eandem pertinent tanquam pars aut vera, aut veriſimilis, aut etiam ficta; hoc eſt, quæ vel inſita ſint in ipſa re, vel mutuatus fuerit à Fabula, vel ipſe confinxerit. Deinde ut ex omnibus ea ſeligat, quæ Saltatione repræſentari commodiùs & majorem ſpectatoribus movere admirationem ac voluptatem poſſint. Tum ut ſuo ſingula ordine ac loco ita collocet ac diſtribuat, ut alia ex aliis nata eodem omnia referantur, & ſuis diſtincta ſcenis atque actibus Dramaticæ actionis ſpeciem ac formam exhibeant. Verùm hæc ipſa quæ præcipimus exemplorum appoſitione fient clariora.

Sint tibi *Artes* Choreæ Argumentum: vox illa *Artes* genus eſt, ſeu totum quoddam, in quo plures ſpecies ſeu partes continentur. Sunt enim Artes multæ ac variæ, aliæ quæ Liberales, aliæ quæ Machinales nuncupantur. Rurſus inter liberales Artes Eloquentia, Poeſis, Philoſophia, Aſtronomia, Mathematica, Grammatica, Muſica, &c. recenſentur. Inter Machinales Agricultura, Navigatio, Architectura, Pictura, Typographia, &c. locum habent.

Hæc ſunt argumento inſita, hoc eſt, nomine Artium comprehenduntur. Alia ſunt quæ depromere liceat à Fabula, tanquam partes Artium veriſimiles; puta, ſi Cererem ac Triptolemum ſerendi frumenti auctores, Bacchum vitiſatorem, Pomonam ac Floram hortorum cultrices, Minervam Lanificii artificem, Neptunum Navigationis inventorem, Æſculapium Medicinæ parentem, Orpheum & Ariona Muſicæ repertores, Cyclopas Armorum fabros, Comum ac Momum, illum Conviviorum, hunc Ludorum, Spectaculorum inſtructores in ſcenam induxeris.

Alia item fingere poteris ad arbitrium, ut ſi ſtipatum Muſis Apollinem & reliquos Deos variarum Artium cultores ac patronos produxeris inſtructos laureis ſingulos, quas Ludovici Magni ad imaginem ultro deferant, eumque reparatorem omnium Artium, perfectorem ac munificentiſſimum muneratorem agnoſcant ac revereantur.

Jam quia infinitæ ſit operæ Artes omnis generis ſaltando imitari, habendus erit delectus aliquis earum Artium, quæ tempori & loco, quibus exhibetur Chorea, magis congruant, & magnificum inter cæteras Spectaculi apparatum præbere poſſint.

Denique in exhibendis, quæ magis arriſerint, Artibus aliquem excogitabis ordinem, qui ſuam Choreæ ſtructuram ac formam conferat, eamque varias in partes ſeu diverſos in Actus, ipſos Actus in ſcenas multiplices diſtribuat, unde Dramatici operis referat ſimilitudinem. Eſt enim Chorea omnis, uti jam innuimus, genus aliquod Dramatis ex natura ſua, quandoquidem imitatrix eſt tota, & res ipſas, quas imitatur, non narrando, ſed agendo repræſentat.

Quare Artes univerſas in quatuor veluti claſſes partieris, ex quibus quadruplex Choreæ Actus exurgat. In Prima collocabis Artes quæ ad neceſſitatem, in Altera quæ ad commoditatem, in Tertia quæ ad delectationem, in Quarta quæ ad gloriam inventæ ſunt. Tum partes ſingulas hoc pacto divides in ſcenas.

In Prima deſignabis Artes illas, quæ ad neceſſitatem pertinent, quales ſunt agrorum cultus, vitis ſatio, lanificium, Ars medendi, Armorum fabrica, quæ totidem ſcenas efficient. Præerit agricolis Triptolemus, quos ad referendas Cereri gratias ob inventas ſegetes invitabit. Triumphum Baccho Fauni, Bacchantes, Satiri inſtruent, & novi liquoris pleni muneribus vim ejuſdem motibus incompoſitis adumbrabunt. Pro lanicio Minervam induces circumſeptam Phrygibus, quos texendis pannis erudiiſſe dicitur. Ægris ac languentibus aderit Æſculapius, & ſuccis plantiſque ſalubribus priſtinam ſanitatem revocabit. Mars jubebit Cyclopas fabricare arma, quibus tractandis juventutem nobilem informabit.

Pars altera Commoditati natas Artes complectetur, quales ſe offerunt Architectura, ejus ideam dabit ipſe Jupiter delineando templum ſibi mortalium manibus extruendum. Navi-

gatio, quam inventam à Neptuno reget Æolus temperatis opportunè ad navalem curſum ventis. Ars cudendi nummos, quam invexit Janus commercii in gratiam, & negotiatores excipiunt comparandis mercibus perutilem. Ars ſcribendi, cujus auctor Mercurius ab Ægyptiis agnoſcitur, facta ejuſdem, complexione Literarum, experientia. Equitandi diſciplina, quæ Centauris Theſſaliæ populis tribuitur.

Pars Tertia exhibebit Artes quæ Delectationi ſerviunt. Hic Diana cum Meleagro, Cephalo & Hippolyto aprum inſequens venationem exhibebit. Comus riſus inter & jocos menſas extruens convivia repræſentabit. Momus cum Pantomimis & hiſtrionibus ludos ſcenicos exprimet. Arion ludens Cythara Muſicam dabit. Orpheus Lyram pulſans & vocis dulcedine non homines modò, ſed feras ipſas, rupes atque arbores trahens ad ſeſe ſaltationem referet.

Quarta Pars Artes ad Gloriam & magnificentiam comparatas imitabitur. In iis primum tenebit locum Hiſtoria, quam Saturnus temporum parens conſtrictis captivorum in morem ætatibus & in conſpectum Muſarum adductis bellè deſignabit. Procedet deinde Poeſis in Homero adumbrata, quem laureatum ab Apolline Poetæ, quotquot ſunt, revereri æmulari conabuntur, aut etiam compilare. Sequetur Pictura, quam exprimeut Zeuxis & Apelles radiis à ſolaribus & umbris, quas efficiunt illi, miſcendi ac temperandi colores artem mutuati. Veniet & Sculptura, cui famulabuntur Phidias & Praxiteles incumbentes Jovis Olympii in ſtatuam, Pantomimis hinc inde ad omnem corporis ſitum atque habitudinem compoſitis. Denique ludicram Equeſtris pugnæ imaginem confectis toto orbe monſtris Hercules exhibebit.

Aliud ſubjicio informandæ Choreæ exemplum. Sint tibi Ludi in Choream agendi. Statim ſe offeret multiplex ludorum genus, qui multiplicem Choreæ partem ſufficiant. Sunt enim luſus alii qui dexteritate ac ſolertia; alii qui ſolo caſu; alii qui qui vi reguntur ac robore; alii qui dexteritatem, caſum ac robur ſimul poſtulant. Hinc orietur quadruplex Choreæ pars atque diviſio. Singulis quibuſque partibus ſuum præerit Numen. Primam Mercurius dexteritatis pater; Secundam Deus Aleæ; Tertiam Hercules viribus inprimis valens; Quartam Mars dexteritatis pariter, Aleæ roboriſque arbiter moderabitur.

Jam verò Luſus varios in quibus pollet dexteritas numerabis, ex quibus totidem ſcenas conficies: puta Latrunculos * quem ludent ludum Mercurius & Apollo eundem docti, ut perhibent, ab Oceano. (* Les Echets.)

* Ebur volatile, cujus imaginem levis Amorum turba indoli convenientem ſuæ exhibebit. (* Le Volant.)

* Scrupos; quos Bohemicis fœminis commiſſæ Amazones colorum varietate referent. (* Les Dames.)

* Arcus Exercitationem, quam per Faunos Pan adumbrabit, propoſita victori fiſtula, qui ſignum ſagitta ferierit. (* L'Exercice de l'Arc.)

* Acetabula, quibus tractandis mixtus Præſtigiatoribus Mercurius ruſticæ turbæ illudet. (* Les Gobelets.)

Ludis Aleatoriis præſidebit Aleæ Deus, quos inter occurrunt Teſſeræ, * quibus dum indulgent otioſi milites, ludus in rixam vertitur. (* Les Dez.)

* Carthæ Luſoriæ, quas Saltatores pictis ad earum ſimilitudinem veſtibus ſic exhibeant, ut concurſu vario variam ludi illius ſpeciem præbeant. (* Les Cartes.)

Ludus cui à recti averſique nummi ſorte nomen * eſt, quem ruſtici, dum certant invicem cujus ſit inventus caſu Nummus, repræſentabunt, jacto in altum nummo, recta ne an poſtica fronte cadat, curioſe explorantes. ** Croix-Pile.*

Ludus qui vulgò dicitur *Le Colin-Maillard*, * dabitur à pueris, qui homini cœco ſuum furati baculum, miſerum ultro citroque curſare cogunt, ſi forte raptorem attingat. ** Le Colin-Maillard.*

Ludicra Schedularum Sortitio, * quam larvata hominum turba exprimet, ductis ſortibus, quæ mœrorem aliis, aliis lætitiam pariunt. ** La Loterie.*

Ludis robur poſcentibus præerit Hercules eorumdem inventor, quales ſunt.

Luctatio, * quam juniores Titanes exercent impugnandis olim Diis præludentes. ** La Lutte.*

Curſus, ad * quem Procos Atalanta provocat, victrix omnium præter Hippomenem, qui jactis inter currendum malis aureis, Atalantam remoratur. ** La Courſe.*

Diſcus, * quo ludentibus Hyacintho & Apolline, Venti, inſtigante Zephiro, Diſcum Hyacinthi detorquent in caput, eundem perimunt magno Apollinis deſiderio. ** Le Palet.*

Pugna * Gladiatoria, cujus ſpecimen edunt & originem certantes inter ſe crudeliter Cyclopes. ** Le Jeu des Gladiateurs.*

Saltus, * quo Argiva juventus exercetur, Hercule, Theſeo atque Jaſone auctoribus, & ad Colchicam expeditionem jam ſuccinctis. ** Le Sault.*

Quarta pars Ludos exhibebit, quibus exercendis dexteritate, caſu & robore opus eſt. Ludorum iſtorum agmen Mars aget, quorum patronus eſt. Sunt autem illi.

Follis. * Ulyſſes acceptis ab Æolo concluſis in utre Ventis, videt elapſum forte de manibus exilire corium; hinc nacti luſus occaſionem Ulyſſis ſocii Follem inveniunt. ** Le Ballon.*

Globorum * Ludus; cujus Heſperides unà cum fratribus dabunt imaginem, dum mala horti ſui aurea ludendo pervolvunt. ** La Boule.*

Pila * qua ludent Ulyſſis ſocii Nauſicaa præſide ac magiſtra. ** La Paulme.*

Metularum * Ludus, quem Pierides imitabuntur cum Apolline, qui Puellas novem in Metulas, eorum Magiſtrum in Globum mutaverat, quòd illæ ſe Muſas, hic Apollinem diceret. ** Les Quilles.*

Ars Laniſtarum, * quam ad tractandam præſes armorum Genius nobilitatem erudiet, propoſita victori laurea. ** L'Eſcrime.*

Denique Coronidis loco Mercurius, Deus Aleæ, Hercules & Mars prærogativam ambiunt cæteris Numinibus arbitris, quam nemini dum adjudicant, ſatis innuunt, hanc eſſe Ludorum conditionem, ut plus minuſve commendentur, quò plus minuſve ætati cujuſque, conditioni atque indoli conveniunt.

CAPUT V.

De Triplici Allegoriæ Genere, quod ſuam Choreæ formam conſtituit.

CUm omnis Dramatica Saltatio in imitatione poſita ſit, adeoque diverſum à ſe quidpiam ſignificet, neceſſe eſt Choream in Allegoria fundari, ſuamque ab ea formam repetere.

Triplex autem Allegoriæ genus eſt; alia Philoſophica, alia Poetica, alia Fabuloſa penitus ac fictitia. Hinc Choreæ ſuam vel Philoſophicis, vel Poeticis, vel Fabuloſis Allegoriis formam debent, ſive Inventionem ac diſpoſitionem partium.

Chorea porro, cujus Allegoriæ Philoſophicæ appellantur, eſt ea, in

qua

qua cauſæ, effecta, proprietas rerum, quas ſuſcipit imitandas, ſic exprimuntur, ut inventio diſpoſitioque partium exigantur ad perfectam rerum ipſarum ſimilitudinem; nihilque ſit in ſingulis Choreæ partibus, quod vel à cauſis, vel ab effectis, vel à proprietatibus rerum, quas exhibet, depromptum videri non poſſit.

Verbi gratia ſomnia repræſentanda habes in Chorea, ita rem perſequeris & Philoſophicis Allegoriis accommodabis inventionem ac diſpoſitionem partium. Nox, Silentium, Laſſitudo, Inertia tanquam cauſæ ſomniorum primariæ ſomnum introducent in ſcenam; quem Murmur, Curæ, Zelotypia, Metus fruſtra turbare aggredientur. Senſus irretiti ſomni dulcedine conſopientur, & expertes motus omnis conquieſcent.

Interim vis imaginandi ſuis ſtipata phantaſmatis, unde procreantur ſomnia, ſpectandam ſe dabit. Morpheus, Icelus, & Phantaſus Somni Soboles, & præſides ſomniorum Dii varia ordinabunt Phantaſmata, & variæ cujuſque Temperationi atque indoli accommodabunt.

Hinc illis, in quibus ſanguis cæteris humoribus prævalet, læta, Pituitoſis graviora, Melancholicis atra, Bilioſis terribilia ſomnia contingent; in quibus diverſæ ſomniorum proprietates agnoſcuntur.

Denique ſequentur ſomniorum effectus, Lætitia, Mœror, Spes, Metus, Furor, Indignatio. Quæ omnia perſonis quibuſdam vel Hiſtoricis vel Poeticis veſties & adornabis ad majorem ſpectaculi magnificentiam, uti diligentius exemplar dabimus in hujus Tractatus Appendice, cum editam olim à nobis ſomniorum Choream retexemus.

Choreæ verò quæ ſuam Poeticis Allegoriis formam debent, etſi non tam accuratæ videri poſſunt, quàm quæ ſuam à Philoſophicis Allegoriis inventionem mutuantur, tamen nec minùs ingenioſæ ſunt, nec minorem pariunt oblectationem.

Hujuſmodi Choreæ elegantiſſimum dabo ſpecimen in Herculeis laboribus, qui dati ſunt olim in Choream ad repræſentandas res à Ludovico Magno glorioſe feliciterque geſtas. Hæc mihi Chorea viſa eſt ſemper ingenioſiſſima, & feliciſſimis, quas ſufficere Poeſis valeat, Allegoriis exornata.

Quadrifariam dividebantur Herculis labores, unde totidem Choreæ partes creſcebant. Alios ſuſcepit pro ſua ipſius gloria. Alios in utilitatem & commoda populorum aggreſſus eſt. Alios pro tuendis aut vindicandis ſociis atque amicis exhantlavit. Alios denique ad aſſerendos Superis ſuos honores confecit. Quæ quàm bellè cadant in heroica Ludovici Magni facinora, rerum diſcendarum ſeries declarabit.

I. PARS.

Labores pro ſua ipſius gloria ſuſcepti.

Hercules Nemæum Leonem ſternit, atque hoc primo facinore felix fortitudinis ſuæ augurium facit. *Flandria à Ludovico Magno occupata.*

Hercules Nemæi Leonis victor, dum capit partem quietis aliquam, Pygmæa gens quieſcentem occupat, & ſuam illi auferre Clavam conatur. Expergeſit Hercules & imbellem turbam in fugam vertit. *Pacati à Ludovico tam intra, quàm extra Regnum tumultus.*

Geryon triplici ſuperbus corpore Herculem aggreditur; expugnatur idem ac vincitur. *Triplici Fœderis diſturbatio.*

Hercules ulterioris gloriæ cupidus Alphæum flumen trajicit, Centauris moras fruſtra opponentibus. *Rheni trajectio.*

Hollandia occupata, dominis eadem hoſtibus condonata.

Idem fertiliſſimam Heſperidum regionem ingreditur, quas mulctaſſe contentus, nihil aufert inde, præter aurea mala, quæ ſociis expeditionis ſuæ heroibus diſtribuit.

II. PARS.

Labores pro utilitate publica exhantlati.

Duella Proſcripta.

Lapithis ſeſe vel inter menſas invicem jugulantibus, Hercules operum eſſe hoc ſuorum putat furentes coercere.

Venefici detecti & ſupplicio affecti.

Hercules plurimos dolens occultis venenis periiſſe, Cerberum, quem mali auctorem putat, ex infernis umbris extrahit, & redditum luci enecat.

Pax vel data vel imperata.

Acheloum adigit ad rogandam pacem, & avulſum cornu ab eodem repente mutatur in Cornu Copiæ.

Auctum a Ludovico commercii beneficium.

Hercules promovendi commercii cupidus Argivam nobilitatem ad Expeditionem Colchicam accingit.

Commiſſum Oceano Mare Mediterraneum.

Hercules faciliorem navigationem ut redderet, * viam Oceano Calpem inter & Abylam aperit.

III. PARS.

Labores pro Sociis & Amicis tuendis tolerati.

Miſſum Cretenſibus & Hungaris auxilium.

Hercules indignè ferens vexari crudeli bello vicinos ſuos, Regem Thraciæ aggreditur, & ſuis progredi finibus vetat.

Suſcepta Sueciæ tutela.

Admeto ſuppetias venit, ſuamque reddi Alceſtem jubet, nec amico veteri injuriæ quidquam inferri patitur.

Tripolis & Algeria fulgurita.

Illatam populis ſuis contumeliam Hercules vindicat, Buſiride cæteriſque Neptuni filiis mali auctoribus fulmine percuſſis.

Detenti apud Infideles captivi ſervitute eximuntur.

Theſeus à furiis raptus ad Inferos ab Hercule liberatur.

* Socii ab injuria vindicati.

Affixus * Caucaſo Prometheus à Cyclopibus, ſuis vinculis ſolvitur.

IV. PARS.

Labores pro aſſerendo Superis cultu confecti.

Impietas afflicta.

Impetentibus Cœlum Gigantibus adeſt Hercules, & ferociſſimos quoſque debellat, reliquis in fugam verſis.

Fana Hæreſeos diruta.

Immemorem datæ Superis fidei Laomedontem exciſo funditus Ilio Hercules mulctat.

Religio defenſa.

Atlantem ſub cœli mole fatiſcentem adjuvat.

Hæreſis impetita.

Enatæ telluris è viſceribus Hydræ cùm paluſtres Dii, Olympi in opprobrium, numen accerſerent; Hercules monſtri illius ruinam meditatur.

Hæreſis exciſa.

Reciſa ejuſdem capita victor oſtentat.

Denique Coronidis loco totius orbis populi Herculi geminas columnas erigunt perenne virtutis Heroicæ monumentum.

Erecta paſſim Ludovico Magno illuſtria Monumenta ejuſdem gloriam ſeræ poſteritati commendant.

Reſtat dicendum de Choreis, quarum Allegoriæ Fabuloſæ prorſus ac fictitiæ ſunt, nullamque præſeferentes ſimilitudinem veri conformantur totæ fabuloſarum narrationum ad imaginem, quæ Romanicæ vulgò appellantur. Sunt illæ Choreæ felices quidam ingenii partus, qui nihil hiſtoriæ, nihil receptis apud omnes fabulis debent. Hinc Arioſtus, qui refertus eſt fabuloſis ejuſmodi inventionibus, & nullam ſuis in Poematis ſectatus eſt Actionis unitatem, multa ſuppeditavit Chorearum argumenta; quæ cùm in Italia, tum

in

Digitized by Google

in Gallia in Theatrum datæ ſunt.

Talis fuit illa Chorea quæ in Nuptiis Ludovici XIV. cum Maria Thereſia Auſtriaca in Collegio Pariſienſi exhibita fuit hoc nomine, *Le Mariage du Lys & de l' Imperiale*. Illa quatuor continebatur partibus. Prima recentem lilii de horribili ſerpente victoriam exhibebat; quo ſignificabatur extincta fuiſſe à Ludovico contentionum inter utramque gentem ſemina, ut Maria Thereſa potiretur. Cernebatur Ludovicus certans feliciter cum ſerpente, quem nulli monſtrorum domitores conficere potuerant. Aderant Amores, qui victoris caput laurea cingerent, dum circulatores omnis generis ſerpentis reliquias Panchreſtum in medicamentum colligebant.

Secunda pars pacificum repræſentabat Imperialis adventum, quem præcinebat fama, Echo perſonabat, adjuvabant Zephiri, lectiſſimi flores decorabant.

Tertia pars Regale offerebat floris utriuſque connubium in horto amœniſſimo, quem inſectis nocentibus Hymen purgaverat. Aderat felicibus nuptiis Juno Pronuba, per quam Regina Mater Anna Auſtriaca ſignabatur. Interim ire dies lætior, feſti plauſus & hilares Choreæ fauſtiſſimos Hymenæos conſignare.

Quarta pars: Pretioſiſſimos Auguſti connubii fructus præmonſtrabat. Ortum ſcilicet ex utroque flore florem alterum, quo ſurgente ſedabatur tempeſtas ventorum, placida quies ſuccedebat, emicabat totius orbis veneratio, & feliciſſimum longæ pacis augurium accinentibus populis affulgebat.

Verùm Choreæ ejuſmodi eo plerumque laborant vitio, ut illarum partes tanquam ſcopæ diſſolutæ nullis vinciantur nexibus, neque referantur ad quid unum, quod Choreæ ratio poſtulat. Adde quòd deſtitutæ veritatis aut Hiſtoricæ, aut Poeticæ gratia, niſi admirabili apparatus, Machinarum ſpectaculorumque magnificentia ſuſtententur, vix ac ne vix quidem præſeferunt quod morari oculos aut delectare animos poſſit.

CAPUT VI.

Quibus rebus adjuvetur imitatio quæ ad Choreæ naturam maximè pertinet.

AD imitationem rota dirigitur Chorea, uti jam ſæpè monuimus, tantoque cenſetur illa perfectior, quanto propiùs ad res ipſas, quas tractar, imitandas accedit. Verùm operæ pretium eſt diligenter perſcrutari quibus demum rationibus Chorea aſſequatur imitationem illam, ex qua ipſius abſolutio dependet.

Quatuor omninò ſunt quibus in Chorea imitatio perficitur. Scenæ apparatus, veſtium ſymbolorumque conformatio, cantus ac melodia, motus geſtuſque corporis. Singula breviter excutiamus.

Scenæ apparatus plurimùm confert ad imitationem; nam cùm neque actionis, neque loci unius anguſtiis Dramatica Chorea circumſcribatur, ſed utriuſque cùm varietatem, tum multiplicitatem admittat; tam bellè inſtrui Scena poteſt, ut præparet animos ad ea quæ ſunt per ſaltationem repræſentanda, & præviam eorum ſubjiciat oculis imaginem. Nam ſi verbi gratia obſcuram Ditis domum & immania regna Theatrum exhibeat, nemo non ſuſpicetur, ſiſtenda mox aut inferna Numina, aut Furias, aut unum ali-

quem ex infortunatis hominibus, quos Tartarum exercet.

Sin verò ſcena portum efficiat aut maris offerat ſpeciem, Neptunum continuò, vel Tritones, vel nauticum quempiam apparatum Spectator augurabitur. Olympum repræſentas? lapſuros ab alto cœleſtes Deos ſignificabis. Sylvas, nemorum receſſus, hortos amœniſſimos oſtendis? Sylveſtrium Numinum aut ruſtici ludi exſpectationem excitabis. Hæc ſunt felicia imitationis ſubſidia, quæ, cùm erit facultas, Choreæ ſemper acceſſenda ſunt.

Eſt in veſtibus atque ſymbolis grave imitationis momentum; iis enim perſonæ, quæ prodeunt in ſcenam, tam graphicè vulgò deſignantur, ut nemini, niſi peregrinus & hoſpes in ejuſmodi rebus fuerit, agnoſcere illas non liceat. Suum eſt enim ſingulis quibuſque gentibus ac populis veſtium genus, quo alii ab aliis ſecernuntur. Imò & ipſa ætatum, conditionum artiumque varietas habitus, quem adhibent, varietate ſe prodit. Hoc igitur inſtructor Choreæ diligenter providebit, ut propriam cuique veſtem accommodet, neque, quantum fas erit, in Theatrum quemquam introducat, quem veſtitus ratio ignorari patiatur.

Pertinent etiam ad veſtes Symbola, quæ lex officii, uſus, vitæ conditio, genus artis, quam exercet quiſque, poſtulant. Sic milites haſtis & enſibus, Cauſidici toga, ſacris initiati infulis, Pictores penicillis & orbiculo, Muſici Citharis & fidibus, Fabri malleis, Agricolæ ligonibus, nautæ remis agnoſcuntur.

Habent & fabuloſa Numina peculiaria quædam Symbola, quibus inſtructa ſemper incedunt. Jupiter inſidet Aquilæ & fulmen tenet in manu. Neptunus Tridentem, Pluto virgam aut claves, Mars Clypeum & haſtam, Citharam Apollo, Bacchus hederam, larvam Momus, Arcum & ſagittas Cupido, Hercules, Fauni Satirique Tibias, Fluvii urnas geſtant. Juno Pavonibus, Venus Columbis trahitur. Pallas quaſſat Ægida; Arcu & pharetra Diana accingitur: Flora cingitur Floribus; Ceres ariſtas, Pomona fructus portat. Furiæ facibus & anguibus, Bacchantes Thyrſis armantur. Alia prætermitto Deorum Dearumque inſignia paſſim apud Mythologos deſcripta, quæ quantùm juvant ad indicandas perſonas, quas Chorea imitari cogitat, tanto ſtudioſiùs cavendum, ne ſuis deſtitutæ Symbolis ſcenæ oſtententur.

Sequitur Cantus & Melodia, quæ propiùs Imitationem attingunt quàm aut ſcenæ apparatus, aut veſtium varietas, aut vis ſignificandi Symbolis ſubjecta. Hæc enim perſonis ſolis indicandis immorantur, cantus verò ac melodia actiones & affectus ipſos conantur æmulari. Nam quis auribus ac pectore tam obtuſis non ſentit hanc eſſe cantus ac melodiæ vim, ut ſenſus moveant, & variis, quas in animam ipſam efficiunt, impreſſionibus cujuſcumque generis affectus cieant atque excitent? Scilicet ſunt in voce, ſunt in fidibus diverſi ac multiplices ſoni, qui, dum eliciuntur à perito Muſico, & feliciter ad harmoniam temperantur, nunc mœrorem, nunc lætitiam, modò turbas ac tumultus, modò quietem ac ſomnos; mox odium & indignationem, mox humanitatem atque amorem conciliant.

Hoc certè de veterum Muſica teſtatur Evanthius in Terentii Prolegomenis, fuiſſe illam tam expreſſam fideliter, tamque feliciter ad quoslibet animi motus accommodatam, ut exhibendæ mox Tragœdiæ argumen-

gumentum nullo adhibito Prologo præmonerent. *Hujuſmodi*, inquit, *adeo carmina ad tibias fiebant; ut his auditis multi ex populo ante diſcerent, quam Fabulam acturi ſcenici eſſent; quàm omnino ſpectatoribus ipſis antecedens titulus pronunciaretur.*

Id ipſum teſtatur Tullius in Lucullo. *Quàm multa*, inquit, *quæ nos fugiunt, in cantu exaudiunt in eo genere exercitati; qui primo inflatu Tibicinis Antiopam eſſe ajunt, aut Andromachen, cùm id nos ne ſuſpicemur quidem.*

Supereſt dicendum de corporis motibus ac geſtibus, in quibus imitatrix Choreæ facultas potiſſimum conſiſtit. Reliqua Choreæ adjuncta videri poſſunt extranea; habet ab unis motibus & geſtibus ut Chorea ſit & nuncupetur. Verum non ſufficit motus illos ac geſtus eſſe compoſitos, elegantes atque concinnos, qui placere oculis poſſint; nam niſi ſignificent aliquid, quod imitando aſſequantur, ſaltationis inanis ac vacuæ ſpeciem dabunt, Dramaticæ verò Choreæ, quæ tota imitationi nata eſt, nomen non ferent.

Igitur in illud incumbat Chorea neceſſe eſt, ut motus corporis & geſtus, quos adhibet, ſint imagines rerum, quas exhibendas ſuſcipit, eaſque ſic ſubjiciat oculis, ut Choreæ ſpectator nullius narrationis opera & intelligat mutum ſaltatorem, & nihil loquentem audiat. Neque verò tam operoſa res illa videri debet, quam ex veterum teſtimoniis novimus fuiſſe olim in Theatris tam mirabiliter expreſſam, nulla ut eſſet actio, quam ſaltatores non repræſentarent ad vivum. Certè Proteus ille, quem varias mutatum in facies Poetæ fabulantur, ſaltator fuiſſe dicitur, qui figuras omnes, in quas verti ſoleret, ſaltando imitaretur.

Sed quid priſcorum temporum curioſiùs requirimus memoriam, qui recentioribus ac domeſticis exemplis abundemus? Vidimus in hac ipſa Collegii Pariſienſis aula, tam nativam Orphei ad inferos deſcendentis imaginem exhiberi, nihil ut præter oculos ſuos ſpectator haberet interrogandum. Vidimus totam Trojani excidii fabulam dari, quaſi res ipſa coram ageretur. Vidimus obſeſſos à Titanibus cœleſtes Deos, impoſitos montes montibus, fulminantem ab alto Jovem, Gigantes ruderum mole paſſim oppreſſos. Prætermitto ludricam Equorum decurſionem ac pugnam, Polyphemum ab Ulyſſis ſociis excœcatum, Orpheum ſono teſtudinis trahentem ſylvas ac rupes, quæ omnia excepta ſunt cum plauſu, adeo bellè hæc eadem Saltatio Dramatica repræſentabat & imitabatur.

Verùm hoc in ſe inprimis Saltatio recipit, ut mores affectuſque motibus ac geſtibus demonſtret atque imitetur; hunc quidem amantem, illum iraſcentem, alium animo perturbatum introducat; & quod omnium maximè mirandum eſt, una eademque perſona tam variis affectibus exprimendis apta atque idonea ſit: quod olim contigiſſe legimus peritiſſimo ſaltatori, qui uno eodemque die & furentem Athamanta & Ino metuentem & crudelem Atreum & Thyeſtem ſcelerarum exhibuit.

Hinc à Rhetorica non aliena, imò illius particeps dicta eſt ſaltatio, quòd mores & affectiones animi demonſtraret. Hinc & pertinere quodammodo creditur ad ipſam demonſtrationis ſcientiam, quòd non obſcura ſit rerum mente conceptarum declaratio.

Atque ob eam etiam rationem, qui

ſal-

ſaltandi arte, & movendis aptè decenterque pedibus ac manibus totoque corpore præcellerent, πάμφωνοι vocabantur, qui geſticulationibus corporiſque converſionibus omnis generis voces redderent. Quod ipſum teſtatur vetus Epigramma de Saltatore eximio.

Ingreſſus ſcenam populum Saltator adorat
Solerti ſpondens prodere verba manu.
Tot linguæ quot verba viro: mirabilis eſt ars,
Quæ facit articulos voce ſilente loqui.

Hi porro geſtus ac motus, qui res exprimunt feliciùs, & ad naturam propiùs accedunt, delectant magis, & perfectius artis ſpecimen exhibent. Quare ſi ſaltare Ventos volueris, ſit ſaltatio levis ac præceps, frequentibus diſtincta gyris ac rotatibus, qui ventorum turbines imitentur. Si Vulcanum & Cyclopas repræſentas, ſit eadem tardior & ſpatiis identidem ac morulis interrupta, quales deprehendi ſolent inter ictus, quibus impoſitum incudi ferrum malleis tunditur. Si Ruſticos introducis, hi gravi ac tardo pede terram pulſent, & agreſtes inconcinnoſque geſtus, quos fert impolitia ruris, expediant. Si Dolorem dabis in ſcenam, lentis ſaltator incedat paſſibus; nunc caput ac manus cœlo attollat; modò conſertis cancellatiſque manibus oculos defigat ſolo, mox pandat & explicet brachia, Superoſque & homines mœroris in partem ſui videatur invitare. Sin Lætitiam contra ſimulas; ſit ſaltator celer & agilis, repetitis pedes agitet ſubſultibus, ut vix tangere ſolum credatur, micet digitis, ventilet brachia, & toto corpore levis exiliat. Si amentes aut muſto plenos produxeris, ſint abnormes, incompoſiti ac perturbati motus ac geſtus, qui mentis perturbationem exprimant. Sed ſuperſedeamus pluribus, quæ ad ſaltandi magiſtros magis quàm ad Poetam pertinent.

CAPUT VII.

An Chorea Dramatica Cantum aut Declamationem ſibi adjungi poſtulet.

ET ſi Dramatica Chorea tota eſt imitatrix ex ſeſe habeatque à natura ſua, ut ſine alterius artis præſidio res quaslibet repræſentet ad vivum, & oculis, quaſi reipſa coram agerentur, poſſit ſubjicere; tamen difficilioris cujuſdam operæ eſt eam perfectæ imitationis formam aſſequi, quæ nullis unquam adminiculis egeat. Quare ut illa non rejicit aut ornatum ſcenæ, aut Machinarum apparatum, aut veſtium ac ſymbolorum magnificentiam, ſic & cantus & declarationis opem admittit ultrò atque amplectitur.

Ego certè eam ſecutus multos per annos ex divinæ providentiæ legibus vitæ conditionem quæ Choreas edendi neceſſitatem imponeret, longiori rerum iſtarum experientia ſenſi, quantùm muta illa Spectacula Declamationis ſubſidio adjuventur.

Hæc enim Choreæ argumentum aperit, & res in ea gerendas docet, adeoque præparat Spectatorum animos ad faciliorem ſcenarum intelligentiam, quas Saltator repræſentandas habet. Deinde dum permulcentur aures aut cantus harmonia aut carminum recitatione, conquieſcunt interim oculi nimia contentione fatigati, & ad ſpectandam denuo majori cum voluptate reliquam Choreæ ſetiem excitantur.

Hinc Saltatio miſcebatur olim Choris muſicis, qui Tragœdiæ actus dividerent, & pars eorundem lætior ad levandum viciſſim aurium atque ani-

animorum faſtidium accedebat. Etenim apta quantumvis ex ſeſe potenſque ad delectandum cùm Tragœdia, tum Saltatio cenſeatur, utraque ſi diuturnior & continua ſit, degenerat in tædium, & ſatietatem parit. Atque hoc varietatis genus tantum honorem ac decus acceſſivit Tragœdiis Muſicis vulgò *Les Opera*, quæ ſaltationis concinnitatem & elegantiam, ſcenæ apparatum, machinarum inventionem, quia cum dulcedine cantus conſociant, oculos pariter atque aures illiciunt.

Addo placituram multomagis Choream, quæ pars foret ipſius Tragœdiæ, unamque cum ea Fabulam componeret. Dum enim ſic amicè conjurat cum Saltatione Declamatio, non ſolum altera per alteram explicatur, & utrique lux major atque ornatus accreſcit; ſed unitatis ſervatur ratio, cui veteres Tragœdiarum ſcriptores tam impensè ſtuduerunt, ut abeſſe illam non paterentur, vel cùm ſaltantium atque canentium choros in Tragœdiam introducerent. Atque ad religioſam illam conſuetudinem exactum fuit Horatianum præceptum.

> Neu quid medios intercinat actus,
> Quod non propoſito conducat & hæreat aptè.

Faut-il qu'il m'oſte encor la lumiere du jour;
Et que me réduiſant déſormais au village,
J'aille, en Meneſtrier, de bocage en bocage,
Faire danſer les Ruſtres d'alentour?

PAYSAN.

Ruſtres, dis-tu? Ruſtre toy-meſme!
Aga! ſamon; ardez un peu le geux;
Les yeux écarbouillez, & le viſage bleſme;
Que veut-il nous chanter avec ſon ton piteux?
Connois mieux ton bonheur; tiens, margué, c'eſt tout comme....
Un villeux des mortels eſt le plus heureux homme.
C'eſt un Roger-bon-temps; c'eſt un vray ſans ſouey,
Qui va fripper par tout, chez ſtila, chez ſticy;
Et qui, ſans boutre au feu, ni broche, ni marmite,
Trouve chez le voiſin ſa viande toute cuite.
Triſtigué, raiſonnons; autrefois qu'eſtois-tu?
Quand ſur ton Helicon, mal chauſſé, mal veſtu,
Chartre malencontreux, biau diſeur de ſornettes,
Tu brillois parmi eux, qu'on appelle Poetes?
Beuveur de certaine iau, ſans maille, ſans denier,
Souvent, pour tout régal, tu maſchois du laurier.
Troujours triſte & panrois, toujours réveur & ſombre,
Tu grignorois tes doigts, plus décarné qu'un ombre.
Aujordy gros & gras, vermeil, plein d'embonpoint,
De nos meilleurs lopins tu garnis ton poutpoint.
Si pourrant tu gémis! Eh! bien, tu ne vois gouſte:
Tant mieux pour toy, margué; car, palſanguen, écoute;
Le plus grand de nos maux eſt de voir tous les jours,
Les Grands & les Petits, tout aller à rebours.
Pendue à tes coſtez la Vielle que tu portes,
Franche de tous tributs, ne poige rien aux portes.
Tandis qu'en nos hamiaux tu vends bien cher tes ſons,
Je donnons de nos bians la dixme à tes chanſons.
Mais, baſt, prenons le temps, comme le Ciel l'envoye,
Vivons tretous contents, danſons, vive la joye!

Danſe de Village.

QUATRIE'ME PARTIE.

Les loys d'Apollon, pour maintenir la Réforme du Parnaſſe.

Apollon fait voir, par d'illuſtres exemples, les qualitez que doivent avoir ceux, qui ſeront admis au Parnaſſe.

A P O L L O N.

TOut eſt calme en ces lieux; & bientoſt le Parnaſſe,
Par mes ſoins, va reprendre une nouvelle face.
Les abus réformez n'offerent plus d'ennemis,
Qui ne ſoient déſormais à mes ordres ſoumis.
En vain, pour traverſer des arreſts équitables,
La cabale a formé des brigues formidables.
En vain de ſes projets répandant la terreur,
Elle a remplil le Pinde & de crainte & d'horreur.
Les terribles effets d'une prompte vengeance
Ont ramené la paix, rétabli l'aſſeurance:
Et l'on ne ſong plus, parmi nos nourriçons,
Qu'à ranimer l'accord de nos doctes chanſons.
Mais pour arreſter dans ſa ſource
Ce qui pourroit cauſer le trouble une autre fois:
Ayons une prompte reſſource
Dans le ſolide appuy de ſalutaires loys.
Que perſonne n'ait la manie,
De ſe produire icy ſans élévation:
Le ſuccés de l'Invention
Eſt l'effet d'un rare genie.
Un ſujet ne paroiſt heureux,
Qu'autant qu'il a de la nobleſſe.
Rien ne plaiſt tant, & n'intereſſe,
Que le Grand, & le Merveilleux.
Dans les differentes images,
Faites regner l'amenité;
Qu'on banniſſe des perſonages,
La groſſiere ruſticité.
Qu'une Diction ſimple & pure
Brille dans la Narration:
Qu'elle emprunte de la nature
Les beautez de l'expreſſion:
Que ces loix à jamais ſoient des régles fidelles
Du mérite des Prétendants.
Qu'elle forme de vrays modelles,
Et dignes parmi nous d'avoir les premiers rangs.

I. E N T R E' E.

Le Genie dans l'Invention.

Orphée, fils de Calliope, receût en naiſſant tant de Genie pour la Poëſie, qu'il attira pars ſes chants les Habitants des bois & les Foreſts meſmes.

O R P H E' E *Cantant.*

Calliope, de qui je receûs en naiſſant
L'art divin de toucher la Lyre;
Si c'eſt le meſme eſprit aujourd'huy qui m'inſpire,
Fais ſentir ce charme puiſſant
Dans cette retraite paiſible;
Et que la nature ſenſible,
De mes tendres accents ſuivant les douces loix,
Se laiſſe entraiſner à ma voix.

Marche d'Arbres & de Rochers.

On m'écoute; un épais feuillage
Vient me couvrir de ſon ombrage:
Les plus durs rochers attendris,
Juſqu'à moy ſe font un paſſage;
Et les oyſeaux de ce bocage,
De mes nouveaux accords ſurpris,
Ont interrompu leur ramage.

Si Jupiter en courroux
Vouloit écraſer la terre,
Je pourois de ſon tonnerre
Arreſter les triſtes coups.
Si jamais juſqu'aux Enfers
Un funeſte ſort m'entraiſne,
Je ſçauray calmer la haine
De Pluton par mes concerts.
Et vous, Habitans du Permeſſe
Sortez de vos antres ſecret;
Sentez la commune allegreſſe
Des Rochers & des Foreſts.

Danſe

Digitized by Google

Danſe des Habitants du Permeſſe.

II. ENTRE'E.

La Nobleſſe dans les Sujets.

Homere n'introduit dans ſes Poëmes, que les Dieux & que les Heros. Il en bannit tout ce qui n'eſt pas grand & merveilleux.

HOMERE.

Sur le Pinde nourri dès mes jeunes années,
Apollon m'honora de ſes tendres regards;
Et, par d'heureuſes deſtinées,
M'enrosla ſous ſes étendarts.
Ce fut luy, qui régla ma veine;
Qui m'apprit l'art ingenieux,
De ne produire ſur la ſcene,
Que des Heros, & que des Dieux.
Tout ce que de grand eût la Grece,
Reveſtu d'un éclat pompeux,
Dans mes ſages écrits unit à la Nobleſſe
Le Brillant, & le Merveilleux.
Les Epiſodes froids, & les Heros burleſques
Furent éloignez de mes Vers;
Et parmi cent portraits divers
On n'en vit jamais de groteſques.
Vous qui vous efforcez de marcher ſur mes pas,
Des Ecrivains nouveaux évitez le modele;
Suivez l'antiquité fidelle,
En la ſuivant, on ne s'égare pas.

Danſe des Heros.

III. ENTRE'E.

L'Amenité dans les Images.

Théocrite chaſſe de ſes Idylles la ruſticité des perſonnages, & n'y donne place, qu'à des Bergers heroïques.

THEOCRITE.

Je n'ay chanté ſur le Permeſſe
Que des Bergers; & leurs troupeaux,
Danſant au ſon des chalumeaux:
Mais leur grace & leur politeſſe
Parut digne au grand Apollon,
D'amuſer le ſacré Vallon.
Je peignis dans mes Vers les campagnes fleuries,
Et le verd naiſſant des prairies.
J'y fis voir les tendres Zephirs,
A ranimer les fleurs bornant tous leurs deſirs.
J'imitai des oyſeaux l'agréable ramage
Le murmure des eaux, qui flatent le rivage.
Mais ennemi de la ruſticité,
J'y fis par tout regner la douce amenité.
Qu'elle ſoit de vos chants la fidelle compagne,
Vous qui paſſez de précieux moments
A celebrer de la campagne
Les plaiſirs & les agréments.

Danſe des Bergers.

IV. ENTRE'E.

Le Naturel dans les Narrations.

Eſope, au milieu des animaux, qu'il fait entrer dans ſes Apologues, leur fait parler le langage de la nature; & par leur organe, il inſtruit les Phrygiens.

ESOPE, L'OURS & LE SINGE.

ESOPE.

Apprenez, Phrygiens, à peindre la nature,
Dans de vifs & ſimple écrits.
Que vos diſcours éloignez de l'enflure,
Par leur naiveté fléchiſſent les eſprits.
Des animaux écoutez le langage;
Ils ſçauront vous donner de ſalutaires loix.
Eſope receut en partage
De leur donner l'uſage de la voix.
Parlez: de vos leçons faiſons l'Apprentiſſage.

L'OURS.

Bonjour, ſire Magot.

LE SINGE.

Salut, compere l'Ours.
Malheureux en Enfant, le ſerez-vous toujours?
Sont-ils venus à la lumiere?
Ils n'offrent à vos yeux, qu'une maſſe groſſiere:
Vos Ourſeaux, en naiſſant, mal tournez, malpolis,

N'ont rien de ceux, dont ils receurent l'eſtre,
Vous pouriez vous y méconnoiſtre.
Mon ſort eſt plus heureux: les miens ſont ſi jolis!
Si jolis! c'eſt une merveille.
Les yeux vifs, le nez fin, une bouche vermeille!
Auſſi je les careſſe, & les preſſe en mon ſein....

L' O U R S.

Mais en les careſſant, trop cruel aſſaſſin,
Vous leur donnez la mort par un amour barbare,
Pere ſenſible à contre-temps.
Moy, de careſſes plus avare,
Quand je léche les miens, je leur montre les dants.
Mais lorſque leur vigueur s'eſt accrue avec l'age,
Leur docile reſpect enfin me dédommage
De mon peu de tendreſſe & de mes ſoins prudents.

E S O P E.

Profitez tous de cette Fable,
Peres trop indulgents, Ecrivains affectez,
De vous inſtruire elle eſt capable
Par de ſages naivetez.

Danſe des Phrygiens.

BALLET GENERAL.

Le Parnaſſe félicite Apollon de ſa Victoire, & luy marque ſon zele, pour maintenir les loys, qu'il a ſagement eſtablies.

F I N.

LIBER.

Digitized by Google

LIBER
CARMINUM.

Digitized by Google

LIBER CARMINUM.

CARMINA DE SACRIS ARGUMENTIS.

POETA CALAMUM SUPERIS DICAT.

LUDORI? an attonitam ducunt cœleſtia mentem
Viſa, nec inſertis ſurgit fiducia monſtris?
Vix erat orta dies, tenebriſque Aurora fugatis
Depulerat molles oculis, & pectore ſomnos.
Protinus ecce mihi delabitur æthere ab alto
Penna, manumque implet. Divum venerabile munus
Accipio: nam quod mortalis dextera donum
Par ferret? aut Pennæ tantos æquabit honores?
Scilicet illa nives ſuperat candentibus alis;
Quas inter molli ſenſim de caudice durus
Exoritur leviſque tubus, quem parte ſub ima
Docta manus ſcalpro in bifidum tenuavit acumen;
Quo meliùs nigrum admittat reddatque liquorem.
Hìc verò exclamans, & me quia Numina, dixi,
Reſpiciunt, noſtroque aſpirant fata labori.
At non immemores erimus; perſolvere certum eſt,
Quas Superi repetunt memori de pectore grates.
Sit mihi ſol teſtis, ſitque hæc mihi terra precanti,
Et plagus terræ circumfluus. Hanc ego vates
Ante aras, veſtro, Divi, de munere Pennam
Agnoſco propriamque dico: ac ſi carmine poſſum
Digna ſatis, veſtros Penna hæc celebrabit honores.
Hæc ego. Sic noſtras foveant bona Numina Muſas
Atque inter magnos olim dent ſidere vates.

FRATRICIDIUM IN CAINO VINDICATUM.

PEr mortes fugiens perque invia ſaxa Cainus
Errabat; Fraternæ illum mens conſcia cædis
Huc adigit, terretque novis fera pectora monſtris.
Ille adeo furias ardentibus undique tædis,
Inſtantes metuens, penetrat, quà denſior arbos
Funditur, atque ingens foliorum exuberat umbra.
Hìc dum mordaces agitat ſub pectore curas
Anxius, & profugæ creſcunt mala tædia vitæ;
En tibi Lamechus ſaltus venator opacos

Ingre-

Ingreditur: ſubeunt luco, mora nulla, ſagaces
Diſcurſantque canes, & odora nare latentem
Rimantur prædam, gaudentque agitare repertam.
Excepit ſtrepitum perculſa mente Cainus,
Et ratus ultrices Erebi prodire cavernis
Eumenidas, dumis ſe ſe nigrantibus abdit.
 Huc illuc volvens oculos & ſingula luſtrans
Aſpexit miſerum Lamechus, aprumque latentem
Dum putat, impulſam nervo ſtridente ſagittam
Projicit. Illa volans tenues diverberat auras,
Atque illapſa fero præcordia perforat ictu.
Sacrilegam vomit ille animam cum ſanguine, & alto
Vulnere inhærentem dextra moriente ſagittam
Fruſtra ſollicitans, rupto de pectore queſtus
Ingeminat. Noſtro qui tela inimica cruore
Tinxiſti, meritum vindex pro talibus auſis
Excruciet Deus, & pœnas à ſanguine ſumat.
At tu, ſævus Abel, qui me hæc in fata vocaſti,
Crudeles iras & inexſaturabile pectus
Sanguine fraterno exſatia: nunc morte Caini
Paſce oculos. Sed enim morior! jam ſpiritus artus
Deſerit, & fractæ fugiunt de corpore vires.
Pande tuos mihi, terra, ſinus: ſub tartara cœlo
Inviſum hoc detrude caput. Mors plura volentem
Dicere, corripuit, voxque effera faucibus hæſit.
Diſcite, mortales, culpam vitare, Deumque
Moribus ingenuis venerari & ſupplice cultu.
Namque Deus juſta ſi quando lentur in ira
Ultriceſque manùs pendentem ſuſtinet ictum;
Non tamen abſolvit, quos vult punire, nocentes.

NOEMUS IN CYATHO NAUFRAGUS.

NOn ego Neptunum aut ſorbentes corpora lymphas
Sic metuam, ut Bacchi latices, & iniqua cerebro
Pocula, queis dulci mens naufraga mergitur hauſtu.
Lenæi quid enim fallaciæ munera poſſint,
Certa dabis nimiùm expertus documenta, Noeme.
 Hic teneras ulmis primus conjungere vites
Inſtituit: primus calcatis prælà racemis
Audiit ingemere, & labris ſitientibus hauſit,
Inſolitum repetens iterumque iterumque liquorem.
Aſt ubi purpurea ſe proluit impiger unda;
Continuò dubiis titubant veſtigia plantis,
Ægraque difficili balbutit lingua palato.
Nant oculi; caput ancipiti vertigine nutat,
Quæque gubernaclum certa ſub lege regebat,
Deficit, & forti cedit mens icta Lyæo.

Tum corpus nunc huc titubans, nunc fluctuat illuc.
Haud ſecus excuſſo navis ſpoliata magiſtro,
Adverſis hinc inde volat ludibria ventis;
Et peritura vagos exercet in æquore gyros.
Siccine, quem Cœlum, quem nec Thetis omnibus undis
Perdidit, hunc blando deluſum munere vincis,
Perfide Bacche, ſcyphique anguſto mergis in alveo?

CHRISTUS IN JOSEPHO ADUMBRATUS.

IBat ſecretæ tacitus per devia ſylvæ,
Quò patris mandata vocant, ſortiſque futuræ
Inſcius, ad fratres ſe ſe Joſephus agebat.
Cùm procul hinc tumulo venientem aſpexit ab alto,
Lanigeras dum paſcit oves turba impia fratrum:
Exarſere ignes animis; ſubit ira nefandum
Unanimes tentare ſcelus, conceptaque dudum
Exſaturare odia, & ſceleratas ſumere pœnas.
Namque adeo infauſti monitus & conſcia veri
Somnia, ſollicitis memori ſub corde recurſant;
Ægraque ſervitii turbant portenta futuri.
Hic ſuper, ante alios Simeon immanior omnes
Accelerat, ſtimuliſque haud mollibus aggerat iras.
Ergo, ait, & fratres, facilemque impune parentem
Deſpiciat puer, & faſtu ſublatus inani
Arroget ipſe ſibi, quos non ambiimus, honores?
Eja agite, ultrices tingamus ſanguine dextras.
Hæc ubi dicta, ruunt facto agmine, jamque trementem
Hinc atque hinc circumveniunt, raptantque trahuntque.
Ac veluti errantem ſolis in vallibus agnum
Si quando videre lupi, mora nulla, furentes
Inſiliunt prædam in facilem, mactantque vorantque,
Et tepido ſiccas reſtringunt ſanguine fauces.
Sic animis juvenum furor additus arma miniſtrat.
Hic tenerum tundit repetito verbere pectus;
Inſontes ferit ille genas; tunicam eripit alter
Ex humeris, jactanſque patris lacrymabile donum
Ventilat, optati monumentum inſigne triumphi.
Interea pars innocuas in vincula palmas
Ire jubet, pars mille vomit convicia linguis.
I, morere infelix; tales tibi ſomnia fructus
Vana ferunt? Sic ante pedes, cultuque voluti
Supplice, te dominum fratres & numen adorant!
Ille autem triſti gemitus de pectore ducens,
Attollenſque polo lacrymantia lumina fruſtra,
Lumina, nam geminas urgent fera vincula palmas.
Fata Deus vobis, inquit, meliora rependat!
Nec repetat, Fratres, tanto pro crimine pœnas!

Fal-

Digitized by Google

Fallor, an hæc fuerit Chriſti morientis imago.
Ille etenim ætherea demiſſus ab arce, parentis
Imperio, juſſuſque humiles inviſere terras,
Et fratrum afflictis afferre levamina rebus,
Immeritam accepit tanto pro munere mortem.

ESTHER CORAM ASSUERO.

EHeu! quis gelidos quatit æger anhelitus artus?
Genua labant; animus me deficit; urget inertes
Nox oculos; lucem nequicquam incerta requiro.
Ah! morior.... vos ò celeres fulcite cadentem
Reginam famulæ.... Princeps ignoſce, verendum
Si limen, vultuſque ſacros injuſſa ſubivi.
At funeſta dies & ineluctabile tempus
Imminet.... O Superi cladem hanc avertite, quæ me
Perdat, & Iſacidas fatis involvat eiſdem!
Nobis nulla ſalus; &, ni tua cura reſiſtat,
Rex magne, immeritam juratus perdere gentem,
Ни pereant, heu! neſcis; legem ſancivit Amanus!
Quod ſcelus ob noſtrum? num ſumpſimus arma rebelles?
Num perferre jugum indociles fatalia vincla
Rupimus? an patriam graviùs lugemus ademptam?
Sed quid ego hæc? Quod te Regem dominumque fatetur
Parthus, & ante pedes capitis minor accidit Indus:
Quòd ſolitum infractus felici marte furorem
Dedidicitque Scythes, ſubditque ferocia colla;
Hoc noſtræ virtutis opus. Majora referre
Si liceat, ſupera, Princeps, quòd veſceris aura,
Hæc, Mardochæo, meminiſti, debita laus eſt,
Scilicet hic cladem caput in regale paratam
Depulit, inque ipſos cecidit vindicta nocentes.
Anne crucem obſequii pretium ferat ille fidelis?
Hæc Mardochæum maneat, te Principe, merces?
At non ulla mora eſt; crudelis ſi quid Amani
Juſſa valent, crux erigitur feralis in auras,
Unde, nefas, fidus mox pendeat ille miniſter.
Quòd te, per ſi qua eſt pietas, Rex magne, per iſtos,
Quos teneo complexa pedes, per, ſi tibi quidquam
Noſtrum dulce fuit, ſponſæ miſereſce precantis,
Et triſtem bonus Iſacidis averte ruinam.
Sic multos Perſis, Te ſoſpite, gaudeat annos;
Sic longùm Arſacidas tranquilla in pace gubernes!

DA-

DAVID POENITENS.

DUm trahit aſſiduo renovans ſuſpiria corde
Jeſſiades, ſcelerumque memor, vultumque ſinuſque
Perfundit lacrymis, ſi fors placare Tyrannum,
Et capiti valeat pœnas arcere nocenti:
Ecce repentino ſonitu diſcedere cœlum,
Terrificaſque videt lucere ex æthere flammas.
Protinus oranti nequicquam & multa precanti
Aliger in media dat ſe ſe luce videndum.
Verum heu! qualis erat! placido non ſpirat in ore
Gratia, non flavi ludunt per colla capilli,
Nec blandæ portat felicia nuncia pacis.
Ore ſed accenſo furor implacabilis ardet;
Scintillæ abſiſtunt oculis, peſtemque famemque,
Et gladium in manibus ſacri monumenta furoris
Ventilat, & miſera funeſtat imagine Regem.
Ille novo ſenſit turbati pectora motu,
Et triſtes cum voce oculos ad ſydera tendens,
En ait, alme Deus, ſi vis punire nocentem,
Nil moror; in pœnas adſum quaſcumque paratus;
Promerui infelix, juſtas neque deprecor iras.
At tu parce, precor, populo nil tale merenti;
In me unum ſæviſſe ſat eſt; ego debita ſolus
Victima ſponte cadam, felix! ſi ſanguine poſſim
Eluere, & ſceleris maculas abolere nefandi.

ULTIO PRETIOSA.

Samſon ſuo Victor in Funere.

DElicias inter menſarum, & dulcia pacis
Gaudia, ſecuri Iſacidum jucunda Philiſthæi
Otia carpebant, & iniquo tempore clades
Acceptas, multo conſolabantur Iaccho.
Scilicet ante alios, durum quem ſenſerat hoſtem
Impia gens, rigidi Samſon ſub pondere ferri,
Ingratamque trahens gemino ſine lumine vitam,
Victrices iras verſa vice, & hoſtis amari
Indecores nullo faſtus ultore ferebat.
Namque ſub extremæ lætiſſima tempora cœnæ,
Proh! pudor! inviſo raptus de carcere Samſon
Mille jocos populo in magno, ludibria de ſe
Mille dabat, miſerum turba illudente laborem.
Ænea nequicquam tentando ſolvere certet
Vincula, & adverſas unus perrumpere turmas,
Ut quondam, non ſpirat idem ſub pectore robur,

Vir-

Virtuſque in mediis conatibus ægra reſiſtit.
At non dira tamen ſceleratæ gentis inultus
Probra tulit, juſtas ſed protinus arſit in iras;
Atque hæc flammato tacitus ſub corde volutat.
Ergo ratum eſt? nullus, Deus ò ſanctiſſime, noſtri
Nominis ultor erit? pro Te gens impia Numen
Dagonis colet, & ſacro celebrabit honore?
Da, Deus antiquum renovari in corpore robur,
Quaſque inſanus amor rapuit, mihi ſuffice vires.
Nil ego vel proprio maleſanam perdere gentem
Exitio vereat; dum ſanctæ opprobria legis,
Atque tuum ulciſcar ſcelerato in ſanguine nomen.
Talibus orabat vultum converſus olympo.
Cùm ſolitum membris ſenſit rediiſſe vigorem,
Afflarique novos animis ingentibus auſus.
Extemplo, quà certa viam fiducia monſtrat,
Adrepit tacitè, geminis ubi nixa columnis
Tota domus, cœlo culmen regale ferebat;
Amplexuſque manu valida concuſſit utramque.
Præcipitant, tecti moles immenſa repente
Cum ſonitu cadit; ingentem dat lapſa ruinam,
Atque uno condit Samſonem hoſteſque ſepulcro.

ABSALO MORIENS.

JAm procul horrifico reſonabant cornua cantu,
Et ſignum ferale dabat cava buccina pugnæ.
Ipſe ferox animi nitidiſque ſuperbus in armis
Abſalo, per medias rapido volat impete turmas;
Et patrio certus mercari funere regnum
Audaces acuit cœptis immanibus iras.
Quanquam ò, te fallit regnandi cæca libido;
Quò periture ruis? quò te malus error egentem
Conſilii rapit? inſanum compeſce furorem
Ocyùs; an neſcis, quæ fata rebellibus inſtent.
Aſpicis, ut juſtus, ſcelerum Deus ultor ab alto
Intentat pœnas, ſupremaque fata minatur.
Pone modum ſceleri triſtemque averte ruinam.
Ludimur, & nullas voces tractabilis audit.
Interea coeunt acies, ſtrictiſque repente
Enſibus horreſcunt campi, pugna aſpera ſurgit,
Et miſeræ exoritur facies triſtiſſima cædis.
Incertis utrinque diu victoria pennis
Erravit circumvolitans; queis partibus adſit
Neſcia, vel palmæ cedat victricis honorem.
Pœnituit dubitaſſe; nefas exoſa, rebelles
Horret; & innocuas repetit converſa catervas.
Agnovit Juvenis; patriis dare terga maniplis

Cogi-

Cogitur, inſtantemque fuga prætervehit hoſtem.
At victorum iras, denſæ per devia ſylvæ,
Dum curſu vitat, volitantem implexus adhæſit
Cæſariem, miſerumque pependit ab ilice pondus.
Regius excelſo ſpeculatus ab aggere vidit
Armiger, & Regis contraria juſſa ſecutus,
Condidit adverſo Juvenis ſub pectore ferrum.

CURIOSITAS INCONSULTA.

Saul Samuelis umbram conſulit.

QUem dubiæ eventum pugnæ ſibi fata reſervent,
Sollicitus partes animum verſabat in omnes,
Multa Saul ſecum reputans, nec rebus in arctis
Quid fugeret, vel quid potiùs ſequeretur, habebat.
Namque importunis precibus, pecudumque cruore
Uſque fatigatum Numen reſponſa negabat.
Mox etiam diris agitatus pectora monſtris,
Anxia dum capiunt fatales lumina ſomnos,
Huc, illuc vario curarum fluctuat æſtu.
Tum verò victuſque metu, victuſque dolore;
Ergo-ne, ait, durum ſemper mihi, ſemper iniquum
Numen erit? nec fida dabit reſponſa petenti?
Sed quid ego hæc? Cœlo ni me Deus audit ab alto,
Audiet, infernis ſi quis Deus imperat antris.
Continuò ſecreta Magæ penetralia ſolus,
Antra procul diris circum defenſa tenebris
Ingreditur; juvat ante alios excire ſepulcro
Extinctum Samuelem & notos cernere vultus.
Mens ignara hominum! Nam quò, Rex impie, tendis!
Aut quis dementem furor inconſultus adegit,
Fatorum infandam ſeriem penetrare tuorum?
Ecce autem immanis, baratro crepitante, tumultus
Exoritur; partes tellus ſe findit in ambas,
Et vaſto fauces Erebi recludit hiatu!
Triſtibus ex adytis, cæci & penetralibus orci
Excita fatidici ſurgit Samuelis imago,
Et ſe ſe ante oculos Regis mœſtiſſima ſiſtit.
Tempora per, grandeſque humeros veneranda fluebat
Canities; nive candidior velabat amictus
Membra, pedeſque fluens veſtis pendebat ad imos.
Talis erat, cùm te fruſtra, Rex impie, quondam
Argueret, juſtaſque Dei portenderet iras.
Territus aſpectu Rex horruit; occupat artus
Inde tremor, totoque amens expalluit ore.
Protinus in terram prono ſe corpore ſupplex
Præcipitat, vatiſque pedes veneratus, in iſtas

Vix

Digitized by Google

Vix tandem erumpit, miſeranda voce, querelas.
O Tu, præſidium quondam! Tu, maxime Vates,
Imperii decus, & rebus ſolamen iniquis,
Afflicto fer opem, vivus quam ferre ſolebas:
Nutantem confirma animum, noſtroſque benigno
Affatu, ne te pigeat ſedare timores.
Hinc pavidas acies terrent inimica, Philiſthæi,
Agmina, & inſurgens latè circumtonat Achis.
Inde Deus, Deus ultor adeſt, longumque ſilendo
Dirum omen, triſteſque mihi denunciat iras.
Ergo, ſi qua pios tangit miſeratio manes,
Si quis amor noſtri ſupereſt, obſcura reſolve
Fata, precor. Quis me dubiis manet exitus armis?
Dixerat; irato Samuel ſic incipit ore.
Quis furor eſt, manes etiam turbare quietos?
An vivum vexaſſe parum eſt? jam parce ſepulto.
Vel ſi tantus amor triſtes cognoſcere caſus;
Accipe, quæ reſponſa tibi Deus ipſe remittit.
Nulla ſalus miſero reſtat, gens impia vincet;
Et retro Iſacidum coget dare terga maniplos.
Ipſe inter turbas fugientiaque agmina victus,
Orabiſque necem, & furiali percitus æſtu
Intima fatali rumpes præcordia ferro.
Nec melior miſerum Jonatham fortuna ſequetur.
Hoſtili cadet ille manu; patriſque ſuperbi
Victima, crudeles perſolvet funere pœnas.
Diſce Deum monitus ſacras neque temnere leges.
Sic ait, & noctis rurſum ſe condidit umbris.

PATIENTIA REMUNERATA.

Job adverſis major.

HEi mihi! nam quis adeſt ſtratus liventia pingui
Membra fimo, & teſtis putri de carne fluentem
Abſtergens ſaniem? Jobi hæc patientis imago eſt.
Agnoſco magnæ ſpecimen virtutis, & orbi
Attonito exemplum cunctis memorabile ſeclis.
Hic vir hic eſt! per tot rerum diſcrimina quondam
Jactatus, ſtygii crudeles hoſtis ob iras!
Sed quò priſcus honos, quò dives copia ceſſit?
Quò veterum fugit turba officioſa clientum?
Quò fidi comites, dum tempora læta fuerunt,
Aſſueti ſtipare latus? Jam nullus egenti
Præbet opem; miſerum nemo ſolatur amicum.
Proh! dolor! afflicto conjux ſuper una marito,
Ærumnæ cumulus, verbis quæ vexat amaris
Immeritum, cœloque procax illudere certat,

At non ulteriùs fortuna inimica laceſſet
Inſignem pietate Virum: Deus arbiter æqui
Amiſſas reparabit opes cum fœnore, & ultro,
Quæ meruit victrix patientia, præmia reddet.

MOSES REGNI CONTEMPTOR.

INter delicias magna Pharaonis in aula
Creſcebat ſatus Hebræo de ſanguine Moſes;
Surgebatque puer Pharii ſpes maxima Regni.
Scilicet è mediis olim quæ ſuſtulit undis
Incolumem, duri Thermuthis nata Tyranni,
Materno puerum ſtudio complexa fovebat,
Sæpè ulnas inter geſtabat amabile pondus,
Et roſeis gremio refovens dabat oſcula labris.
At dum colludit tenero Regina puello,
Ecce Ægyptiaco parvam diademate frontem
Cingere amat, collo torquem circumdat eburneo,
Regalique onerat trepidam geſtamine dextram.
Obſtupuit viſu puer, & pia lumina cœlo
Attollens, ſceptrum regale & frontis honores
Projicit, & pedibus gaudet calcare ſuperbis.
Creſce, puer, creſce his animis, melioribus olim
Auſpiciis, populum maria inter vaſta fidelem
Ductor ages; diſcet, Te vindice, ponere faſtus
Gens inimica Deo, ponti tumulata ſub undis.

DAVID ANTE ARCAM SALTANS.

AN vigiles fallax oculos illudit imago?
An malè ſopitos agitant inſomnia ſenſus?
Ecce potens bello magnaque in gente verendus
Rex David pulſat vocales pollice nervos,
Exercetque leves vili cum plebe choreas.
Hei mihi! qualis adeſt! quantùm mutatus ab illo,
Qui nuper flagrans clypeo & fatalibus armis
Cogebat verſos in perfida caſtra Philiſtas!
Num furit, & mentem præceps inſania verſat?
Ah! video, furor eſt! ſupera ſed miſſus ab arce
Ille furor! Tu, magne Deus, propiore volentem
Numine circumagis, ſtimuliſque haud mollibus urges.
Nec, tibi dum læto populi ſua gaudia plauſu
Teſtantur, terriſque canunt cœloque tremendum,
Dedeceat feſtis Regem indulgere choreis.
Tuque adeo tali conjux indigna marito,
Parce pium immeritis Regem irritare cachinnis.
Scilicet ultor adeſt; riſu quem ſtulta procaci
Spreviſti pariter, pœnas Deus ingeret æquas;

Nè

Ne dubita, longùmque lues convicia linguæ.
Nullus erit tibi Jeſſiades, qui parvulus aula
Ludat, & optata faciat te prole parentem.

DAVIDIS VIOLENTÆ SITIS VICTOR.

O Mihi Bethlæo gelidos è fonte liquores
Si quis anhelanti ferat officioſus, & æſtu
Irriget exhauſtas & longo pulvere fauces!
Talia ſollicito fundebat pectore verba
Rex David vateſque idem, metatus apricis
Caſtra locis, medium cùm ſol aſcenderet axem,
Et latè ſteriles torreret Sirius agros.
Nulla mora eſt; tres ecce viri, fortiſſima bello
Pectora, ſuccenſi laudiſque & Regis amore
Antevolant, certamque viam per tela per hoſtes
Moliti, optatum portant in caſſide fontem.
Hic cœlo attollens oculos Jeſſeia proles;
Ergo, ait, ergo tuæ tanto diſcrimine gentis
Reſtinxiſſe ſitim David, Deus alme, feretur?
Non ita: vel ſiccas urat ſitis arida fauces,
Fundetur liquor iſte Tibi, mulcebit & iras.
Dixit, & oblatas effudit caſſide lymphas.
Extollant alii partos ex hoſte triumphos.
Major ades, Rex magne, ſitim cùm vincis, & ultro
Reſpuis optatos latices, quàm vulnere certo
Immanem cùm ſtravit humi tua dextra Gigantem.

PUDICITIA VINDICATA,

ſeu Suſanna liberata.

IBat ad extremum nullius conſcia culpæ
Supplicium, vultuſque ſolo Suſanna pudicos
Flebiliter dejecta, frementibus undique ſaxis
Innocuum patiens caput objectare parabat.
Inſequitur tota petituram ex urbe furentis
Vis ingens populi, famaque accenſa ſiniſtra,
Clamat turpe ſcelus crudeli morte piandum.
At non interea nemo miſeratur acerbas
Quas patitur Suſanna vices; triſtiſſima multos
Quà ſe cumque ferat tangit pietatis imago.
Pars defixa ſuper venerandæ frontis honores,
Suffuſumque genis longùm mirata pudorem,
Abſolvit tacitis inſontem vocibus; & jam
Avertat proprio, ſi fas, diſcrimine pœnam.
Ipſa autem ingenti pectus concuſſa dolore
Suſtulit ad cœlum perfuſa flagrantibus ora

Fleti-

Fletibus, & ſecum tacita ſic voce precatur.
O Pater, ò ſceleris vindex, tutorque piorum;
Qui potes humanæ ſolus penetrare latentes
Sceſſus animæ! noſti ſi culpa nocentem
Ulla gravat; ſi quando toros infida jugales,
Impuroque ſacras violavi crimine tædas.
Ecce tamen Deus ah! morior, turpemque, ſceleſti
Quam meruere, luo crudeli funere pœnam!
Anne quod illæſo rejeci a corpore, fœdos
Sollicitata Senes, & blandimenta refugi
Noxia? Defenſum ſanctæ virtutis honorem
Supplicium hoc maneat, cuſtos Deus alme pudoris?
Hæc effata ſinum lacrymis rorantibus implet.
  At non oranti Deus abſuit: ecce per auras
Vox pueri repetita ſonat, populique ferocis
Sollicitam trepida miſcet formidine mentem.
Quò vos, Iſacidæ, malè credulus error, egentes
Conſilii rapit, & cœptis immanibus effert?
Aſſyriæ perit urbis honos & gloria gentis
Suſanna, & pœnas nullo pro crimine ſolvit?
Scilicet illicitas caſto ſub pectore flammas
Dicitur admiſiſſe? animi ſic nota pudici
Intemerata fides? ſic vos inimica poteſtas,
Et mala ſacrilegæ ludunt convicia linguæ?
Sed violate pio crudeles ſanguine dextras,
Et cœptum cumulate ſcelus; ruite omnia ſaxa
Immeritum in caput; at nunquam, quocumque cadat res,
Partem opere in fœdo Daniel habuiſſe feretur.
Obſtupuere omnes, & quos ferus ardor agebat
In facinus, pueri imbellis vox una repreſſit.
Mox varius ſerpit diverſa per agmina rumor,
Quidve puer referat, quæ ſit fiducia dictis,
Ardent ſcitari, rerumque exquirere cauſas.
Ille Senum poſtquam facinus convicit iniquum,
Et fraudis coram dedit argumenta nefandæ;
Ad mortem impatiens populus mora nulla repoſcit
Lenones geminos; &, quas inferre parabant,
Saxorum oppreſſi perſolvunt grandine pœnas.

JUDITHÆ DE HOLOPHERNE TRIUMPHUS.

Aſſyrii fera caſtra ducis mediaſque phalanges
Attigerat fidens animis Juditha, Deique
Auſpiciis, rabidas Holopherni mulſerat iras.
Tanta pio ſe ſe fundebat gratia vultu!
Tantum nativo dederat Deus ipſe lepori,
Et frontis decus & formæ melioris honorem!
  At non in gravibus mulier generoſa periclis

Eſt

Eſt oblita ſui, patriamque impune ruentem
Suſtinuit, denſo quam milite barbarus hoſtis
Obſeſſam, triſti ſubvertere clade parabat.
Namque ducem ut vidit ſomno vinoque ſepultum,
Atque altos imo ducentem pectore ronchos:
Hæc ſecum: ſic ergo tibi temerarius hoſtis
Inſultet, nec erit, qui te, Deus alme, tuumque
Subducat populum fatis inſtantibus ultor?
Non ita: quas meruit ſcelerato in ſanguine pœnas
Fœminea luat ille manu, cœloque verendum
Et terris ſciat eſſe Deum! nec plura locuta,
Protinus inſolitas revocari in pectora vires,
Fœmineumque abigi ſenſit de corde timorem.
  His animis thalamo adproperat ſecura pericli,
Fulmineumque manu capit imperterrita ferrum,
(Quod lecto fati imprudens religarat eburneo
Bellator, non hos ſervatum munus in uſus;)
Et cœlo converſa oculos, dextramque precantem
Attollens, nunc ò ſummi regnator Olympi,
Alme Deus, noſtros nunquam fruſtrate vocatus,
Da, precor, imbelli vindex felicia dextræ
Robora, & inſolito præſens ſuccurre labori.
Tempus, ait, nunc tempus adeſt; ſic fata Tyranni
Continuò, læva crinem implicat, atque jacentis,
Enſe bis impacto, caput à cervice revellit;
Vulnere quo largos cervix dedit undique rivos.

IMPIETAS MULCTATA.

Seu fatale Balthaſaris Convivium.

FAtales epulas & fœdæ gaudia menſæ
Balthaſar obſcœna ſcortorum adſtante corona
Carpebat, Solymæque adytis erepta verendis
Aurea pollutis violabat pocula labris.
Demens qui juſtas illuſi Numinis iras,
Nec capiti metuat non evitabile fulmen!
  Dum læto unanimes celebrant convivia baccho,
Et pulſata vago reſonant longa atria plauſu;
Ignotæ nova forma manus laquearia circum
Serpere, & obſcuros in pariete ducere tractus.
Turbati inclamant Proceres, cunctique relictis
Conſurgunt menſis; at Rex, cui pectora pungit
Conſcia mens ſcelerum, ſtimuliſque ſequacibus urget,
Me, me, inquit, portenta petunt; hanc criminis ultor
Armavit Deus ipſe manum; jam nulla ſuperſunt
Sceptra mihi; morior, nec contra obſiſtere fas eſt.
  Haud longum in medio tempus; dum nocte ſilenti

Balthaſar ingratum patitur per membra ſoporem,
Hoſtis habet muros, in portas undique Medi
Irrumpunt, Perſæque graves, multiſque peremptum
Vulneribus Regem confuſa in ſtrage relinquunt.
I nunc, atque Deum factis illude nefandis.

ELEAZARUS IN MORTE VICTOR.

INſenſam Iſacidum juratus perdere gentem
Antiochus, miſero circum loca cuncta tumultu,
Et pavidas latè implebat terroribus urbes.
Illum inter medios dorſo famulante ſuperbum
Fert elephas, cingunt alacres hinc inde manipli.
Vidit ab adverſo venientem Eleazarus hoſtem;
Vidit, & immenſo transfixus corda dolore
Concepit dignas animis ingentibus iras.
Ergo, ait, inſanos exerceat uſque furores,
Sacrilegoque Deum Rex impius ore laceſſat?
Ibo, ibo vindex Solymæ, nec plura locutus;
Fulmineum minitante manu rotat impiger enſem,
Hoſtileſque ſubit cuneos: quacumque ferat ſe,
Fit via vi, rumpitque aditus, cadit hoſtis utrinque,
Luctantemque animam ſævo in mucrone relinquit.
Mox ubi cæde madens hoſtem pervenit ad ipſum,
Procubuit, mediuſque feræ inter crura volutus,
Qua recluſit hians aditum lorica patentem,
Altiùs inſinuat ſetoſa per ilia ferrum.
Icta cadit nequicquam ululans, victumque cadendo
Bellua ſubvertit vaſto cum pondere Regem.
Ipſe etiam victor ſub mole oppreſſus eadem,
Inſignem reperit vel in ipſa morte triumphum.

MACHABÆORUM MATER FILIO AD MORTEM HORTATRIX.

PRo ritu patrio, pro Religione tuenda,
Jam dulces animoſa parens ſex ordine natos
Viderat innocuo pendentes ſanguine pœnas.
Purpureas non illa genas, non pectora tundit,
Aut flavos lacerat, matrum de more, capillos.
Dulcibus at lacrymis vultus perfuſa ſerenos,
Sic natum minimum alloquitur, nam ſeptima duris
Victima reſtarat tortoribus. Eja age, dixit,
Eja age, matris amor, ſpes ultima; fratribus ultro
I frater comes, & paribus non degener auſis
Pone animam, & furias immanis vince tyranni.
Quæ fratrum fortes animas jam regia cœli
Excepit, te te expectat, tibi limina pandit.

Talia

Talia dicebat; cùm barbarus ecce ſatelles
Corripiens puerum, feralibus admovet aris;
Porcinaſque jubet minitans contingere carnes.
Ille indignantem vultumque pedemque retorſit;
Et teneras cum voce manus ad ſydera tollens,
Iſacidum dominator, ait, qui numine torques
Omnia; pollutis prohibes accumbere menſis,
Nulla dies unquam immemorem legiſque meique
Arguerit; non ſi Antiochus mihi funera mille,
Mille cruces ferus intentet. Tu, Lictor, adeſto;
Me, me adſum. Tibi, quam dederas, Deus optime, vitam
Reddo volens, pulchroque juvat ſuccumbere letho.
Talibus oranti miles caput amputat enſe.
Volvitur, & teneros ſparſus cruor irrigat artus.

EXORTUS AB IMPIO DEI VINDICIS METUS,

Seu Antiochus moriens.

AFfixus lecto vicina in morte jacebat
Antiochus, ſontemque animam exſpirare parabat.
Scilicet atra lues udo ſublapſa veneno
Iverat, & totos ſenſim diffuſa per artus
Oſſaque & infeſta vitiarat labe medullas.
Jam putrido innumeri de corpore ſurgere vermes,
Jam fanies fluere, & tetram exhalare Mephytim.
Sic ades, & quanquam lentus punire nocentem
Expectas, acer recti Deus ultor & æqui,
Semper ades, quaſque impietas, quas fœda libido
Promeruit, certo repetis poſt tempore pœnas!
Horreſcunt viſu Proceres, ſcelerumque fidelis
Turba comes longè fugit, & fœtoris iniqui
Impatiens, tanto Regem in diſcrimine linquit.
Hic, quando ſpes nulla ſuper; neque vindicis iras
Numinis effugiſſe licet, ſuſpirat, & altum
Exclamans, regnas cœlo, Deus, inquit, & uſque
Parere indocilis, tandem tua Numina poſcit
Antiochus, meritoſque tibi perſolvit honores.
Si potes humanis, Deus ò, manſueſcere votis;
Da ſpatium Antiocho, donec latus orbis utrumque
Mutatum in melius ſciat & tua ſacra colentem.
Te ſceleris, te ſerò piget, Rex impie! fruſtra es,
Vota cadunt, rapidiſque volant ludibria ventis.
I, morere, i ſacro pridem devota furori
Victima, & exemplo ſeclis teſtare futuris;
Quod Deus imperium Reges exercet in ipſos,
Nec ſua deſeruit claudo pede pœna nocentes.

VOTA SUSPIRANTIS ORBIS PRO CHRISTO VENTURO.

O Deus! ò vaſti moderator & arbiter orbis!
Tempus adeſt; nam cur ultra promiſſa moraris
Solvere, & humani generis ſarcire ruinas?
Audis ut miſeras, nulla ſanabilis arte,
Fert natura preces, & queſtibus aſtra fatigat?
Ah! tandem miſereſce Deus; da rebus in arctis
Præſidium; longos per Te finire dolores,
Et certam afflictis liceat ſperare ſalutem.
Ergo age, rumpe moras, cœlo deſcendat ab alto
Expectata diù ſoboles tua! Qualis amicas
Solvitur in guttas ros matutinus, & agros.
Irrorans, ſiccas prohibet ſterileſcere meſſes!
Tuque ò nequicquam durum perpeſſa laborem,
Tellus pande ſinum, nimbis & fœta benignis
Funde ſalutiferum gremio de divite germen.
Audimur; tepidus reſolutis nubibus imber
Decidit, & terras pretioſo munere ditat.
Jam rigui montes ſudant fragrantia mella,
Jam plenis manat lactis bona copia rivis.
Credite, Mortales; neque ſpes hæc vana, malorum
Finis adeſt, mundoque ſalus lætiſſima ſurgit.

IN CHRISTUM RECENS NATUM ECLOGA.

THYRSIS & MELIBOEUS.

THYRSIS.

QUò properas Melibœe? an te via ducit ad urbem?
Ergo gregem interea media de nocte per agros
Deſeris? At, ſi fors lupus inſidietur ovili,
Quis teneros, dum paſtor abeſt, tutabitur agnos?
MEL. Nectere parce moras; gravior me cura remordet;
Si quid, Thyrſi, ſapis, ne tu comes ite recuſa.
Et curis mecum paribus veſtigia fige.
THYRS. Sponte ſequar; ſed da ſenſus, Melibœe, latentes
Noſſe animi, tacitaſque viæ cognoſcere cauſas.
MEL. Dicam equidem, neque te ſuſpenſum, Thyrſi, tenebo.
En venit dudum optatus ſub luminis auras
Daphnis ruris honos, paſtorum gloria Daphnis.
Olli divinum genus, & cœleſtis origo eſt,
Crede mihi; nam dum placida ſub nocte teneret
Membra quies, ſupera prænuncius Ales ab arce
Excitat attonitum, & verbis ita fatur amicis.
Paſtores, gens ante alios dilecta Tonanti,

Accipite hæc animis; vobis felicia porto
Nuncia; quem votis flagrantibus ambiit orbis,
Ecce humiles demum dignatur viſere terras.
Eja agite, & læto ruite ad cunabula greſſu.
THYRS. Fortunata nimis regio, tua ſi bona noris!
cui puerum licuit primo vidiſſe ſub ortu.
Non ſi habitet terras alio ſub ſole calentes
Extremos orbis dubitem penetrare receſſus.
MEL. Pone metus, ò Thyrſi! tuo Deus æquus amori
Reſpondet; neque enim procul hinc ab ovilibus iſtis
Bethlemicas, ſi vera ferunt, puer incolit arces.
THYRS. Ergo animis alacres læti properemus ad urbem.
At pia ne puero, ne matri munera deſint.
MEL. Eſt mihi luxurians, nec raptus ab ubere matris
Agnus, erit noſtri monimentum & pignus amoris.
THYRS. Ipſe dabo geminas niveo candore columbas.
Hæ noſtros utinam puero teſtentur amores!
MEL. Adjiciam lectos autumni tempore fructus.
THYRS. Adjiciam tepidi ſpumantia pocula lactis.
MEL. Ah! ſi molliculum violent mala frigora corpus,
Defendet teneris vellus mala frigora membris.
THYRS. Ventorum ah! potius parcant ſævire furores
In puerum, aut rigidas Zephyrus clementior auras
Mulceat, & præſens alieno tempore regnet.
MEL. Quin etiam ante diem peregrinis exul ab oris
Ver redeat, riſuſque hilares turbamque jocorum,
Et placidis ſecum revehat bona gaudia terris.

IN PUERUM JESUM PERVIO IN STABULO JACENTEM.

QUæ mala Tiſyphone ſtygiis excita cavernis
Juſſit hyperboreos effracto carcere fratres
Graſſari, tantoque polum miſcere tumultu?
Annoſum, rimiſque hinc inde patentibus antrum
Ventorumque iras, tempeſtatumque furores
Excipit: hybernis horret ſpecus atra pruinis
Pendenteſque operit nix circumfuſa ruinas.
In medio Deus, ecce Deus! dilecta Tonantis
Progenies jacet! at quantùm mutatus ab illo,
Inter cœlicolas qui conſidet arduus; unde
Vim Boreæ rabiemque Noti furiaſque coercet.
Proh! Superi! Deus, ille Deus ludibria ventis
Sternitur, & palea corpus malè fultus agreſti
Teſtatur nimios, fletu prodente, dolores!
O amor! ò ſævi moderator & arbiter auſtri,
Eurorumque potens animas mulcere furentes,
Adſis ò! nimboſque fuga, triſteſque procellas
Sterne bonus, penituſque imis compeſce ſub antris.

Sic tibi, ſic quoties placidum per inane volabis,
Nec gravior nimbus, teneras nec vulneret alas
Imber atrox; ſed te Zephiri levis aura volantem
Suſtentet, mediaſque hilarem det nare per auras.
Vana loquor; ſurda noſtras capis aure querelas,
O crudelis amor! nec amantum vulnera curas.
Non pueri voces, qui nunc ſub pumice duro
Alget inops, gemituſque pios tractabilis audis!
Sed quid ego incuſo, magis incuſandus, amorem?
Ipſe oculis totus puerum defixus in ægrum,
Triſtes lacrymulas, & languidulos vagitus
Excipio fidens animi, nec lumina flecto
Impius, aut caſu moveor conflictus acerbo.
Nam quòd opes fluxas, quòd vanæ inſignia pompæ,
Demens, & fragilis ſector mala gaudia vitæ;
Id dolet, id queritur, tantorum hæc cauſa malorum eſt.
Illum ego crudelis lacrymantem & multa gementem
Deſpiciam, nec longa magis ſuſpiria tangant,
Quàm ſi truncus iners, aut ſim duriſſima rupes?
Quò te noſter amor Deus impulit? aut mihi nam quò
Ceſſit cura tui? Vel ſacro incenſus amore,
Dive puer, tua poſt curram veſtigia; vel me
Immemorem tanto ne complectaris amore.

IN SACRAS SANGUINIS CHRISTI PRIMITIAS.

Hei! mihi! quæ corpus ferro violare tenellum
Auſa manus? Largo manat de vulnere ſanguis,
Et pueri cunas lactenteſque inficit artus.
Ah! prohibe ſcelus infandum pia mater, & ultro
Te nati, ſi qua eſt pietas, miſeratio tangat.
Nam cur ante diem pœnis damnatus iniquis
Acceptam properet maturo funere vitam
Claudere? Tempus erit, nimis heu! lacrymabile tempus,
Cùm riguis totus lacero de corpore rivis
Sanguis eat, mundique ſcelus, devota Tonanti
Victima, ferali ſuſpenſus ab arbore ſolvat!
Interea, plenos ætas dum ſurgat in annos,
Da teneris ſenſim vires acceſcere membris;
Formarique virum. Sed quid verba irrita jacto?
Non gemitus voceſve parens tractabilis audit.
Ah! ſi tantus amor ſacrum impendiſſe cruorem,
Chriſte, tibi eſt; mihi ne fundatur inutilis, oro.
Da ſcelerum abſtergat maculas, da vulnera ſanet
Obſita, & optatam ferat in præcordia vitam!

AD

AD REGES MAGOS.

ET dubitatis adhuc? nam quæ mora deinde retardet
Ancipites? vel quid cœlo rimentur ab alto
Expectentve oculi! poſtquam lux alma refulſit,
Et tulit optatæ dudum bona nuntia vitæ?
Ille etenim, lapſis hominum ſpes unica rebus,
Quem ſacra venturum cecinere oracula vatum,
Venit, certa fides, & ſummo lapſus olympo
Afflictas recreat præſenti numine terras.
Ite alacres, properate viri, qua ſtella ſecundum
Prævia monſtra iter: natum modò quærite vobis
Infantem, vaſti quem non capit ambitus orbis,
Cujus ab imperio pendet natura potenti,
Et toto quæcumque nitent miracula mundo.
Ne vos triſtis hyems, ne tædia longa viarum
Detineant, faciatve metus gravis ira Tyranni.
Audior, ire parant; jam miſſi carcere currus,
Atque alacres frenantur equi; ſtant agmine longo
Tergemini Reges, pretioſaque munera portant.
Nec pudor eſt illis, quos regia purpura veſtit,
Suffultum palea infantem, calamoque paluſtri
Obſequiis colere, & dominum Regemque fateri.
At vos paſtores, nihil hinc, pia turba, dolete;
Si vultu, quo vos excepit Chriſtus, eodem
Excipiat Reges; Chriſto ſe adjungere fas eſt
Omnibus; & faciles nullo diſcrimine, ſemper
Invenient aditus, quibus & tractabile mentis
Obſequium, & nulli vita eſt obnoxia culpæ.

PUER JESUS

In officina Joſephi vulneratus dum fabrilem artem exercet.

DUm rudis exercet durum ſub patre laborem,
Imbellique manu ferram molitur Ieſus,
Ecce cutem recto de tramite devia cuſpis
Vulnerat, & ſacro reſpergit ſanguine dextram.
Senſit Virgo parens; ſimul advolat, atque dolorem
Flebilibus teſtata modis, ſugenſque cruorem,
Quà potis eſt, fovet arte malum, mulcetque medendo.
Olli ſubridens Divus Puer, & ſacra figens
Oſcula, parce metu, dixit, chariſſima Mater.
Nam cur ſollicitam te guttula ſanguinis angit?
Pone modum lacrymis, teque ad majora reſerva.
Tempus erit, manus hæc clavo cum fixa trabali
Sanguineos fundet largo de vulnere rivos.

AMORIS IN CHRISTO DE MORTE TRIUMPHUS.

ORabat tacita nemoris ſecretus in umbra
Chriſtus, & humanam meditans ſub corde ſalutem,
Magnum opus; immenſi contra genus omne doloris,
Contra mille neces vario trepidantia motu
Pectora, & incertam firmabat robore mentem.
Interea ſubito tellus emota tumultu
Rumpitur; & ſtygias gremio vomit horrida turmas.
Pars clavos acuit prædura in cote trabales,
Pars vacuas fremitu horrifico flagra dira per auras
Ventilat infrendens, pars inſultare laborat
Innocuo capiti, & circum ſacra tempora flectit
Horrentem dumis & acuto vepre coronam.
Pars infame trahit magno molimine lignum,
Unde animam exſpiret, totique indebita mundo
Victima, non meritas fuſo det ſanguine pœnas.
Quin etiam ſtolidæ jactant convicia linguæ:
I, morere, exclamant, aut, ſi tibi ſumma poteſtas,
Si Deus es, ſalvum manibus te ſurripe noſtris.
Obſtupuit dira perculſus imagine rerum;
Membra tremunt, languent acciſo in corpore vires,
Succiduique pedes ſub iniqua mole fatiſcunt.
At dum ingens animus virtuſque invicta, pavorem
Contra obluctatur, fuſus præcordia circum
Hinc atque hinc, magno depellitur impete ſanguis;
Nec venis ſe ſe jam continet; objice rupto
Præcipitat, largiſque fluens de corpore rivis,
Arentem tingit pretioſo murice terram.
Et jam pœnarum ferali pondere preſſus,
Exitium capiti præſens arcere parabat;
Cum ſubitò ſe ſe ſupera delapſus ab arce
Exhibuit cœleſtis amor, collapſaque membra
Attollens, revocanſque novas in pectora vires;
Ergo, ait, ergo ratum eſt? hominum vis perdere gentem,
Quam ſervare potes? nil te tot triſtia fata,
Chriſte, movent? En hæc orbi promiſſa fides eſt;
Cùm Deus in terras ſolio delapſus ab alto,
Indueres hominum, fatis communibus, artus?
Eja, age, quanta manet te gloria? quantus ubique
Surget honos, ni te pigeat ſuccumbere letho,
Triſteſque humani generis ſarcire ruinas?
Vix ea fatus amor; Chriſtus conſurgit, & ultro,
Vincis, Amor, dixit; nulla eſt mora; pergere certum eſt,
Quò me cumque vocas, ipſique fit obvius hoſti.

NATURA TOTA CHRISTO MORIENTI PARENTANS.

QUò pater aſtrorum, quò, ſol pulcherrime, cœptum
Vertis iter? vultus ægro cur ſubtrahis orbi,
Et lucem in medio properas extinguere curſu?
Siſte gradum; nondum veſper procedit olympo
Aſtra vocans, feſſoque jubet juga demere curru.
Interea natura dolet; ſtupet inſcia rerum,
Et tenebras mirata novas noctemque diurnam
Nititur incaſſum cauſas penetrare latentes.
Anne laboranti venit ætas ultima terræ?
An rerum compago labat? num machina mundi
In chaos antiquum rurſus revoluta fatiſcit?
Forſan & effracto metuendi carcere Ditis
Arma movent iterum, conjuratique Gigantes
Cœlicolas ſuperis certant detrudere Regnis.
Sed quid ego hæc autem? veterum quid vana Gigantum
Bella moror? crudele magis Judæa propago
Auſa nefas, vitæ dominum auctoremque ſalutis
Affixit trunco, atque indigna morte peremit.
Quid turpes ignominias, quid iniqua furentum
Verbera carnificum, & ſtulti convicia vulgi
Commemorem? cunctoſve querar, quos pertulir ictus,
Ille parens hominum, Divumque æterna poteſtas?
Phœbe retro propera, volucres de tramite recto
Flecte gradus, errent toto vaga ſydera cœlo;
Nutet uterque polus, crebris micet ignibus æther;
Fulmina vindicibus properent lethalia flammis;
Et terra infandum ſcelus indignata dehiſcat!
Quin etiam tumidos attollant æquora fluctus,
Dejectura urbes; immani ſaxa fragore
Diſſilianr, ſudent undantes marmora rivos,
Totaque det ſummo inferias natura Tonanti.
Tu Chriſto optatam nactus moriente ſalutem,
Ni ſilice, & duro magis intractabile ferro
Pectus habes, ſine corda pio mollita dolore
Accepto referant vitæ pro munere grates.

CHRISTO COELORUM ORBES SUPERANTI EPINICIUM.

O Decus! ò ſacri ſpecies miranda triumphi!
Ecce inter plauſus hilares ſonituſque tubarum,
Terras vi propria Chriſtus perituraque regna
Deſerit, & patriis meritum caput inſerit aſtris.
Qualis erat, cùm facto aditu trepidantis Averni,
Et lethi domitor, ſpoliiſque indutus opimis
Scanderet æthereas Superis plaudentibus arces!

Non

Non ego mane novo ſurgentem ex æquore Phœbum,
Aut curru fulgente poli convexa petentem,
Chriſte, tibi conferre velim; vos dicite, ſi quid
Mentiar, Iſacidæ, vos, ò, pia turba, beati
Ante alios; vidiſtis enim & memorare poteſtis:
Circum aderant animæ, ſtygio quas ille latroni
Abſtulerat victor, vinclíſque impune ſolutis
Pone ſequi lætam dederat longo ordine pompam;
Ibant, & feſtis implebant cantibus auras.

Has autem alterno repetebant carmine voces,
Pandite, felices, cœli atria, pandite, Divi.
Aſt aliud cœlo carmen recinente redibat.
Nam quis adeſt, quibus ille venit novus hoſpes ab oris?
Tum chorus unanimi circumſonat æthera plauſu,
Ille hominum vindex, & mortis victor iniquæ,
Læta triumphali quem portat gloria curru;
Virtutumque obnixa cohors ad ſydera tollit.
Pandite, felices, cœli atria, pandite, Divi.

EUCHARISTIÆ IN VEPRES PROJECTÆ.

Apes Templum extruunt.

Quò rapit inſanas ſcelerata audacia mentes!
Parcite, ſacrilegi! tenuis cibus eſſe videtur,
Sed cibus ille, Deus: nivea ſub imagine panis
Abditur omnipotens, oculis ne credite, Numen.
Quis furor eſt, talem brutis animantibus eſcam,
Aut rapidis Chriſtum ludibria ſpargere ventis?
Quid loquor? occultum nil vos ſentitis amantem.
Projicite; agnoſcent latitantia numina venti:
Bruta colent dominum; ſatis eſt rationis in ipſis
Senſibus, ut nequeat majeſtas tanta latere.

Audior. Ecce volat vicinæ ex arboris antro
Agmen apum, trepidæ cocunt; penniſque coronant,
Nube velut denſà cœli venerabile donum.
Nec ſatis eſt, horrent nuda procumbere terra
Indecorem, nutu qui cœli ſydera torquet.
Templa ſacramque domum, dignas juvat hoſpite tanto
His ſedes poſuiſſe locis; amor omnibus idem.
Protinus ad reliquas tota in regione ſorores
Mittitur; accitæ variis de ſaltibus adſunt
Concordes animis; non illas cura morantur
Pignora, deſertove tenent ſua mella cubili.
Accelerant; denſam videas prodire volantum
Cum fremitu nubem, nigrumque per aera ferri,
Nativis opibus, cœleſti & nectare fœtam:
Attentus Rex ipſe operum ſpectator in omnes.

Exer-

Exercet dulce imperium, juſtiſque laborem
Partibus, & certis pia munia legibus æquat.
Pars teneros flores, & olentis fugit anethi
Balſama, pars caſiam dulcem obſidet: illa viciſſim
Fragranteſque metit violas citrique virentis
Suavem animam; flos ipſe rapi non luget honores.
Surgentis pars prima locat fundamina tecti,
Totaque cæmentis exhaurit viſcera; molles
Sufficiunt aliæ, formanda in mœnia, ceras,
Levibus aut denſant liquentia mella columnis,
Arte nova, ſpartana quibus vel marmora cedant.
Ut conſtructa domus non ipſo indigna Tonante,
Infertur templo Deus, & penetralibus ipſis
Siſtitur ad numerum; circumque affuſa fideli
Turba miniſterio Dominum comitatur ovantem,
Feſtaque raucifonis imitatur cornua bombis.
Mox junctæ in cumulum pedibus per mutua nexis
Obſervant ſignum tacitæ, & trepidantibus alis,
Cervice inflexa Regemque Deumque fatentur.
Huc ades ô, quicumque malis erroribus actus
Eſſe negas verum, panis ſub imagine, Numen;
Hunc demum obſequio & cultu venerare fideli,
Cui meritos pia gens volucrum perſolvit honores.

CHRISTUS IN EUCHARISTIA LEONIS DOMITOR.

Quicumque exigua cereris ſub imagine Numen
Eſſe negas, jam cede Deo, dum bruta fideli
Obſequio ſecreta colunt miracula rerum.
Extrema quondam Siculæ telluris in ora
Horrendas inter ſtrages, furioſa ciebat
Arma leo, fera terribilis; vaſtaque ſuperbus
Mole, per everſos, populis metuentibus, agros,
Terrificis paſſim implebat rugitibus auras.
Non quiſquam campis ſeſe committere apertis,
Non efferre pedem quiſquam penetralibus auſit.
Ah! quoties tremuere feræ ſub dentibus artus
Humani! quoties ſævo data præda latroni
Hoſpitibuſque orbata ſuis magalia luctu
Horrendo, & miſeris fruſtra ſonuere querelis!
Nequicquam aggreditur feralem avertere peſtem
Paſtorum collecta manus, mortalia ridet
Spicula, divinis tantùm ſuperabilis armis;
Uſque adeo crevitque malum neſcitque medelam!
Audiit Antiſtes mira pietate verendus
Marcius, & fortem populi miſeratus acerbam,
Numquid, ait, pœnas ultra, Deus alme, repoſcis?
Hac ſatis eſt ſæviſſe tenus, tibi cedere diſcat

Bellua,

Bellua, cui toties humana potentia ceſſit.
Dixerat; & ſacris ſolito de more peractis,
Secretos, ubi, Chriſte, lares, loca ſancta, receſſus
Recludit fidens animi; manibuſque verendis
Corripit auratam, quà Chriſtus clauditur, arcam;
Depoſitum felix, templique ad limina tendit.
Continuò rediere animi, pulſuſque parumper
Corde timor, nova ſpes populis affulget, & ægras
Permulcens, tacita recreat dulcedine mentes.
Nec fruſtra; ſtetit Antiſtes, vocemque recludens,
Huc ades, ò furioſa, Deus jubet; ocyùs, inquit,
Bellua. Nulla mora eſt, docilis parere jubenti,
Vicinis ultro de ſaltibus advolat, atque
Præſentem ante Deum, populi mirante corona,
Prona cadit linguaque pedes allambere gaudet
Præſulis, humano toties quam ſanguine tinxit.
Ille feram arripiens, dextra victrice, trementem
Nilque reluctantem medias deturbat in undas.
Cor noſtrum cultura tua eſt, ò Chriſte; ſed eheu!
Quàm multæ vaſtant hæc culta novalia peſtes!
Hinc laudis maleſuada fames, hinc degener ardet
Invidia, inde auri furit irrequieta cupido,
Fataleſque cient noſtro ſub corde tumultus.
Quin etiam impura ſævit face dira libido,
Et molles veteri depaſcitur igne medullas.
Aſt ubi blandus ades, præſenti & numine pectus
Tutaris, ſubito fugiunt immania monſtra,
Nataleſque petunt, Te præcipiente, tenebras.
Ergo ades, imperioque, precor, Deus alme, potenti
Corda ſubi, & domitis ſolus dominare tyrannis.

CHRISTUS IN EUCHARISTIA FUGA DÆMONUM.

Urbe ſub extrema, quà latè purior æther
Mollibus aſpirans fœcundat flatibus agros;
Ampla, ſuperba, ingens, ſublimibus alta columnis
Regificoque domus luxu fuit; aurea fulgent
Atria, & inſolitis laquearia picta figuris.
Nec juxta liquidi fontes & amœna vireta,
Aut variis aberant diſtincti floribus horti.
Hìc Pomona dabat lætos gratiſſima fœtus,
Et vaga ſomnifero reſonabat lympha ſuſurro.
Quin etiam anguſto dudum contenta canali,
Mox ubi facta via eſt, rapido petit æthera jactu,
Bellum ipſi motura polo, nubeſque laceſſens
Æthereas ambit cœli reſtinguere flammas.
Sed quid tecta juvant pariis ſuffulta columnis,
Quid paſſim croceis halantes floribus horti,

Deliciæ domini quondam? Nunc invia ſedes,
Et deſerta jacet, jam jam factura ruinam.
  Scilicet hoſpitium ſtygiis emiſſa cavernis
Turba ferox, lemurum manus importuna tenebat.
Namque, per obſcuræ tranquilla ſilentia noctis,
Horrendum latrare canes, diruſque leonum
Audiri latè placidas rugitus in auras.
Sæpe etiam horribiles immani corpore larvæ
Luce palam viſæ nigras ſe inferre per umbras;
Nunc pedibus pulſare ſolum, nunc mittere ſaxa,
Nunc mortem ſtricto venientibus enſe minari.
Mox etiam cythara feſtam indicente choream
Saltare ad numeros, & ſaltibus addere cantum.
Inviſam fruſtra tectis expellere peſtem
Infelix tentarat herus: manet improba peſtis,
Jurata obſeſſo nunquam diſcedere tecto.
  Cum ſacer Antiſtes, precibus, de more, ſolutis,
Velatum tenui cereris ſub imagine Numen,
Ingens præſidium, multis comitantibus effert
Ex adytis, ſtygium certus frenare tyrannum.
Ventum erat ad ſedes, portæ vix prima ſubibat
Limina, cum rapido reboat domus excita motu,
Et tremulæ ſurgunt tremefacta per atria voces.
Hinc procul, ò ſocii, Deus imperat! Ocyùs illi
Præcipitem celerare fugam: vapor ater in auras
Æſtuat, & nigro glomeratur turbine vortex.
  Hoſpitium, cor, Chriſte, tuum eſt: hic ſæva libido
Incubat, & ſtygii regnant, mala turba, tyranni.
At tua cùm recreat miſerum præſentia pectus,
Dira cohors, nigris vitiorum exercitus alis
Avolat, & trepidæ remeant ad tartara peſtes.
Huc ades; & pulſo regnet pax alta tumultu.

CHRISTI IN EUCHARISTIA LATENTIS

Iners Bellua adverſus errorem vindex.

QUiſquis adorandum panis ſub imagine Numen
Eſſe negas, ades huc: animalia muta docebunt,
Quam deceat præſtare fidem, quos lapſus ab arce
Ætherea reddi Panis ſibi poſcat honores.
  Dum ſerpit latè ſtygiis emiſſa cavernis,
Et magis atque magis ſpargit lethale venenum
Atra lues, terris quam Berengarius olim
Orbis in exitium fatali protulit ortu,
Et quam Calvinus poſt ſæcula multa jacentem,
Exortique mala renovant de ſtirpe nepotes.
Adſuit & Patavi partu generatus eodem

Peſti-

Peſtifera ante alios doctor metuendus in arte.
Ille nefas immane auſus, dum munera temnit,
Chriſte tua, & teneri memorabile pignus amoris,
Chriſtiadum ex animis penitus reſcindere geſtit.
Exarſit meritas Antonius ultor in iras,
Franciſci Soboles, quem dudum regia cœli
Poſſidet indigetem, & ſacro veneramur honore.
Nulla mora eſt; miti alloquio mulcere furentem
Tentat, & obſcuras animo depellere nubes.
Verùm ubi nec veterum ſignata oracula Patrum,
Nec ſacri vis eloquii frœnare rebellem
Evaluere; alias ſubitò converſus ad artes,
At neque ſic tamen effugies, ait, impie; nec te
Fruſtra obluctantem mecum certaſſe juvabit.
Haud plura effatus, ſupplex accedit ad aram,
Et trepida reſerans Chriſti penetralia dextra,
(Hic ubi divinum pixis capit aurea Numen).
Corripit exultans ſacra pignora; perque frequentem
Turbam infert, ſtupet attonitum formidine vulgus;
Spemque metumque inter ſe ſe ad majòra reſervat.
Pro foribus Templi permiſſis mulus habenis
Etrabat, quo ſe mediam jactare per urbem
Doctor iners, turbaſque graves excire ſolebat.
Hic animi fidens Antonius, atque verenda
Defigens oculos in pixide; vos mihi, dixit,
Vos precor, ò populi placidas advertite mentes,
Si Chriſti vos tangit honos, ſi cura ſalutis
Extimulat. Tuque ante alios, de tramite recto
Quem mala ſacrilegæ flexit contagio ſectæ;
Brutorum exemplo præſentem diſce vereti
Exiguo ſub ſatre Deum; mox lumina flectens,
Reſpicienſque retro quà ſe ſe mulus agebat;
Vile pecus, compeſce gradum, noſtrumque tuumque
Numen, ait, venerans, quà, quà potes arte, fatere.
Obſequitur docilis deflexo poplite mulus,
Et, prona cervice, Deo perſolvit honorem.
Obſtupuere omnes, gelidus pavor occupat artus,
Peſtiferum diris onerant impune magiſtrum
Unanimes, Chriſtique polo miracula tollunt.

CHRISTI IN EUCHARISTIA DE HUMANO CORDE TRIUMPHUS.

Ibat amor ſpoliis hominum Divumque triumpho
Nobilis, & domito inſultans juveniliter orbi
Jactabat palmas, invictaque tela canebat.
Interea rapido dum findit nubila tractu,
Hactenus intactum cor aſpicit. Ergo reſiſtat

Mor-

Mortali de gente aliquis? ſibi vulneris expers
Applaudat, ſoluſque meos non ſenſerit ictus?
Dixit; & indignans magna vi conjicit haſtam
Pectus in indomitum; tenues volat illa per auras;
Verùm obtuſa cadit; ferrumque imbelle, ſine ictu
Nulla ſui linquit veſtigia. Fervidus arſit
Hìc Amor, & ſtimulis irarum agitatus amaris;
At non vincar, ait; faciam, ne vincla recuſet
Dulcia, ſeque ferat vinci: nec plura locutus;
Aera per ruit; & ſtridentis more ſagittæ,
In medium ſemet facto impete dirigit hoſtem.
Fit via vi, rumpitque aditus & corde potitur.
Sed quid ego hæc autem? valeant mendacia vatum.
Tu nos indociles ſenſiſti, Chriſte; nec ullis
Illecebris poteras mortalia corda mereri.
Nil erat, in terras patrio quòd lapſus olympo,
Mortalem indueras hominum ſub imagine formam,
Humanos ultro, perque omnia factus ad uſus,
At neque ſic noſtri fregiſſe repagula cordis
Victor, & obſtruſos potis es penetrare receſſus,
At quando ſis ipſe cibus, totoque receptus
Pectore, Terrigenas divino corpore paſcis;
Quis tibi non cedat? quis non redamaret amantem?
Ergo, ades, ò ſupreme Deus! tibi pectus apertum
Pandimus; æternos illic tibi fige penates;
Nec patere in nobis, quem non accenderis, ignem.

ESURIENTES IMPLEVIT BONIS.

Otho Imperator morti proximus, ſacra Euchariſtia mirabiliter refectus.

IMperii decus & Germanæ gloria gentis
Æger Otho ſtratis vicina in morte jacebat.
Hic adeo Chriſti miro ſuccenſus amore
Divinas libare dapes ardebat, & inter
Cœleſtes epulas fugientem effundere vitam.
Sed fruſtra; vetat ingrati vis effera morbi;
Quæque agitant vario ſtomachum faſtidia motu,
Convivam ſacræ prohibent accumbere menſæ.
Ergo, quod in votis unum eſt ſuper, ecquis amicum
Numen, ait, quis blanda mei ſolatia luctus
Siſtet, & afflictum viſu recreabit amorem?
Dixerat; extemplo Chriſti venerabile corpus
Ponitur ante oculos. Vidit; ſed corda videndo
Expleri nequeunt: novus hinc ſuccenditur ardor,
Et magis atque magis flagrant pia pectora flammis:
Quin etiam oblitus morbi, oblituſque dolorum,
Ardet in amplexus, & jam mortalia linquens,

Cor-

Corpus iners dolet ignavo torpere cubili,
Incuſatque moras ſegnes, hæcque inſuper addit.
  Ergo, Chriſte, tuos ſic deſeris? heu! quid amicas
Jejuno præbere dapes, quid ſanguine longam
Optatoque ſitim renuis compeſcere potu?
Non aliter cerva è mediis elapſa moloſſis,
Cui ſine more furens torret ſitis arida fauces,
Quærit aquæ rivos; ardentibus annue votis,
O Deus! & noſtras patiens admitte querelas.
Talibus orabat, figenſque in pixyde vultus,
Numen ubi nivei latitat ſub imagine panis,
Sollicitis Chriſtum lacrymis urgebat amantem.
  Audiit egregii Chriſtus pia vota clientis.
Scilicet aurata quæ pyxide clauſa tenetur
Hoſtia, vi propria medias volitare per auras
Viſa, nec incerto, dictu mirabile, lapſu
Tendere ad infirmum, & curas lenire jacentis.
Quis tibi tum ſenſus, lætæ quæ gaudia menti,
Inclyte Rex? ſeriem tantarum evolvite rerum
Cœlicolæ, vidiſtis enim & memorare poteſtis.
  Nec ſatis; alma pio ſe ſe applicat Hoſtia cordi,
Dulce onus, inque imos aditum molita receſſus,
Corporeæ tentat ſe totam infundere moli.
Vidit Amor, raptiſque ruens per inane ſagittis,
Certa, inquit, jam certa via eſt: nec plura, ſed arcum
Tendit, & adducto victricia ſpicula nervo
Contorques, lato pectus recludit hiatu.
Tramite quo admiſſus cordi ſacer hoſpes amico,
Viſceribus ſuper incumbit, lætoſque per artus
Inſinuans, toto ſenſim ſe corpore miſcet.
Et jam rima coit, fibriſque hinc inde renatis,
Vulneris inflicti non eſt ſuper ulla cicatrix.
  Sic veros, ò Chriſte! ſacro perfundis amantes
Nectare, ſic puri ferventes pectoris æſtus
Rore ſalutifero & lymphis reſtinguis amicis.

EUCHARISTIA ET MARIA

Duo ſalutis humanæ præſidia.

Urbs erat extremis Scythiæ qua jungitur oris
  Sarmatha, Chiovium dicunt: hic Virginis olim
Ara fuit; quò ſe cunctis è partibus orbis
Turba virum matrumque frequens conferre ſolebat;
Seu deſperatis poſcant ſolatia rebus,
Seu læti accepto referant pro munere grates.
  Scilicet exiguæ tectus ſub imagine frugis,
Quanquam haud ulla Deum monſtrant veſtigia, Chriſtus

Hic

Hic tamen ipſe aderat: tuque, ò ſanctiſſima Virgo,
Quanquam te ſuperum jam pridem regia terris
Invidit, Templo præſens tamen ipſa videris,
Inque laborato ſpiras ceu viva metallo.
At gens dita, Scythæ, ſacriſque addicta nefandis,
Romulidumque pios jurata evertere ritus
Arma ferunt; & jam ſqualentes ære manipli
Procedunt latè campis, luctuſque pavorque
Antevolant; acti ſubita formidine cives
Diffugiunt, vacuamque urbem cuſtode relinquunt.
Jamque adeo ſuper unus eras, Hyacinthe, pericli
Immemor, atque aras certus templumque tueri
(Tanta animo pietas) aut ante altaria ferro
Occidere, & vitam pro Relligione paciſci.
At dum multa gemens, & magno corda dolore
Confixus, votis abſentum ſæpe Mariam,
Sæpe vocat Chriſti præſentia numina (quando
Spes hæc una ſuper, triſtemque avertere cladem
Haud opis humanæ eſt) dum ſe, velut hoſtia, letho
Devovet immeritum, ſcelus & commune piari
Unius exitio poſcit; vox æthere miſſa,
Quin vive, & fugiens teque & nos eripe, dixit:
Ne dubita, cœptis aderunt quæ Numina ſervas.
Audit, & humentes tollens ad ſydera vultus,
O mihi, ſi Getico ereptum te, Chriſte, furori,
Teque, ò Diva parens, liceat ſervare, ſacriſque
Infandas arcere manus! ſequar omnia certè,
Quæ datis: imperiumque volens ac juſſa faceſſo.
Hæc fatus fidens animis dum pergit ad aram,
Quæque habitat Chriſtus penetralia; ſponte revulſis
Cardinibus patuere fores, atque ipſa moveri
Viſa, ubi divinum pignus latet, aurea pyxis:
Perque auras allapſa ultro ſe tradit: at ille
Accepit dextra admirans venerabile munus,
Amplexuque fovens divinum Numen adorat.
Mox aliud monſtrum exoritur; nam Virginis almæ
Effigies ſolido ex auro, ceu ponderis expers,
Obvia fert ſe ſe: gremio ſacra pignora portat
Feſtinans, nec tardat onus: ſed enim avia curſu
Dum petit, ecce ferox ſtrictis mucronibus hoſtis,
Eminus ut ſpolia aſpexit divina ferentem,
Inſequitur, totoque ruens premit agmine; nec jam
Ulla via eſt; atque hinc telis, hinc clauditur amne.
Namque Boriſthenium tumido ſe flumen agebat
Gurgite. Quid faciat tanto in diſcrimine rerum?
An moriens genti tradat te, Chriſte, nefandæ?
An terra excluſus medio petat amne ſalutem?
Conſtitit, & ſacra figens in pyxide vultus;

Chriſte potens rerum, atque humanæ dulce ſalutis
Præſidium, non me præſentis terret imago
Mortis, ait: nam quod lethum mihi dulcius unquam
Contigerit, quàm te coram, & tua ſacra mentem
Effudiſſe animam? Pro te tua Numina poſco.
Tene trahi captivum, hoſtiſque indigna furentis
Jura pati? Hebræis quondam via facta per æquor,
Auſpice te: nunc iſta tibi miracula debes,
Iſta tuæ debes miracula, Chriſte, parenti.
Vix ea divino impulſus præcordia motu
Carpit iter fluvio, ſiccuſque perambulat undas.
Sive jubente Deo concretus duruit humor
Sub pedibus, ſeu ſuſpenſum neque mole gravantem
Corporea vehit unda; ſuo ſeu numine Chriſtus
Suſtentant, tutam ſic tandem evadit ad oram
Incolumis; ſtupet adverſo de littore miles
Barbarus, & præda nequicquam frendet adempta.
O quiſquis miſeræ per tot diſcrimina vitæ
Cœleſtem ad patriam & Divum conſortia tendis;
Par tibi præſidium, quod ſpe præſumere certa
Jam licet; hanc divina tibi, niſi forte recuſas,
Hoſtia ſpondet opem; ſpondet mitiſſima Virgo,
Certa fides? tangunt tua te ſi commoda, toto
Pectore tu Chriſtum & Chriſti complectere matrem.

IN PUROS BEATÆ VIRGINIS CONCEPTUS.

QUæ mihi ſyderea Virgo de parte refulſit,
Os habitumque Deæ ſimilis? Tibi Cynthia cedat,
Cùm nitidos vultus per amica ſilentia noctis
Expulit, & junctis implevit cornibus orbem.
Nec tecum certet, miſeris mortalibus almam
Cùm reveit lucem, tenebris Aurora fugatis.
Proh! quantum egregio decus enitet ore puellæ!
Quantus ſpirat honos oculis & gratia fronti!
Eja age; præcipiti deſcende per aera lapſu
Humanas miſerata vices, patienſque vocari
Diva, laboranti propera ſuccurrere mundo.
At telum manus unde quatit cædemque minatur?
Fallor, an ingenti ruptæ telluris hiatu,
Alternans varios ſinuoſo corpore tortus,
Tartareis immane fremens Draco prodit ab antris?
Quin & peſtiferum patulis de naribus ignem
Exſpirat, dirumque vomit tumido ore venenum.
Nulla mora eſt, Virgo ſuper irruit, & pede forti
Sibila colla premens jaculo petit ardua, fruſtra
Eludentem ictus, ſeque in ſua membra plicantem.
Corruit acciſum dextra ſub vindice monſtrum,

Nata-

Digitized by Google

Nataleſque petit cœlo plaudente tenebras.
Salve, ò Viro, novum ſalve, ò decus addita terris!
Jam tibi promeritos orbis perſolvat honores,
Solemnique tuos recolat pietate triumphos.

VIRGO MATER.

Ergo te noſtri miſeret Deus? ergo gementis
Naturæ patiens tandem exaudire querelas,
Tartarei crudele paras abolere tyranni
Imperium, & triſtes orbis ſarcire ruinas?
Quin & ſyderea Gabriel delapſus ab arce
Optatæ portat felicia nuncia pacis,
Nazareaſque petit pennis famulantibus oras.
Agreſtem, mora nulla, caſam parvoſque penates
Ingreditur; tanto domus hoſpite clara refulſit.
Regia progenies Virgo hìc latet; & ſacra vatum
Ancipiti recolens oracula, mente volutat,
Quem canerent olim venturum in luminis auras,
Qui mortale genus nigris è faucibus orci
Erueret, clauſumque diu reſeraret olympum.
Quanquam ſollicito mitte hanc de pectore curam,
Virgo beata nimis; tanti te providus auctor
Adjutricem operis Deus eligit: ipſa Tonanti
Sufficies ſacrum proprio de ſanguine corpus;
Atque illibato cum virginitatis honore,
Divinæ junges decus immortale parentis.
Tu tantùm monitis celeſtibus annue, & ultro
Juſſa faceſſe Dei; viden' ut divinus ab alto
Labitur? & ſacro te ſponſam lumine complens
Spiritus, innocuos, quibus uritûr, ingerit ignes.

MARIA PUERUM JESUM IN TEMPLO SISTIT.

Nam quis ſacra Puer venit in penetralia Templi,
Quem teneris ſtudioſa parens complectitur ulnis?
Quantus honos matri, fronti proh! quanta pudicæ
Gratia! formoſo pueri quàm dulce renidet
Ore decus! Nihil ille ſapit mortale; venuſtas
Tanta, nec humanos decoravit gloria vultus.
Ah! video! Deus, ille Deus; ſua nobilis hoſpes
Templa ſubit; longo tandem poſt tempore terris
Expectatus adeſt vaſti moderator olympi,
Et; duræ devota neci jam victima, ſe ſe
Sponte offert, noſtræque parat miſereſcere gentis,
Rumpe moras, Simon, tot jam labentibus annis
In lætos ſervate dies; cape munera felix,
Siſtitur optatus dudum puer; excipe in ulnas

Dulce onus amplexu refovens; mille oſcula blandis
Fige labris, fruere aſpectu, venerare tuendo,
Et morere: ingratos namquid producere ſoles
Ulteriùs, duræque velis incommoda vitæ?
An quidquam tibi dulce ſuper, caligine pulſa,
Luminibus lux quando tuis divina refulſit?
At priùs æthereas ſuperet quàm ſpiritus arces,
Quæ tibi de puero ſurgit ſententia menti?
Fare, age. Quanquam avidas quæ vox mihi perſonat aures?
Ah! preme fatalis præſaga oracula lethi,
Exploraſſe piget, damnoſaque vota retracto.
  Nempe ais, alme ſenex, olim fatalia creſcet
In portenta puer! multis dabit ille ſalutem,
Exitium & multis pariter feret! Ah! mihi, quem tu
Per vitam impendis, Puer ò divine, laborem,
Ne mihi ſuprema fuerit labor irritus hora!

MARIA HUMANI GENERIS MATER.

O Solyma ante alias, urbs ò dilecta Tonanti
  Oſtia pande tua, & meliores indue cultus!
Quantus honos! Deus ecce ſui penetralia Templi
Ingreditur, ſacroſque parat luſtrare receſſus!
Et tu, ſi qua pios pertentant gaudia manes,
Lætare ò Salomon; quod votis ſæpe petiſti,
Regifico luxu dum mœnia ſancta Sionis
Extrueres, doniſque onerares grandibus aras;
Tempus adeſt, oculos jam dulci paſce triumpho.
  Nec te feſtivæ ſpectat pars nulla diei.
O Simeon; ætas nil te longæva moretur:
Accelera; puer ecce tuis divinus in ulnis
Geſtandus datur ante obitum! fige oſcula blandis
Mille labris, vocemque volens atque ora reſolve.
Quanquam! parce pias offendere Virginis aures:
Nam puerum quæ fata manent! quos ille parenti
Morte ſua luctus pariet! Dum ſedula mater
Pignus dulce tuum ſactis altaribus offers,
Debita, ſi neſcis, toti ſit victima mundo;
Et perimit natum mater, natuſque parentem.
At non iſta movent generoſam oracula matrem,
Hoc hominum mater pretio ſi poſſit haberi.

VIRGO MATER PUERUM JESUM REQUIRENS.

QUò ſequar infelix? aut quò te, Nate, requiram?
  Nequicquam impatiens cunctos ego luſtro receſſus,
Et loca ſollicitis interrogo cuncta querelis;
Reſpondet nemo, ſolatur nemo dolentem.

Sol

Sol tamen occiduis jam ter ſurrexit ab undis,
Dum gemit heu! dum te mater ſuſpirat ademptum.
Dicite vos, quos fidus amor, quos ſanguis amico
Unanimes nobis ſociavit fœdere, natus
Noſter ubi eſt? Vidiſtis enim, dum ſacra Sionis
Limina nobiſcum ſtudio certante ſubiret.

Nam cur non aderam nato comes? aut ego cur te
Incuſtoditum mater ſum paſſa reverti?
Culpa mea eſt, merui quem nunc fero cumque dolorem.
Alme Deus, tu qui rebus ſolamen in arctis
Unus ferre potes, Natum mihi redde precanti.
Hæc ait; & nati ſtudio ſuccenſa, Sionis
Mœnia præcipiti rurſum petit anxia curſu.

Ecce autem tacitæ per amica ſilentia noctis,
Amiſſæ ſobolis dum mater imagine plena,
Vix ægram recipit per languida membra quietem,
Auguſtas Solymæ ſe tolli ſenſit in arces.
Hic ubi ſtans patres inter legiſque magiſtros,
Non audita priùs miranti oracula turbæ
Divino canit ore puer. Cœleſtia rumpunt
Viſa leves ſomnos; nulla eſt mora: ſedula greſſum
Accelerat, templique ſubit penetralia Virgo.
Et lacrymans, verbis ſic natum objurgat amicis.
Nam quid agis? vel quid miſeros, ò Nate, parentes
Sollicitare placet? neſcis, dulciſſime, neſcis,
Hæc tua quos peperit nobis abſentia luctus?

Cui natus: nam cur fruſtra me quæritis? aut quæ
Sollicitat vos cura mei, dum juſta repoſcit
Patris honos, dum me cœleſtia juſſa morantur?
Hæc tantùm effatus ſiluit: temploque relicto,
Sponte ſua docilis ſequitur veſtigia matris.

ANIMA REVERTENS AD DEUM

In Filio Prodigo adumbrata.

NOn ergo fatis exhauſtum eſt huc uſque malorum,
Summe Deus? Quibus heu! fatis me deinde reſervas?
Ecquis enim in terris, ad finem ſolis ab ortu,
Quæ patior, tolerare queat? Me turpis egeſtas,
Fœda voluptatis comes obruit: ecce medullis
Inſinuans, cunctoſque fames incenſa per artus
Bacchatur! corpus languor tenet; optima venis
Jam fugit, vix demum animæ pars ultima reſtat.

Quid feci infelix? quò deſidis otia vitæ?
Quò rapuit cæcus furor, & damnoſa libido?
Deſerui te, chare pater, tua limina demens,
Et liqui antiquos, ſoboles ingrata, penates!

Hinc mihi pernicies, caput hinc & origo malorum!
Me miſerum! quæ cauſa tuis diſcedere tectis
Impulit, atque alios longè mihi quærere amores?
An mihi durus eras? an me aſpernatus amantem eſt
Nil queror imprudens: tua me indulgentia fontem
Fecit, & infandum ſuaſit committere crimen.
Sed quid agam? rurſum-ne lares tentare relictos
Aggrediar, coramque meo me ſiſtere patri?
Non ea vis miſero, non eſt fiducia menti
Tanta ſuper. Nam quo profugum oblitumque pudoris
Excipiet vultu? patrios ſi cernere vultus
Det tamen, & non me vel reſpexiſſe negabit.
Fallor; adhuc pater eſt, diſcet miſereſcere nati,
Et noſtri forſan gemitus pia corda movebunt.
At quibus iratum verbis placare parentem?
Vincere quà juſtos liceat ratione furores?
Ibo, ibo: lacrymis oculos conſperſus & ora,
Altaque ſincero confixus corda dolore,
Procubam patris ante pedes, genibuſque volutans
Suppliciter, triſti veniam ſic voce precabor.
En adſum infelix ſoboles; tua maxima quondam
Cura, pater. (Nomen quanquam uſurpare parentis
Dulce piget, neque me tanto jam dignor honore).
Scilicet ah! diræ fontem mens conſcia culpæ
Arguit, & ſtimulis nimiùm crudelibus urget.
Peccavi, ſprevique tuos ingratus amores.
Unum oro; te ſi qua mei miſeratio tangit;
Excipe me: fas ſit caſtos habitare penates.
Non ego jam indocilis, ſed voci aſſuetus herili;
Quò me cumque trahent, ultro mandata capeſſam.

FILIUS VIDUÆ NAIM AD VITAM A CHRISTO REVOCATUS.

ABſtulerat juvenem mors immatura, cadaver
Ad tumulum focii, mæſtiſſima turba, ferebant.
Interea matrem haud potis eſt vis ulla tenere,
Sed ruit in medios, triſtique affixa feretro
Hæret inexpleтum, & nati miſerabile corpus
Irrorans lacrymis, latè loca queſtibus implet.
Dum gemit, & raptos fruſtra ſuſpirat amores;
Ecce tibi ſubeuntem inter longo ordine turbam,
Improviſus adeſt Chriſtus; quem ſedula mater
Ut procul aſpexit, jam tum dediſcere luctus
Viſa, nec afflictis ultra diffidere rebus.
Ergo moræ impatiens, quò ſpes non vana ſalutis,
Et, quò raptat amor, præceps volat, atque verendos
Chriſti amplexa pedes, & magnæ conſcia famæ,
O vitæ mortiſque potens qui diceris, inquit,

Arbi-

Arbiter, orbatæ patiens miſereſce parentis;
Et mihi vel natum vitæ ſolatia redde,
Vel patere in tumulo mater condatur eodem.
Vix ea: feralem Chriſtus conſiſtere pompam
Imperat, & ſe ſe fert obvius ipſe feretro.
Tum, quâ voce fugat ventos, atque æquora placat,
Vive, ait, ô miſerande puer; morâ nulla per artus
Vitalis remeat calor, hoſpitiumque reviſit
Mens revocata ſuum; cuncti ſtupuere videntes,
Et Chriſtum cœlo clamant terriſque potentem.

PETRUS POENITENS.

SIſte gradus, tua te miſerum fiducia perdet,
Exitii cauſa una tui; fuge limen iniquum;
Ah! fuge ſacrilegas, imprudens Patre, cohortes!
Quis furor eſt? Nam cur per aperta pericula te, te
Præcipitas? vel cur ultro tua fata laceſſis?
Dum loquor, ecce procax ut vidit fœmina Petrum,
Et te, inquit, pariter, Chriſto quæ certa paratur,
Pœna manet, comitem memini te ſæpe videre
Ante alios, captoque aderas, Galilæe, magiſtro,
Petrus ad hæc pavido ſimilis, ſimiliſque trementi,
Nam quid ais? cui me comitem, rerum inſcia, narras?
Non mihi notus homo eſt; juranti teſtis adeſto,
Et falſi vindex & veri conſcius æther.
Sic tibi pulſa fides? Domini ſic, Petre, receſſit
Cura tui? ſed non pariter de pectore Chriſti
Petri pulſus amor. Sacros en aſpice vultus,
Luminaque admiſſum tacitè incuſantia crimen.
Continuò Chriſti ex oculis, ſeu tela, micantes
Vibrantur radii, pervadunt intima Petri
Pectora, perjuroque ferunt pia vulnera cordi.
Hic Petrus ſtimulos divini ſenſit amoris:
Hac ruptis veluti objicibus magno impete torrens
Fertur in abruptum, & ſubjectos irrigat agros:
Haud aliter, Petri ex oculis duo flumina, Chriſto
Reſpiciente, cadunt lacrymarum, & fonte perenni
Contractas purgant admiſſo ex crimine ſordes.

IN HERODEM INFANTICIDAM.

HEi mihi! quis luctus miſerabilis æthera complet?
Fœmineo latè reſonant loca cuncta tumultu,
Nec datur infando finiſve modusve dolori.
Sollicitæ huc illuc incertis paſſibus errant
Crinibus effuſis & tunſæ pectora matres,
Avulſoſque ſinu, primo ſub limine vitæ,

Flebiliter repetunt thalami pia pignora natos?
Innocuus plenis ſanguis fluit undique rivis.
Interea, & paſſim ſitientes irrigat agros.
 Haud aliter tenero lupus inſidiatus ovili,
Ut faciles patuere aditus, cuſtode remoto,
Irrumpit, molleſque agnorum ſævit in artus.
Parte alia matres longis balatibus auras
Incendunt, raptoſque gemunt ex ubere fœtus.
 At tu funeſti, Rex impie, cauſa doloris,
Quid furis? & Chriſto funus meditaris acerbum?
Namque tuus proprio quamvis in ſanguine natus
Innatet; ecce tamen, quem per tot vulnera demens
Inſequeris, diro ſe ſubtrahet ille furori.
 Vos quibus ante diem pro Chriſto fundere vitam
Contigit, & Domini cunas cinxiſſe cruore;
Ite animis læti; nil vos cecidiſſe pigebit.
Namque brevem uſuram lucis, mortiſque labores
Sarciet alta quies, immortaliſque triumphus.

MAGDALENA, *ſeu* AMOR FUNERI SUPERSTES.

Flebat inexpletum, raptoſque dolebat amores
Magdala, & obſcuræ per amica ſilentia noctis.
Dum placida ſomnus recreat dulcedine mentes,
Ipſa Domo inſomnis mœret; requieſcere amantem
Non patitur, nullumque admittit cura levamen.
At dum interruptos variis ſingultibus imo
Corde trahit gemitus; dum nomen amabile Chriſti
Ingeminans querulos tentat mollire dolores;
En medias inter tenebras lux alma refulget,
Inſolitoque pios implet ſplendore penates.
 Tum divinus Amor ſe ſe per aperta videndum
Obtulit, & dubiam ſuſpendit imagine mentem.
Olli veſtis erat nive purior; æmula claris
Lumina ſyderibus fulgent, ſedet inclyta fronte
Majeſtas, caſtos ornat reverentia vultus.
Talis erat, cum te vetitas ſub pectore flammas,
Magdala, paſcentem tædis melioribus uſſit.
Talis erat, niſi fortè humeris de more pharetram,
Nec manibus tædas, arcum, nec tela ferebat.
Nam quid proficiant in amantem tela, vel arcus?
Tum ſic alloquitur, curaſque his demere tentat.
 Sat lacrymis luctuque datum eſt; quid Magdala ploras?
Quid gemis extinctum, tumuli qui carcere rupto,
Vi propria ſuperas venit redivivus in auras,
Inſignemque tulit victa de morte triumphum?
Hæc promiſſa fides, cùm viveret: & ſacra quondam
Panderet in populos patrii miracula cœli.

Sic

Sic ait & ſuperas revolat feſtinus in arces.
  Hic verò vana ſe credit imagine ludi,
Spemque metumque inter dubiis affectibus hæret
Magdala, nec cordis potis eſt ſedare tumultus.
Quin etiam tumuli latebras loca plena timoris
Explorare juvat; juvat & ſpirantis amomi,
Et nardi fragrantis opes deferre, verendos
Unde artus ungat, viduum & ſoletur amorem.
I, propera, tumuli vacuos ſcrutare receſſus,
Vitæ fida comes, teſtis fidiſſima mortis,
Tu debes mundo redivivi nuncia Chriſti.

SAULUS AD MELIOREM VITÆ FRUGEM CONVERSUS.

POſtquam Divus Amor terras miſeratus ab alto
  Æthereos ignes puroque è ſemine flammas
Intulit, & certis domuit fera corda ſagittis,
Victrices cœlo tædas referebat & arcum,
Telaque condebat ſtygio metuenda latroni.
  Ecce autem freni impatiens jactanſque feroci
Ore minas, Saulus campo exultabat aperto,
Impiaque æratas acies in bella trahebat.
Vidit Amor, gemituque pium prodente dolorem,
Ergo, ait, ille meis ſemper contraria ſignis
Signa ferat, certetque ultra pugnare rebellis?
Experiar, ſi fortè novos eluſerit ictus.
  Dixerat; & validis contendens viribus arcum,
Ultricem miſit nervo ſtridente ſagittam.
Illa volat, cordique hæret fatalis arundo.
Nulla mora eſt; revolutus equo ferit impete terram,
Saulus, & attollens pavidum caput, altaque cœlo
Lumina, quæſivit lucem doluitque negatam.
  Tum victo inſultans victor Deus adjicit hoſti:
Agnoſce imperium, melioraque caſtra ſecutus
Diſce triumphatas mea ſub juga mittere gentes.

IN OMNES SANCTOS.

NUper ego vitæ ærumnas & tædia longa
  Terrarum exoſus, ſenſi ſub pectore flammam
Intus ali; &, ſacro mihi dum vorat igne medullas,
Inſinuare novum patriæ cœleſtis amorem.
Hei mihi! dicebam; quando, Deus alme, petenti
Lux aderit, lux ante alias formoſior omnes,
Cùm vinclis liber, nec iniqua mole gravatus
Corporis, æthereas ſe ſpiritus inferat arces,
Et placidam ducat longa inter gaudia vitam!
Felix interea, celeres ſi commodet alas

Ali-

Aligerum de gente aliquis! felicior, ultro
Si geminæ proprio ſurgant de corpore pennæ!
Tunc ego præcipiti longum per inane volatu
Trajiciam nubes, donec novus ales olympo
Deferar, & patrio poſſim requieſcere cœlo.
Non aliter, quàm cùm ſteriles impaſta per agros
Ingratiſque columba locis pertæſa vagari,
Continuò rapidis vacuum ſecat æra pennis,
Natalem donec liceat contingere nidum.
Hic mihi dum dubiam paſcit ſpes credula mentem,
Inſuetaque hebetes recreat dulcedine ſenſus;
Nulla mora eſt, liquidas videor mihi raptus in auras,
Et procul ex alto terras ſpectare jacentes.
Seu fors deſtituit mortales ſpiritus artus,
Præcipiente Deo, ſoliti ſeu ponderis expers,
More animæ, corpus mediis ſe ſe intulit aſtris.
Sit fas viſa loqui, Superi: ſit numine veſtro
Cœleſtis Solymæ miracula pandere terris.
Quid loquor? ah! neſcit res tantas dicere lingua
Mortalis. Vos, ò potiùs, fauſtiſſima turba,
Cœlicolæ, ſacros quibus eſt habitare receſſus
Pro merita virtute datum, memorare poteſtis;
Noſtis enim, vaſti moderator & arbiter orbis
Omnipotens, ſanctis quid amantibus ipſe pararit,
Namque mihi cunctis mundi de partibus ingens
Objecit ſe ſe numerus; quàm multa volucrum
Millia ſe ſylvis pluviali tempore condunt;
Aut pelago in magno multæ ſternuntur arenæ.
Stabant ante alios ſacri qui ſemina verbi
Auribus attonitis totum ſparſere per orbem.
Nec procul hinc puro qui relligionis amore
Projecere animas; queis duræ occumbere morti
Contigit, & proprium Chriſto fudiſſe cruorem.
Illinc & teneræ qui primo in flore juventæ
Per tacitos ſaltus & caligantia nigris
Ilicibus deſerta, uni ſervire Tonanti
Cura fuit, mundique inſanos ſpernere faſtus.
Parte alia intactum qui ſervavere pudorem.
Omnes formoſi, niveis in veſtibus omnes
Divinum læto referebant pectore carmen.
Ipſe etiam ſacræ volui me adjungere turbæ,
Et cœleſte melos cantu miſcere profano.
Aſt tentantem aditus me limine longiùs arcet
Aliger, & dictis pavitantem objurgat amicis.
Nam quid agis? Sanctos fas nulli intrare receſſus;
Ni quos aſſiduo virtus ſpectata labore
Extulit, & meritos ſuperas tranſcripſit in arces.
Aſpice, quas cuncti, monimentum inſigne triumphi,

Præ-

Prætendunt palmas; cœlum hac mercede paratur;
Dixit, & extemplo mihi redditus, heu! bona quanto
Gaudia nequicquam gemui præcepta dolore.

SANCTUS IGNATIUS GLACIALIBUS IN AQUIS EXÆSTUANS.

NE mihi, ne Cyprius jactet ſua tela Cupido
Impuraſque faces, hominum quibus urere corda
Novit, & occulto molles vorat igne medullas.
Certa magis fert arma manu; melioribus urit
Divus Amor flammis, quas non reſtinguat inundans
Oceanus, cunctiſve premant cum fontibus amnes.
Tu mihi teſtis eris: narra quibus ignibus olim
Arſeris, Ignati, mediis immerſus in undis.
Ibat, quò miſerum in præceps rapiebat amantem
Cæcus amor, victrixque animi imperioſa libido,
Infelix juvenis. Monitis cœleſtibus actus
Senſit, & impuros damnans Ignatius ignes,
Hybernis ſe ſe collo tenus abdidit undis.
Et Juvenem ut ſtagno properantem vidit ab alto,
Quò ruis, ah! dixit; quò te rapit improbus ardor
Præcipitem? I demens Paphiis data victima flammis,
Quando prava ſedet menti ſententia, & ultro
Deſpicis ultrices offenſi Numinis iras.
At mihi, ſacrilegos maleſani pectoris æſtus
Ni reprimis, monitiſque ſalubribus adjicis aures,
Hic perſtare placet: felix! ſi frigore in iſto
Reſtinxiſſe queam vetitos, quibus ureris, ignes,
Obſtupuit dicto Juvenis, greſſumque reflectens
Obſcœnas ſenſit reſtingui in pectore flammas,
Succendique novos fatis melioribus ignes.

SANCTUS XAVERIUS PROFECTIONEM AD INDOS MEDITANS.

STratus humi ſeram dederat per membra quietem
Xaverius; magnis etenim mens excita curis
Immenſos vigili verſabat corde labores.
Quippe animus jam dudum Indos penetrare receſſus
Ardebat, merſaſque alta caligine gentes
Lucis inexpletæ radiis recreare benignis,
Cùm ſubito viſa ante oculos adſtare jacentis
Ignoti nova forma viri: circumdata plumis
Tempora, & Eoo Phœbi nigrantis ab æſtu
Decolor, horribilem facie viſuque tremendum
Spectanti dedit, & media inter ſomnia turbat.
Indus erat, qualem educit Gangetica tellus,

Qua-

Qualem Java ferox, aut nobilis ora Travancor.
  Protinus inſiliens humeris ſedet arduus, atque
Xaverium premit incumbens, & mole ſua ſtat.
Nequicquam importunum onus excuſſiſſe laborat;
Ingemit! effuſis ſudor fluit undique rivis.
Mox cœlum aſpiciens revocanſque in priſtina vires,
O Deus! exclamat, non me labor iſte gravabit;
Ipſe ſubibo humeris. Tum dicere plura parantem
Xaverium pariter ſomnuſque Induſque reliquit.

SANCTUS FRANCISCUS XAVERIUS

Profectionem in Mauricam Inſulam meditans.

Quò, Franciſce, fugis? vel quæ fiducia menti,
  Crudeles terras, crudelia viſere regna,
Nec dubiis venalem animam objectare periclis?
Scilicet extemplo cultus oblita ferinos,
Aſpectuque tuo docilis manſueſcere diſcet
Maurica gens? eheu! quid atenæ ſemina mandas?
Quid juvat ingratum proſcindere litus aratro?
Tu priùs immites iras placare leonum,
Tigribus aut poſſis humanos indere ſenſus.
  Talem Xaverio populi nectebat amici
Turba moram, denſas animi quibus ille tenebras
Depulerat, quos & ſacris luſtraverat undis.
Interea audiri gemitus voceſque precantum,
Et miſeris latè incendi loca cuncta querelis.
Pars affuſa viri pedibus lacrymanſque gemenſque
Nectit amica moras; pars hæret pendula collo,
Pars ſtudio ſuccenſa pari, circum ordine longo
Agglomerat, denſatque globos, pars litora complet,
Et procul à ratibus, pelago dare vela parantem
Xaverium prohibet. Nullis tamen ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit,
Sed contra humentes vultus in imagine Chriſti
Defigens; an me facies, ait, ulla pericli
Barbaricis, Deus alme, vetet conſiſtere terris?
Scilicet una tuo ſe ſanguine Maurica tellus
Servatam ignoret, cœlique in regna vocatam?
  Ibo, ibo; quid me fruſtra tentatis, amici?
Quid retinere placet? non eſt mora libera nobis.
Nil freta, nil mortem vereor. Si cymba negatur,
Unda viam calcata dabit; nec plura locutus,
Inſilit in navem. Fit clamor, & anchora portu
Solvitur. Illi oculis abeuntem animiſque ſequuntur.

BEATUS FRANCISCUS XAVERIUS

Ipſos inter ſomnos cupidinis Victor.

ASſidua feſſuſque gravi ſub mole laborum
Xaverius levibus permittere lumina ſomnis
Cœperat, & nuda projectum corpus arena
Parca quies, curæ ſinerent, mulcere parabat.
Ecce autem imprudens Cyprius puer ante jacentem
Adſtitit, & fœda turbavit imagine mentem.
Scilicet obſcœnas caſto ſub pectore viſus
Admoviſſe faces, & telis fretus & arcu
Lethalem attento rimari lumine plagam.
Hic verò meliore calens præcordia flamma,
Xaverius rapidas extemplo concipit iras;
Et medios inter ſomnos licet, ire procacem
In puerum aſſurgens, tædaſque arcumque ſagittaſque
Eripere, atque humilem deciſis ſternere pennis.
Aſt acres utrinque animi, fera pugna, nec ipſi
Victori facili pretio victoria ceſſit.
Namque per ardentes oculos, perque ora, per aures
It cruor, & largo conſpergit flumine vultus.
Hinc poſtquam ingenti ceſſit diſcrimine victor;
Triſtiaque ingratam pepulerunt monſtra quietem;
O utinam, exclamat, quidquid mihi ſanguinis artus
Irrigat, alme pudor, pro te fudiſſe liceret.

BEATUS FRANCISCUS XAVERIUS TEMPESTATEM SEDAT

Injecta in fluctus Chriſti è cruce pendentis imagine, quam Cancer poſtmodum ſalvam retulit.

LEnè ferebatur tranquilla per æquora Ponti
Xaverius, portuſque altos intrare parabat.
Cùm ſubitò denſis nox incidit atra tenebris,
Terrificuſque ſonat cœlo fragor! unda dehiſcens
Terram aperit bacchante Noto; modò ſydera lambit,
Exitium mox præcipitans fatale minatur.
Ceſſas interea, ceſſas in vota preceſque,
O Franciſce! nihil te triſtia fata tuorum,
Nil funeſta movet lethi præſentis imago?
Sed quid ego? Orantem ſurda Deus aure repellit:
Ut vanas abiiſſe preces, nullamque ſalutis
Spem ſenſit ſupereſſe; ſinu quam ferre ſolebat
Xaverius, Chriſti trunco pendentis ab alto
Sacratam trahit effigiem: tum fletibus ora
Irrigat, atque extrema cruci ſimul oſcula figens,

Tales

Dulce onus amplexu refovens; mille oſcula blandis
Fige labris, ſtuere aſpectu, venerare tuendo,
Et morere: ingratos namquid producere ſoles
Ulteriùs, duræque velis incommoda vitæ?
An quidquam tibi dulce ſuper, caligine pulſa,
Luminibus lux quando tuis divina refulſit?
At priùs æthereas ſuperet quàm ſpiritus arces,
Quæ tibi de puero ſurgit ſententia menti?
Fare, age. Quanquam avidas quæ vox mihi perſonat aures?
Ah! preme fatalis præſaga oracula lethi,
Exploraſſe piget, damnoſaque vota retracto.
  Nempe ais, alme ſenex, olim fatalia creſcet
In portenta puer! multis dabit ille ſalutem,
Exitium & multis pariter feret! Ah! mihi, quem tu
Per vitam impendis, Puer ò divine, laborem,
Ne mihi ſuprema fuerit labor irritus hora!

MARIA HUMANI GENERIS MATER.

O Solyma ante alias, urbs ò dilecta Tonanti
Oſtia pande tua, & meliores indue cultus!
Quantus honos! Deus ecce ſui penetralia Templi
Ingreditur, ſacroſque parat luſtrare receſſus!
Et tu, ſi qua pios pertentant gaudia manes,
Lætare ò Salomon; quod votis ſæpe petiſti,
Regifico luxu dum mœnia ſancta Sionis
Extrueres, doniſque onerares grandibus aras;
Tempus adeſt, oculos jam dulci paſce triumpho.
  Nec te feſtivæ ſpectat pars nulla diei,
O Simeon; ætas nil te longæva moretur:
Accelera; puer ecce tuis divinus in ulnis
Geſtandus datur ante obitum! fige oſcula blandis
Mille labris, vocemque volens atque ora reſolve.
Quanquam! parce pias offendere Virginis aures:
Nam puerum quæ fata manent! quos ille parenti
Morte ſua luctus pariet! Dum ſedula mater
Pignus dulce tuum ſacris altaribus offert,
Debita, ſi neſcis, toti ſit victima mundo;
Et perimit natum mater, natuſque parentem.
At non iſta movent generoſam oracula matrem,
Hoc hominum mater pretio ſi poſſit haberi.

VIRGO MATER PUERUM JESUM REQUIRENS.

QUò ſequar infelix? aut quò te, Nate, requiram?
Nequicquam impatiens cunctos ego luſtro receſſus,
Et loca ſollicitis interrogo cuncta querelis;
Reſpondet nemo, ſolatur nemo dolentem.

Sol-

Sol tamen occiduis jam ter ſurrexit ab undis,
Dum gemit heu! dum te mater ſuſpirat ademptum.
Dicite vos, quos fidus amor, quos ſanguis amico
Unanimes nobis ſociavit fœdere, natus
Noſter ubi eſt? Vidiſtis enim, dum ſacra Sionis
Limina nobiſcum ſtudio certante ſubiret.
Nam cur non aderam nato comes? aut ego cur te
Incuſtoditum mater ſum paſſa reverti?
Culpa mea eſt, merui quem nunc fero cumque dolorem.
Alme Deus, tu qui rebus ſolamen in arctis
Unus ferre potes, Natum mihi redde precanti.
Hæc ait; & nati ſtudio ſuccenſa, Sionis
Mœnia præcipiti rurſum petit anxia curſu.
Ecce autem tacitæ per antica ſilentia noctis,
Amiſſæ ſobolis dum mater imagine plena,
Vix ægram recipit per languida membra quietem,
Auguſtas Solymæ ſe tolli ſenſit in arces.
Hìc ubi ſtans patres inter legiſque magiſtros,
Non audita priùs miranti oracula turbæ
Divino canit ore puer. Cœleſtia rumpunt
Viſa leves ſomnos; nulla eſt mora: ſedula greſſum
Accelerat, templique ſubit penetralia Virgo.
Et lacrymans, verbis ſic natum objurgat amicis.
Nam quid agis? vel quid miſeros, ò Nate, parentes
Sollicitare placet? neſcis, dulciſſime, neſcis,
Hæc tua quos peperit nobis abſentia luctus?
Cui natus: nam cur fruſtra me queritis? aut quæ
Sollicitat vos cura mei, dum juſta repoſcit
Patris honos, dum me cœleſtia juſſa morantur?
Hæc tantùm effatus ſiluit: temploque relicto,
Sponte ſua docilis ſequitur veſtigia matris.

ANIMA REVERTENS AD DEUM

In Filio Prodigo adumbrata.

NOn ergo ſatis exhauſtum eſt huc uſque malorum,
Summe Deus? Quibus heu! fatis me deinde reſervas?
Ecquis enim in terris, ad finem ſolis ab ortu,
Quæ patior, tolerare queat? Me turpis egeſtas,
Fœda voluptatis comes obruit: ecce medullis
Inſinuans, cunctoſque fames incenſa per artus
Bacchatur! corpus languor tenet; optima venis
Jam fugit, vix demum animæ pars ultima reſtat.
Quid feci infelix? quò deſidis otia vitæ?
Quò rapuit cæcus furor, & damnoſa libido?
Deſerui te, chare pater, tua limina demens,
Et liqui antiquos, ſoboles ingrata, penates!

Hinc mihi pernicies, caput hinc & origo malorum!
Me miſerum! quæ cauſa tuis diſcedere tectis
Impulit, atque alios longè mihi quærere amores?
An mihi durus eras? an me aſpernatus amantem es?
Nil queror imprudens: tua me indulgentia fontem
Fecit, & infandum ſuaſit committere crimen.
Sed quid agam? rurſum-ne lares tentare relictos?
Aggrediar, coramque meo me ſiſtere patri?
Non ea vis miſero, non eſt fiducia menti
Tanta ſuper. Nam quo profugum oblitumque pudoris
Excipiet vultu? patrios ſi cernere vultus
Det tamen, & non me vel reſpexiſſe negabit.
Fallor; adhuc pater eſt, diſcet miſereſcere nati,
Et noſtri forſan gemitus pia corda movebunt.
At quibus iratum verbis placare parentem?
Vincere quà juſtos liceat ratione furores?
Ibo, ibo: lacrymis oculos conſperſus & ora,
Altaque ſincero confixus corda dolore,
Procubam patris ante pedes, genibuſque volutans
Suppliciter, triſti veniam ſic voce precabor.
En adſum infelix ſoboles; tua maxima quondam
Cura, pater. (Nomen quanquam uſurpare parentis
Dulce piget, neque me tanto jam dignor honore).
Scilicet ah! diræ fontem mens conſcia culpæ
Arguit, & ſtimulis nimiùm crudelibus urget.
Peccavi, ſprevique tuos ingratus amores.
Unum oro; te ſi qua mei miſeratio tangit;
Excipe me: fas ſit caſtos habitare penates,
Non ego jam indocilis, ſed voci aſſuetus herili;
Quò me cumque trahent, ultro mandata capeſſam.

FILIUS VIDUÆ NAIM AD VITAM A CHRISTO REVOCATUS.

Abſtulerat juvenem mors immatura, cadaver
Ad tumulum ſocii, mæſtiſſima turba, ferebant.
Interea matrem haud potis eſt vis ulla tenere,
Sed ruit in medios, triſtique affixa feretro
Hæret inexpletum, & nati miſerabile corpus
Irrorans lacrymis, latè loca queſtibus implet.
Dum gemit, & raptos fruſtra ſuſpirat amores;
Ecce tibi ſubeuntem inter longo ordine turbam,
Improviſus adeſt Chriſtus; quem ſedula mater
Ut procul aſpexit, jam tum dediſcere luctus
Viſa, nec afflictis ultra diffidere rebus.
Ergo moræ impatiens, quò ſpes non vana ſalutis,
Et, quò raptat amor, præceps volat, atque verendos
Chriſti amplexa pedes, & magnæ conſcia famæ
O vitæ mortiſque potens qui diceris, inquit,

Arbi-

Arbiter, orbatæ patiens miſereſce parentis;
Et mihi vel natum vitæ ſolatia redde,
Vel patere in tumulo mater condatur eodem.
Vix ea: feralem Chriſtus conſiſtere pompam
Imperat, & ſe ſe fert obvius ipſe feretro.
Tum, quà voce fugat ventos, atque æquora placat,
Vive, ait, ò miſerande puer; mora nulla per artus
Vitalis remeat calor, hoſpitiumque reviſit
Mens revocata ſuum; cuncti ſtupuere videntes,
Et Chriſtum cœlo clamant terriſque potentem.

PETRUS POENITENS.

SIſte gradus, tua te miſerum fiducia perdet,
Exitii cauſa una tui; fuge limen iniquum;
Ah! fuge ſacrilegas, imprudens Petre, cohortes!
Quis furor eſt? Nam cur per aperta pericula te, te
Præcipitas? vel cur ultro tua fata laceſſis?
Dum loquor, ecce procax ut vidit fœmina Petrum,
Et te, inquit, pariter, Chriſto quæ certa paratur,
Pœna manet, comitem memini te ſæpe videre
Ante alios, captoque aderas, Galilæe, magiſtro.
Petrus ad hæc pavido ſimilis, ſimiliſque trementi,
Nam quid ais? cui me comitem, rerum inſcia, narras?
Non mihi notus homo eſt; juranti teſtis adeſto,
Et falſi vindex & veri conſcius æther.
Sic tibi pulſa fides? Domini ſic, Petre, receſſit
Cura tui? ſed non pariter de pectore Chriſti
Petri pulſus amor. Sacros en aſpice vultus,
Luminaque admiſſum tacitè incuſantia crimen.
Continuò Chriſti ex oculis, ſeu tela, micantes
Vibrantur radii, pervadunt intima Petri
Pectora, perjuroque ferunt pia vulnera cordi.
Hic Petrus ſtimulos divini ſenſit amoris:
Hac ruptis veluti objicibus magno impete torrens
Fertur in abruptum, & ſubjectos irrigat agros:
Haud aliter, Petri ex oculis duo flumina, Chriſto
Reſpiciente, cadunt lacrymarum, & fonte perenni
Contractas purgant admiſſo ex crimine ſordes.

IN HERODEM INFANTICIDAM.

HEi mihi! quis luctus miſerabilis æthera complet?
Fœmineo latè reſonant loca cuncta tumultu,
Nec datur infando finiſve modusve dolori.
Sollicitæ huc illuc incertis paſſibus errant
Crinibus effuſis & tunſæ pectora matres,
Avulſoſque ſinu, primo ſub limine vitæ,

Flebiliter repetunt thalami pia pignora natos?
Innocuus plenis ſanguis fluit undique rivis.
Interea, & paſſim ſitientes irrigat agros.
Haud aliter tenero lupus inſidiatus ovili,
Ut faciles patuere aditus, cuſtode remoto,
Irrumpit, molleſque agnorum ſævit in artus.
Parte alia matres longis balatibus auras
Incendunt, raptoſque gemunt ex ubere fœtus.
At tu funeſti, Rex impie, cauſa doloris,
Quid furis? & Chriſto funus meditaris acerbum?
Namque tuus proprio quamvis in ſanguine natus
Innatet; ecce tamen, quem per tot vulnera demens
Inſequeris, diro ſe ſubtrahet ille furori.
Vos quibus ante diem pro Chriſto fundere vitam
Contigit, & Domini cunas tinxiſſe cruore;
Ite animis læti; nil vos cecidiſſe pigebit.
Namque brevem uſuram lucis, mortiſque labores
Sarciet alta quies, immortaliſque triumphus.

MAGDALENA, *ſeu* AMOR FUNERI SUPERSTES.

Flebat inexpletum, raptoſque dolebat amores
Magdala, & obſcuræ per amica ſilentia noctis.
Dum placida ſomnus recreat dulcedine mentes,
Ipſa Domo inſomnis mœret; requieſcere amantem
Non patitur, nullumque admittit cura levamen.
At dum interruptos variis ſingultibus imo
Corde trahit gemitus; dum nomen amabile Chriſti
Ingeminans querulos tentat mollire dolores;
En medias inter tenebras lux alma refulget,
Inſolitoque pios implet ſplendore penates.
Tum divinus Amor ſe ſe per aperta videndum
Obtulit, & dubiam ſuſpendit imagine mentem.
Olli veſtis erat nive purior; æmula claris
Lumina ſyderibus fulgent, ſedet inclyta fronte
Majeſtas, caſtos ornat reverentia vultus.
Talis erat, cum te vetitas ſub pectore flammas,
Magdala, paſcentem tædis melioribus uſſit.
Talis erat, niſi fortè humeris de more pharetram,
Nec manibus tædas, arcum, nec tela ferebat.
Nam quid proficiant in amantem tela, vel arcus?
Tum ſic alloquitur, curaſque his demere tentat.
Sat lacrymis luctuque datum eſt; quid Magdala ploras?
Quid gemis extinctum, tumuli qui carcere rupto,
Vi propria ſuperas venit redivivus in auras,
Inſignemque tulit victa de morte triumphum?
Hæc promiſſa fides, cùm viveret: & ſacra quondam
Panderet in populos patrii miracula cœli.

Sic

Sic ait & ſuperas revolat feſtinus in arces.
 Hic verò vana ſe credit imagine ludi,
Spemque metumque inter dubiis affectibus hæret
Magdala, nec cordis potis eſt ſedare tumultus.
Quin etiam tumuli latebras loca plena timoris
Explorare juvat; juvat & ſpirantis amomi,
Et nardi fragrantis opes deferre, verendos
Unde artus ungat, viduum & ſoletur amorem.
I, propera, tumuli vacuos ſcrutare receſſus,
Vitæ fida comes, teſtis fidiſſima mortis,
Tu debes mundo redivivi nuncia Chriſti.

SAULUS AD MELIOREM VITÆ FRUGEM CONVERSUS.

POſtquam Divus Amor terras miſeratus ab alto
 Æthereos ignes puroque è ſemine flammas
Intulit, & certis domuit fera corda ſagittis,
Victrices cœlo tædas referebat & arcum,
Telaque condebat ſtygio metuenda latroni.
 Ecce autem freni impatiens jactanſque feroci
Ore minas, Saulus campo exultabat aperto,
Impiaque æratas acies in bella trahebat.
Vidit Amor, gemituque pium prodente dolorem,
Ergo, ait, ille meis ſemper contraria ſignis
Signa ferat, certetque ultra pugnare rebellis?
Experiar, ſi fortè novos eluſerit ictus.
 Dixerat; & validis contendens viribus arcum,
Ultricem miſit nervo ſtridente ſagittam.
Illa volat, cordique hæret fatalis arundo.
Nulla mora eſt; revolutus equo ferit impete terram,
Saulus, & attollens pavidum caput, altaque cœlo
Lumina, quæſivit lucem doluitque negatam.
 Tum victo inſultans victor Deus adjicit hoſti:
Agnoſce imperium, melioraque caſtra ſecutus
Diſce triumphatas mea ſub juga mittere gentes.

IN OMNES SANCTOS.

NUper ego vitæ ærumnas & tædia longa
 Terrarum exoſus, ſenſi ſub pectore flammam
Intus ali; &, ſacro mihi dum vorat igne medullas,
Inſinuare novum patriæ cœleſtis amorem.
Hei mihi! dicebam; quando, Deus alme, petenti
Lux aderit, lux ante alias formoſior omnes,
Cùm vinclis liber, nec iniqua mole gravatus
Corporis, æthereas ſe ſpiritus inferat arces,
Et placidam ducat longa inter gaudia vitam!
Felix interea, celeres ſi commodet alas

Ali-

Digitized by Google

Aligerum de gente aliquis! felicior, ultro
Si geminæ proprio ſurgant de corpore pennæ!
Tunc ego præcipiti longum per inane volatu
Trajiciam nubes, donec novus ales olympo
Deferar, & patrio poſſim requieſcere cœlo.
Non aliter, quàm cùm ſteriles impaſta per agros
Ingratiſque columba locis pertæſa vagari,
Continuò rapidis vacuum ſecat æra pennis,
Natalem donec liceat contingere nidum.
Hic mihi dum dubiam paſcit ſpes credula mentem,
Inſuetaque hebetes recreat dulcedine ſenſus;
Nulla mora eſt, liquidas videor mihi raptus in auras,
Et procul ex alto terras ſpectare jacentes.
Seu fors deſtituit mortales ſpiritus artus,
Præcipiente Deo, ſoliti ſeu ponderis expers,
More animæ, corpus mediis ſe ſe intulit aſtris.
Sit fas viſa loqui, Superi: ſit numine veſtro
Cœleſtis Solymæ miracula pandere terris.
Quid loquor? ah! neſcit res tantas dicere lingua
Mortalis. Vos, ò potiùs, fauſtiſſima turba,
Cœlicolæ, ſacros quibus eſt habitare receſſus,
Pro merita virtute datum, memorare poteſtis;
Noſtis enim, vaſti moderator & arbiter orbis
Omnipotens, ſanctis quid amantibus ipſe pararit,
Namque mihi cunctis mundi de partibus ingens
Objecit ſe ſe numerus; quàm multa volucrum
Millia ſe ſylvis pluviali tempore condunt;
Aut pelago in magno multæ ſternuntur arenæ.
Stabant ante alios ſacri qui ſemina verbi
Auribus attonitis totum ſparſere per orbem.
Nec procul hinc puro qui relligionis amore
Projecere animas; queis duræ occumbere morti
Contigit, & proprium Chriſto fudiſſe cruorem.
Illinc & teneræ qui primo in flore juventæ
Per tacitos ſaltus & caligantia nigris
Ilicibus deſerta, uni ſervire Tonanti
Cura fuit, mundique inſanos ſpernere faſtus.
Parte alia intactum qui ſervavere pudorem.
Omnes formoſi, niveis in veſtibus omnes
Divinum læto referebant pectore carmen.
Ipſe etiam ſacræ volui me adjungere turbæ,
Et cœleſte melos cantu miſcere profano.
Aſt tentantem aditus me limine longiùs arcet
Aliger, & dictis pavitantem objurgat amicis.
Nam quid agis? Sanctos fas nulli intrare receſſus;
Ni quos aſſiduo virtus ſpectata labore
Extulit, & meritos ſuperas tranſcripſit in arces.
Aſpice, quas cuncti, monimentum inſigne triumphi,

Præ-

Prætendunt palmas; cœlum hac mercede paratur;
Dixit, & extemplo mihi redditus, heu! bona quanto
Gaudia nequicquam gemui præcepta dolore.

SANCTUS IGNATIUS GLACIALIBUS IN AQUIS EXÆSTUANS.

Ne mihi, ne Cyprius jactet ſua tela Cupido
Impuraſque faces, hominum quibus urere corda
Novit, & occulto molles vorat igne medullas.
Certa magis fert arma manu; melioribus urit
Divus Amor flammis, quas non reſtinguat inundans
Oceanus, cunctiſve premant cum fontibus amnes.
Tu mihi teſtis eris: narra quibus ignibus olim
Arſeris, Ignati, mediis immerſus in undis.
Ibat, quò miſerum in præceps rapiebat amantem
Cæcus amor, victrixque animi imperioſa libido,
Infelix juvenis. Monitis cœleſtibus actus
Senſit, & impuros damnans Ignatius ignes,
Hybernis ſe ſe collo tenus abdidit undis.
Et Juvenem ut ſtagno properantem vidit ab alto,
Quò ruis, ah! dixit; quò te rapit improbus ardor
Præcipitem? I demens Paphiis data victima flammis,
Quando prava ſedet menti ſententia, & ultro
Deſpicis ultrices offenſi Numinis iras.
At mihi, ſacrilegos maleſani pectoris æſtus
Ni reprimis, monitiſque ſalubribus adjicis aures,
Hic perſtare placet: felix! ſi frigore in iſto
Reſtinxiſſe queam vetitos, quibus ureris, ignes,
Obſtupuit dicto Juvenis, greſſumque reflectens
Obſcœnas ſenſit reſtingui in pectore flammas,
Succendique novos fatis melioribus ignes.

SANCTUS XAVERIUS PROFECTIONEM AD INDOS MEDITANS.

Stratus humi ſeram dederat per membra quietem
Xaverius; magnis etenim mens excita curis
Immenſos vigili verſabat corde labores.
Quippe animus jam dudum Indos penetrare receſſus
Ardebat, merſaſque alta caligine gentes
Lucis inexpletæ radiis recreare benignis,
Cùm ſubito viſa ante oculos adſtare jacentis
Ignoti nova forma viri: circumdata plumis
Tempora, & Eoo Phœbi nigrantis ab æſtu
Decolor, horribilem facie viſuque tremendum
Spectanti dedit, & media inter ſomnia turbat.
Indus erat, qualem educit Gangetica tellus,

Qua-

Qualem Java ferox, aut nobilis ora Travancor.
  Protinus inſiliens humeris ſedet arduus, atque
Xaverium premit incumbens, & mole ſua ſtat.
Nequicquam importunum onus excuſſiſſe laborat;
Ingemit! effuſis ſudor fluit undique rivis.
Mox cœlum aſpiciens revocanſque in priſtina vires,
O Deus! exclamat, non me labor iſte gravabit;
Ipſe ſubibo humeris. Tum dicere plura parantem
Xaverium pariter ſomnuſque Induſque reliquit.

SANCTUS FRANCISCUS XAVERIUS

Profectionem in Mauricam Inſulam meditans.

QUò, Franciſce, fugis? vel quæ fiducia menti,
Crudeles terras, crudelia viſere regna,
Nec dubiis venalem animam objectare periclis?
Scilicet extemplo cultus oblita ferinos,
Aſpectuque tuo docilis manſueſcere diſcet
Maurica gens? eheu! quid arenæ ſemina mandas?
Quid juvat ingratum proſcindere litus aratro?
Tu priùs immites iras placare leonum,
Tigribus aut poſſis humanos indere ſenſus.
  Talem Xaverio populi nectebat amici
Turba moram, denſas animi quibus ille tenebras
Depulerat, quos & ſacris luſtraverat undis.
Interea audiri gemitus voceſque precantum,
Et miſeris latè incendi loca cuncta querelis.
Pars affuſa viri pedibus lacrymanſque gemenſque
Nectit amica moras; pars hæret pendula collo,
Pars ſtudio ſuccenſa pari, circum ordine longo
Agglomerat, denſatque globos, pars litora complet,
Et procul à ratibus, pelago dare vela parantem
Xaverium prohibet. Nullis tamen ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit,
Sed contra humentes vultus in imagine Chriſti
Defigens; an me facies, ait, ulla pericli
Barbaricis, Deus alme, veret conſiſtere terris?
Scilicet una tuo ſe ſanguine Maurica tellus
Servatam ignoret, cœlique in regna vocatam?
  Ibo, ibo; quid me fruſtra tentatis, amici?
Quid retinere placet? non eſt mora libera nobis.
Nil freta, nil mortem vereor. Si cymba negatur,
Unda viam calcata dabit; nec plura locutus,
Inſilit in navem. Fit clamor, & anchora portu
Solvitur. Illi oculis abeuntem animiſque ſequuntur.

BEA-

BEATUS FRANCISCUS XAVERIUS

Ipſos inter ſomnos cupidinis Victor.

ASſidua feſſuſque gravi ſub mole laborum
Xaverius levibus permittere lumina ſomnis
Cœperat, & nuda projectum corpus arena
Parca quies, curæ ſinerent, mulcere parabat.
Ecce autem imprudens Cyprius puer ante jacentem
Adſtitit, & fœda turbavit imagine mentem.
Scilicet obſcœnas caſto ſub pectore viſus
Admoviſſe faces, & telis fretus & arcu
Lethalem attento rimari lumine plagam.
Hic verò meliore calens præcordia flamma,
Xaverius rapidas extemplo concipit iras;
Et medios inter ſomnos licet, ire procacem
In puerum aſſurgens, tædaſque arcumque ſagittaſque
Eripere, atque humilem deciſis ſternere pennis.
Aſt acres utrinque animi, fera pugna, nec ipſi
Victori facili pretio victoria ceſſit.
Namque per ardentes oculos, perque ora, per aures
It cruor, & largo conſpergit flumine vultus.
Hinc poſtquam ingenti ceſſit diſcrimine victor;
Triſtiaque ingratam pepulerunt monſtra quietem;
O utinam, exclamat, quidquid mihi ſanguinis artus
Irrigat, alme pudor, pro te fudiſſe liceret.

BEATUS FRANCISCUS XAVERIUS TEMPESTATEM SEDAT

Injecta in fluctus Chriſti è cruce pendentis imagine, quam Cancer poſtmodum ſalvam retulit.

LEnè ferebatur tranquilla per æquora Ponti
Xaverius, portuſque altos intrare parabat.
Cùm ſubitò denſis nox incidit atra tenebris,
Terrificuſque ſonat cœlo fragor! unda dehiſcens
Terram aperit bacchante Noto; modò ſydera lambit,
Exitium mox præcipitans fatale minatur.
Ceſſas interea, ceſſas in vota preceſque,
O Franciſce! nihil te triſtia fata tuorum,
Nil funeſta movet lethi præſentis imago?
Sed quid ego? Orantem ſurda Deus aure repellit.
Ut vanas abiiſſe preces, nullamque ſalutis
Spem ſenſit ſupereſſe; ſinu quam ferre ſolebat
Xaverius, Chriſti trunco pendentis ab alto
Sacratam trahit effigiem: tum fletibus ora
Irrigat, atque extrema cruci ſimul oſcula figens,

Tales

Tales flammato fundit de corde querelas.
O Deus! ò vaſti moderator & arbiter orbis!
Cujus ad imperium dociles Pelaguſque Notuſque,
Fortè verebuntur rapidi tua Numina fluctus,
Et tumidæ Dominum parcent violare procellæ.
Nec plura effatus medias ſacra pignora in undas
Projicit: extemplo, viſu mirabile, venti
Ecce ſilent, fugiunt nubes, pax priſtina ponto
Redditur, & cunctas replet dulcedine mentes.
Quin & prodigium magnum majora ſequuntur.
Namque ſuper placidos Cancer procedere fluctus
Cernitur, ore ferens Chriſti venerabile ſignum;
Proximaque agglomerans tardos ad litora greſſus,
Xaverio quas geſtat opes perſolvere geſtit.

IN BEATAM GENOVEFAM.

ILla, vides, Virgo ante alias dilecta Tonanti,
Lanigeras quæ paſcit oves, afflataque amico
Numine, divinis incendit cantibus auras?
Olim erit, ut ſacros, Dominam venerata per urbem
Excipiat, magnum Superis decus addita, cultus.
Olli Francigenæ feſtis ſolemnibus aras
Inſtituent, poſito venient Diademate Reges
Illuſtrem ad tumulum, variiſque ex partibus orbis
Innumeri ſtudio populi certante ferentur.
Ipſa poli Virgo reſidens in parte ſereni;
Hic ubi Cœlicolas inter placidum exiget ævum,
Admittet facili aure preces, patienſque vocari,
Aut dabit optatos terris ſitientibus imbres;
Aut premet effuſos campis undantibus Auſtros.
Sin ierit funeſta lues; & peſtifer annus
Corrupto cœli tractu lethale venenum
Traxerit in vulgus; morborum examina pellet,
Et certam cunctis revehet miſerata ſalutem.

IN EANDEM.

HUc ades ò laudis quicumque incenſus amore
Ventoſum quæris vitæ mortalis honorem,
Et famam ad ſeros ambis transferre nepotes.
Aſpicis, hæc, quæ marmoreis ſuffulta columnis
Aſſurgit moles multoque adamante coruſcat?
Pauperis hic loculus complectitur oſſa puellæ,
Jam pridem, & ſacra cineres conduntur in urna.
Attamen extremis veniunt de partibus orbis
Certatim populi; poſito Diademate Reges
Exorant veniam, circumfuſique feretro

Aut

Aut deſperatis poſcunt ſolatia rebus,
Aut dignas referunt accepto munere grates.
At non florentes duxit ſecum illa catervas
Bellatrix, domitaſque dedit ſub legibus urbes:
Aut claros retulit multa de gente triumphos.
Non illam decus ingenii, non gloria linguæ
Commendant, fragiliſque innata ſuperbia formæ.
Sed vitæ ſtudium innocuæ tranſcripſit in arces
Æthereas, virtuſque ardens evexit Olympo.
Tuque ò, Diva potens, votis Genovefa vocari
Supplicibus patiens. Viden' ut diſcordia Reges
Exagitet, dirumque acuant in viſcera ferrum?
Dic inimicitias veteres, conceptaque dudum
Deponant odia, & dextras in fœdera jungant,
Fac procul à noſtris Mars impius exulet oris,
Pulſaque præpetibus revolans Pax aurea pennis
Compenſet veteres longa ubertate ruinas.

CRUCIS TRIUMPHUS.

Seu Conſtantinus de Maxentio Victor.

IBat Romuleis Maxentius acer in armis,
Innumeras funeſta trahens in bella phalanges.
At dum blanda favet vultu fortuna ſereno,
Romaque victoris fato rapit addita merces
Præcipitem; juvat ire; & jam quò triſtia cumque
Signa ferat, metus antevolat, luctuſque pavorque,
Terrificatque animos metuendæ mortis imago.
Tuque adeo numero inferior veſtigia retro
Flectere, & adverſo turmas ſubducere Marti,
Quanquam animo major, jam, Conſtantine, parabas.
Ecce autem delapſa poli de parte ſerena
Aurea Crux trepidis viſa eſt ſe ſiſtere caſtris,
Feliceſque vibrat radios, longèque refulget.
Vidit, & inſolito turbatus pectora viſu,
Prodigium exclamat, ſocios & ſigna moventes,
Spemque metumque inter, Cæſar conſiſtere juſſit.
Cùm ſubito attonitas vox reddita fertur ad aures,
Macte animis, ſignum hoc victoria certa ſequetur.
Tum verò exultans Cæſar, plenuſque recenti
Robore, ſic ſocios verbis compellat amicis.
Eja agite; hoſtiles turmas, victriciaque arma
Spernite; Romanas arces urbemque negatam,
Atque inſperatas promittunt Numina lauros;
Romuleis tantùm præeat Crux aurea ſignis.
His dictis incenſi animi: concurritur: arma,
Arma viri ingeminant, hoſtemque in prælia poſcunt:

Adver-

Adverſaſque petunt acies, mactantque ruuntque.
Interea Cæſar magni volat agminis inſtar,
Fatalique metens obſtantes enſe catervas,
Cedentem inſequitur per funera mille tyrannum.
Ac veluti virides ſi quando irrumpit in agros
Hybernus celſo montis de culmine torrens,
Nequicquam aggeſtos lapides atque obvia ſaxa
Objiciat paſtor, ſata læta boumque labores,
Præcipiteſque trahit, nullo diſcrimine, ſylvas.
Talis erat, talem ſe Conſtantinus agebat
Per medios; fruſtra innumeras hinc inde phalanges
Opponit rapido indignans Maxentius hoſti.
Mox cedit, victæ pariter ceſſere cohortes,
Et trepidæ retulere pedem; furit improbus ira,
Incuſatque Deos; turmiſque inſtantibus impar
Indecori dat terga fugæ. Pons inde fatiſcens
Sub pedibus tumida fugientem involvit in unda.

JULIANI APOSTATÆ MORS.

Contemptor Superum, & cultus deſertor aviti
Julius, antiquos jam dudum exſcindere ritus
Chriſtiadum, legeſque ſacras abolere parabat.
Quò fert cumque gradus, triſtem collapſa ruinam
Templa trahunt, flammis data præda furentibus, aræ,
Solemnes aræ, veterum monumenta parentum
Everſæ ſine honore jacent, nec triſtia præter
Rudera, & horrendas poſſis agnoſcere moles.
Chriſte, vides immane ſcelus, nec fulmina mittis?
Nec caput inviſum meritas detrudis ad umbras?
At vos, Arſacidæ, dextram præſtate Tonanti;
Cauſa Dei, veſtra eſt: veſtram defendite gentem.
En vos inſanis Princeps temerarius auſis
Oppugnat, vires addet Deus ipſe ſecundas,
Illuſtremque dabit devicto ex hoſte triumphum.
Sed quid ego hæc? prohibete manus, arcete ſagittas
Arſacidæ. Juſto devota hæc victima cœlo.
Nam quis de ſupera telis armatus & arcu
Aliger arce venit? Telum fatale coruſcat,
Te, Princeps ſcelerate, petens! tibi debita portat
Funera! Nulla mora eſt: volat atri turbinis inſtar,
Jamque hæret medio lateri fatalis arundo.
Nec longùm vindex latuit manus: ilicet ictum
Senſit, & attonito ſe vulneris obtulit auctor.
Namque erumpentem lato de vulnere rivum
Julius excipiens manibus, projecit in auras
Vociferans, oculoſque truces ad ſydera torquens,
Vincis; ait, vincis, Galilæe! haud plura locutus,
Sacrilegam effundit multo cum ſanguine vitam.

Digitized by Google

BEATA CATHARINA SENENSIS

Spineam Coronam Roſeæ anteponit.

DUm fundit Catharina preces, cœlumque fatigat
Supplicibus votis, & numine plena benigno,
Ambit inexpletos Chriſti ſentire dolores.
Ecce videt ſupera geminas ex arce Coronas
Attonitos labi ante oculos. Hanc lilia multis
Mixta roſis circum decorant, riget altera dumis
Subtilibus, ſpinaſque hinc inde minatur acutas.
Ite procul, dixit, mentis lethale venenum,
Purpurei flores, & non innoxia ſerta;
Ite procul, ſacræ quid enim inſidioſus amanti
Chriſte, dolos ſtruis? An capiti diadema refulſit
Tale tuo quondam, cùm noſtri incenſus amore
Penderes Deus, & trunco morereris ab alto?
Nec plura: horrentem manibus rapit illa coronam,
Et fronti imponit, quin & juvat addere pondus,
Inque caput dextra ſtimulos urgere cruentos.
Interea cupidus cœlo ſpectator ab alto
Hæc videt, & tanto Chriſtus reſpondet amori.
Nulla mora eſt; rigidi, viſu mirabile, vepres
In flores teneros & candida lilia ſurgunt.
Quin etiam ex illo vitæ Catharina futuræ
Dulces illecebras caſto ſub pectore ſenſit.

IN SANCTUM DIONYSIUM.

NAm quis Pariſia ſonuit concurſus ab urbe?
Quò matrum, quò turba ruit numeroſa virorum?
Qua ſe cumque aperuit, populi pede trita frequentis
Semita, quæ ſacras Dionyſi ducit ad ædes.
Agnoſco: redeunt Paſtoris feſta verendi;
Impia qui primus fregit ſimulacra Deorum,
Francigenaſque pios ritus invexit in oras.
Proh! quantos vera pro Religione labores
Pertulit! heu! per quot diſcrimina gentis amicæ
Parta ſalus! quàm multus iit de corpore ſanguis,
Dum caro metuens paſtor ſe impendit ovili!
Carnificum non ille manus, non juſſa tyranni
Effera, nec ſtrictos expavit degener enſes!
Salve ò Franciadum columen, ſalve inclyta gentis
Gloria, & afflictis ſpes ò fidiſſima rebus!
Ni tibi pulſus amor noſtri, ni priſca receſſit
Cura, laborantes ſuperis de ſedibus ultro
Reſpice, longorumque, precor, miſereſce laborum.

Nam quibus infelix jactatur Gallia fatis! *
En ſævit medias Mavors impune per urbes
Exitium crudele ferens, ſpes nulla ſalutis
Eſt ſuper; inſanos belli compeſce tumultus,
Namque potes; per te redeant bona munera Pacis.

* *Fervebat Bellum in Gallia dum hæc ſcriberentur.*

B. FRANCISCUS SACRIS CHRISTI VULNERIBUS SIGNATUS.

ORabat tacita montis ſecretus in umbra
Franciſcus, Chriſtique in imagine fixus, amanti
Quod ſatis, intentos oculos atque ora tenebat.
Interea totos lacerum crudeliter artus
Dum videt, & ſacris pia dividit oſcula plagis;
Senſit inexpleto ſuccendi pectus ab igne,
Et flammæ impatiens his queſtibus ora reſolvit.
Me me adſum, qui feci, animam cruce perdere ab alta
Debueram, ſontem tormentum infame decebat.
At tu noſter amor, moreris, Deus! & mihi pendis
Inſons, quas merui multo pro crimine pœnas.
Saltem ah! ſi liceat ſocium veniſſe doloris.
Vix ea; cùm medium latè diſcedere cœlum,
Et ruptis fulgere videt de nubibus ignes.
Fit fragor, & montis ſpatium ſonat omne tumultu;
Protinus ecce tibi ſupera delabitur arce
Aliger, & multa dat ſe ſe luce videndum,
Chriſtum habitu, Chriſtum ore ferens, nam robore ab alto
Pendet, utrinque manus clavi fixere trabales,
Et geminos fixere pedes, latus enſis adegit,
Lethalique recens manat de vulnere ſanguis.
Obſtupuit ſubita perculſus imagine rerum
Franciſcus, cupidiſque inhians dum ſingula luſtrat
Viſa oculis, & corda nequit ſatiate videndo;
Ilicet Aligeri de corpore, quinque micantes
Erumpunt radii; totidem lethalia dicas
Spicula, Franciſcumque petunt, palmaſque pedeſque,
Et latus optato dudum mucrone recludunt.
Quin etiam multis ſanguis fluit undique rivis;
Corpuſque & laceras tingit nova purpura veſtes.
Nec dubiis impreſſa videt ſacra vulnera monſtris
Franciſcus; ſed corda Deo, plenuſque recenti
Lætitia exclamat; nunquam ô fruſtrate vocatus,
Chriſte, meos, audis etiam miſeratus amantem,
Et tua jam cumulas meliori munere dona.
Ergo vix tibi me comitem ſociumque laborum
Adjungis? Præferre licet ſacra Stigmata tecum,
Et paribus tecum, ſi fas, certare triumphis?
Sorte mea felix, & in hunc ſervatus honorem!

Quan-

Quanquam nec ſatis eſt; operi finem addere, Chriſte,
Ne pigeat; fragilem properes abrumpere vitam;
Nam quid ego in terris ultra moror? an mihi quidquam
Dulce ſuper, poſtquam mortali in carne refulſit
Immortalis honos? Tecum ah! mihi vivere reſtat;
Reddere & æternas pura inter gaudia grates.

IN ILLAS STULTORUM VOCES:

Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Iſaiæ c. 22.

Ite procul viles animæ, quas una remordet
Cura cutis, quibus una placet veſana voluptas,
Inter delicias & lautæ fercula menſæ
Vitam agere indecorem, & totos traducere ſoles;
Dum cœleſtem animam & divinæ particulam auræ
Deſpicitis; nam quæ verſat dementia mentem,
Aut quò vos malus error agit rationis egentes?
An ne hominem vox illa ſonat; lingua impia quando
Solvitur in tales, Baccho ſuadente, loquelas?
Nunc epulis, nunc & juvat indulgere Lyæo,
Vita quibus brevis eſt, & cras vaneſcet in auras.
Ergo perire animam, fragilis compage ſoluta
Corporis, & tumulo condi cenſetis eodem?
Pars hominis melior, puroque è ſemine nata,
Viva Dei effigies annis effœta ſeneſcat,
Parcarumque dies & ineluctabile lethi
Agnoſcat ſubjecta jugum? Queis futile carmen
Venditis, aut tales rerum placet indere ſenſus?
His adeo pronas advertant vocibus aures
Degeneres Ithaci comites, quos improba Circe
Ex hominum facie in vultus atque ora ferarum
Vertit, inexpletis ſtulti dum pocula guſtant
Hauſtibus, & dulci ſorbent ſub melle venenum.
At vos turba procax procul hinc, procul eſte protervi:
Parcite ſinceras offendere cantibus aures.

IN QUADRAGESIMAM.

Dulci corda mero, dapibuſque refectus opimis
Feſtivos ego rite dies de nomine Bacchi
Inſanos inter celebraram inſanior omnes.
Cùm ſubitò mediæ per blanda ſilentia noctis
Adſtitit, & placidos perturbat imagine ſomnos
Ignoti nova forma viri; namque arida pellis
Oſſa tegit, vultum macies deformat agreſtem,
Paſſique immundo fœdantur pulvere crines.
Pone quaterdeni comites ſtant ordine longo,

Omnes, palliduli, fuſcis in veſtibus omnes.
Obſtupui; & tacito verſans ſub pectore viſa;
Hei mihi! dicebam, quis gaudia turbat? at ille
Imponens capiti cineres, ſic ora reſolvit;
Et pavidas implet duris ſermonibus aures.
Hac riſiſſe tenus ſatis eſt; jam mitte choreas,
Mitte jocos hilares, mentemque ad ſeria flecte.
  Quin etiam horrendum, longa quod veſte latebat,
Exerit, & dextra quatiens minitante flagellum,
Attonitos ægra turbat formidine ſenſus.
Exilio è ſtratis, ſomnos pavor excutit ingens.
Continuò vitam cœpi damnare priorem,
Redditus ipſe mihi, & melius componere mores.

CAR-

Digitized by Google

CARMINA
DE ARGUMENTIS PROPHANIS
EX FABULA GRÆCA.
VULCANI DE COELO LAPSUS.

PArtu infelici, conjux formoſa Tonantis
Vulcanum Juno ediderat ſub luminis auras.
Nec mora; viſendi ſtudio ruit undique latis
Agminibus Divum omne genus, cœloque recepti
Innumera pueri cunas cinxere corona;
Noſſe avidi, patremne magis, matremve referret.
Aſt ubi diductis puerilia cernere velis
Ora datum eſt, hilaris toto ſimul æthere riſus
Exoritur, lepidique ſales hinc inde reſultant.
Namque olli rugis frons horrida; lumina binis
Interiùs deffoſa cavis; cutis aſpera tactu,
Et ferrugineo paſſim fucata colore.
Hinc patulæ nares, latoque informis hiatu
Rictus, & hirſutas longè protenſus ad aures.
Ingemuit nati fato pater, & pede monſtrum
Præcipitans, ſumma cœli detrudit ab arce.
Volvitur, & longo varios agit æthere gyros.
Nequicquam manibus fugientem prenſat aduncis
Aera, vel tenues motat per inane lacertos.
Decidit infelix: Superi riſere cadentem;
Et Satyri riſere leves; offenſaque lapſu
Tibia, in incertos flexit veſtigia greſſus.

ÆNEAS A NEPTUNO SERVATUS.

PUgnabant animis paribus, non viribus æquis
Trojus Æneas & Lariſſæus Achilles.
Jamque adeo Pelidæ iras, conceptaque dudum
Exſaturare odia, & triſtes ſacrare Patroclo
Inferias ſatus Anchiſa genitore parabat.
Jam nigris circumvolitans mors horrida pennis
Terr erat miſerum, prædæque cupidine capta
Falcem exultanti ſimilis per inane rotabat.
Senſit, & Æneæ ſortem indignatus acerbam
Neptunus, tales rupit de pectore voces.
Ergone, Rex hominum Divumque æterna poteſtas,
Auferet ante diem ſævi inclementia lethi,
Quem ſeries fatorum, & ineluctabilis ordo

Magnanimæ genti, tenet jurante, parentem
Promittunt? quæ te, Frater, ſententia vertit?
  Nec plura effatus, magno ruit impete, & atram
Obtendens circum nebulam caligine denſa
Involvit, rabidoque Æneam ex hoſte recepit.
Inſequitur fruſtra, & vacuas diverberat auras
Pelides, rapturoque dolo ſibi poſcit honorem.
Haud aliter, quàm cùm mediis è morſibus umber
Vividus, elapſum nemora inter devia cervum
Præcipiti ſequitur curſu, prædæque fugacis
Impatiens crebris latratibus aera complet.

AURI FAMES, PERNICIES MAXIMA.

Ulyſſis ſocii fœtum ventis utrem aperiunt.

DArdanidum victor, prædaque elatus opima
  Per mare velivolum patriam repetebat Ulyſſes,
Nimborumque potens tempeſtatiſque ſonoræ.
Namque olli genere & conſanguinitate propinquo
Ferre ſui dederat, monimentum & pignus amoris,
Æolus incluſos corio ſeptemplice ventos:
Ne præceps Boreas, aut turbidus Auſter euntem
Fluctibus obrueret, claſſemque exponeret undis.
Illi indignantes duri nova frena tyranni
Intus acerba fremunt, aditusque per omnia luſtrant.
  Aſt ſocii, tantum urget amor ſceleratus habendi!
Divitias latitare rati, clam ſcindere pelles
Per medium hircinas properant, opibuſque potiri.
Continuò celeres magno cum murmure venti,
Qua via facta, ruunt, atque omnia turbine miſcent.
Jam conjurati tolluntur ad æthera fluctus;
Et mox ſuſpenſam liquidi ſuper ardua montis
Educunt navim; mox inferiora ſecuti,
In brevia & ſyrtes, unda cedente, retorquent.
Vela rapit Boreas, ſtridenti Aquilone procella
Malum averſa ferit, ſolvitque hinc inde rudentes.
  Obſtupuere omnes, fatalem avertere caſum
Æolides, votiſque Deos inflectere tentat.
Nil agit, Æolias rurſum jactatus in oras,
Cogitur inde novos pelagi tentare labores.

AMOR IRARUM VICTOR.

Achilles redit ad pugnam ad vindicandam Patrocli mortem.

IRarum impatiens & ſecum multa volutans
  Atridas geminos probris onerabat Achilles.

Scili-

Scilicet Æacidem, rapta Briſeide, tangit
Spretus honos: nil grandem animum ſublapſa remordent
Fata ſuæ gentis, tumidæ vel gloria Trojæ.
Interea, viſu miſerabilis, umbra Patrocli
Objicitur. Proh! qualis erat! quàm nulla prioris
Signa ſuper toto remanent in corpore cultus,
Cùm rueret patriam medios ulturus in hoſtes!
Nudus, & hectoreum monſtrans in pectore vulnus,
Stillanteſque comas, & fœda cruoribus ora,
Talibus orabat: Miſerum-ne agnoſcis amicum,
Pelei digna patris ſoboles? Tibi Patroclus olim
Vixit, & hoſtili, te ſoſpite, marcet arena.
  Vix ea; in amplexus ſocii infelicis Achilles
Irruit: at fruſtra: patrias vaneſcit in auras
Umbra levis, pariterque manus oculoſque fefellit.
Hic, luctuque amens & corda incenſus amore
Æacides, mene ergo fugis, chariſſime, dixit;
Æternumque meis te, te complexibus arces?
At ſaltem ulciſci dabitur. Nec plura locutus,
Immemor irarum fatalia corripit arma.

ANDROMACHE

Ad Hectorem cum Achille congreſſurum.

IBat per medios fatalibus Hector in armis
Dira tuens, dubiique iterum diſcrimina martis
Tentare, & magno concurrere certus Achilli.
Cùm lacrymis ſuffuſa genas, fortiſque futuræ
Præſcia, Priamidi ſe ſe tulit obvia conjux,
Et puerum inclamans patri Aſtianacta tetendit.
Quis furor eſt? quæ te lucis tam prodiga virtus
Impulit his cingi, conjux dulciſſime, telis?
Nam quibus uxorem fatis, natumque patremque,
Deſertamque domum, dum ſic fugis ipſe, relinquis?
Te ſine quid poterit longo pater obſitus ævo?
Quid contra infeſtas acies inimicaque tela
Uxor, & armatos puer indefenſus in hoſtes?
Ah! potiùs; ſi quam dubiis ſpem ponis in armis,
Hanc tutare domum, patrios tutare penates,
Fatalemque tuis defende à mœnibus ignem.
  Talia vociferans genibuſque affuſa ruentis
Orabat miſera Andromache. Stat turbidus ille
Interea, nullaſque preces tractabilis audit.
Ac veluti impaſtus ſpecula cùm vidit ab alta
Venantem celerare leo, nunc dente minaci
Latronem expectat, nunc ſe ſe verſat in antro
Impatiens, caudamque & acutos exerit ungues.

Haud aliter revocare decus, triſtemque parabat
Hector Achillæo labem ſarcire triumpho.

ACHILLES & HECTOR

Diis faventibus utrinque ſervati.

HUc ades ò, ſtygias, ſi fors innare paludes,
Tartareaſque videre domos & inania regna:
Fert animus, mecum imparibus concurrere telis:
Aude, age: fatales pandet mea dextra receſſus.
Talibus ad pugnam dictis urgebat Achilles
Priamidem, voceſque ferox jactabat amaras.
Non tulit hæc probri impatiens fortiſſimus Hector.
Æſtuat, & totis contorquens viribus haſtam,
Hoſtis acerbe, quid increpitas? quid fata minaris.
Ultima? nil verbis opus eſt, ait: an tibi virtus
Ventoſa in lingua? Tu conjice, ſit-ne retuſa
Cuſpis, an imbellis quæ dextera pendet in ictum.
Extemplo tenues volat haſta emiſſa per auras,
Pelidi medio portans in pectore vulnus.
At Pallas cœlo aſpiciens diſcrimen ab alto,
Et nato Thetidis meditans avertere cladem,
Lethiferum adverſo detorſit flamine telum.
Hic verò exarſit, tumidaſque accenſus in iras,
Pelides, gladio rapidus ſurgebat in hoſtem.
At paribus ſtudiis nebula ſubduxit opaca
Priamidem, charumque caput ſervavit Apollo.
Magnanimi heroes, vos ò, fortiſſima bello
Pectora, quos dubii per aperta pericula martis
Ardor agit, teneris virtuti aſſueſcere ab annis,
Et meritos Superis perſolvere diſcite cultus.

MENELAUS A MACHAONE SANATUS.

AFfixus ſtratis & grandi ſaucius ictu
Atrides, animo multa indignante fremebat,
Scilicet immitis, fracto mucrone, ſagitta
Hærebat lateri, nec erat, qui ferre ſalutem,
Aut duros medicans poſſet mollire dolores.
Advolat interea, ſtudio ſtimulante, Machaon,
Digna patris ſoboles, famulantum ſtipat euntem
Turba frequens, claros quos omnes arte medendi
Fecerat, & morbos quoſcumque fugare peritos.
Pars gerit in phialis lacrymas ſtillantis amomi,
Pars & Idumæo de cortice balſama portat;
Pars veterem Panacæam, & verum oſtentat Elixir.
Hunc procul aſpexit lecto Menelaus ab alto.

At

Ac veluti gravidum reſoluta nube papaver,
Mox, ubi depulſo ſol aureus imbre refulſit,
Attollitque caput frontiſque expandit honores.
Haud aliter recreat facies optata medentis
Atridem, meliuſque jubet confidere rebus.
Nec mora: inhærentem dextra leviore ſagittam
Extrahit, & plagam exſugens, fundenſque ſalubres
Herbarum ſuccos, oras conſtringit hiantes
Hinc atque hinc, pannoque ligat multiplice vulnus
Tum priſcæ redeunt Menelao in pectora vires.
Senſit, & exclamans his turbidus ora reſolvit.
At non ſe noſtro jactabit funere longùm,
Fatalem eſt auſus quiſquis vibrare ſagittam:
Nec quemquam poſthac Grajorum ex gente laceſſet.

PIÆ ANDROMACHES LACRYMÆ IN FUNERE HECTORIS.

AUratam pingebat acu, gemmiſque ſerebat
Intexens clamydem Andromache; quam ferret adultus
Aſtianax olim, materni pignus amoris.
Barbarus interea, cæcaſque accenſus in iras
Æacides, vinctum crudelibus Hectora loris
Iliacos circum muros raptabat, & atro
Pulvere fœdabat laceros immaniter artus.
Verùm ubi ſollicitam feralis rumor in urbem
Ivit, & Andromachæ pavidas adlabitur aures,
Excuſſæ manibus telæ, revolutaque penſa.
Ipſa cadit; gelidus coit in præcordia ſanguis,
Et via vix tandem voci laxata dolore eſt.
Ergo, inquit, moreris, neque me tibi fata dederunt,
Eſſe necis comitem, aut triſtes avertere caſus?
Me miſeram! Nam quò lucis tam prodiga virtus,
Quò te laudis amor bellum in ferale trahebat?
Jam quibus uxorem fatis, natumque patremque,
Deſertamque domum, dum ſic tuis ipſe, reſervas?
Quid faciet tua progenies orbata parente
Aſtianax? quid aget tanto ſine conjuge conjux?
O Priame! ò Troes! tuque ò domus inclyta Divum
Ilios, heu! quantùm vel in uno funere perdis!
Hæc memorans animis rurſum defecit, & ægram
Excipiunt manibus famulæ, thalamoque reponunt.

PRIAMUS CORPUS HECTORIS AB ACHILLE REDIMIT.

TEr circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Feraleſque Patrocli umbras ſatiarat Achilles.

Cùm

Cùm Priamus, luctuque amens ſenioque gravatus,
Et vix ægra trahens tardo ſub pondere membra,
Victoris cadit ante pedes, genibuſque volutans
Rupit inexpleto tales de pectore queſtus:
Placatos huc flecte oculos, fortiſſime ductor
Grajugenum, Peleique patris generoſa propago.
Quid juvat immites producere longiùs iras?
Tu, precor, afflictam patiens miſerare ſenectam;
Mutatuſque dole ſævos vel in hoſte dolores.
Multiplici de prole, mihi quam mortis iniqua
Vis rapuit, ſuper unus erat chariſſimus Hector,
Ante alios, miſeri ſolamen dulce parentis,
Et noſtræ quondam, niſi numina læva fuiſſent,
Spes haud vana domus, Trojæ tutela cadentis.
Sed quid ego hæc? dextra cecidit ſub vindice natus;
Hic meus, & patrios infecit ſanguine campos!
 Non ego te noſtri cauſamque caputque doloris
Incuſabo amens; vos ò, contraria ſemper
Fata mihi, triſteſque iras damnabo Deorum!
Infelix! quid enim produxi longiùs ævum;
Nec licuit cecidiſſe priùs, ne dira meorum
Funera, ne patriæ buſtum ferale viderem?
At tu, parce, oro; lacrymiſque inflectere noſtris.
Hac odiſſe tenus ſatis eſt tibi; ſenſerit olim
Immitem, placidum nunc ſentiat Hector Achillem!
Exanimum per te liceat mihi tollere nati
Corpus, & extinctos cineres mandare ſepulcro.
Quod petimus, leve munus erit. Tu dona viciſſim,
Trojugenas miſeratus, opes, quæ reddimus, ultro
Accipe, nec miſeris pigeat manſueſcere votis.
 Sic reducem Æmonias genitor te ſoſpes in oras
Aſpiciat, dulceſque diu tecum exigat annos.
Senſit inacceſſum molliri pectus Achilles,
Hectoreumque dedit portandum ad buſta cadaver.

ANDROMACHE.

Puerum Aſtianacta Patris in Tumulo abſcondit.

POſtquam vi ſuperum, & ſævæ Junonis ob iram
Troja dedit triſtes flamma populante ruinas;
Stabat adhuc Danaum furiis, patriæque ſuperſtes
Hectorei moles tumuli, cœloque ſuperbum
Una caput flammas inter ſecura ferebat.
Scilicet auguſtos cultu venerata penates,
Nec grandem turbare animam, maneſque ſepultos
Auſa, ultro diros repreſſit flamma furores.
Tantus honos cineri, veneratio tanta ſepulcro eſt!

Hic

Digitized by Google

Hic natum miſera Andromache occultare parata;
Quando aliter puerum miſeris ſubducere fatis
Non datur, & ſuperum nec iniqua finis in ira eſt;
Talibus Hectoream compellat vocibus umbram.
O Hector generoſe! Hector ſpes una ruentis
Præſidiumque domus, mea magna potentia quondam
Aſpice nos, & quos moriens, chariſſime conjux,
Spreviſti comites, poſt ultima fata tuere.
Excipe progeniem, mediiſque à faucibus orci
Eripe, namque potes. Puerum, ſic fata, trementem
Blanda manu genitrix tumuli in ſecreta trahebat.
Hæſit ad aſpectum; greſſumque ſubinde retorquens
Aſtianax, latebras vultu indignante refugit.
Cui mater: quid nate retro veſtigia flectis?
Ah! ne te pudeat triſtes penetrare receſſus,
O nimium generoſe puer! depone ſuperbos,
Non tibi conveniunt, quos ſors dedit, indue ſenſus.
Hic poteris, ſi fata ſinunt, ſperare ſalutem;
Ulterius ſi fata negant producere vitam,
Commune invenies, forti cum patre, ſepulcrum.

ANDROMACHE AD ULYSSEM PRO SERVANDO ASTIANACTE.

Grajugenum Dux magne, tuis gratare triumphis:
Quod tibi nulla prius dederat victoria, Neptis
Tot Regum Andromache, Priami nurus, Hectoris uxor
Volvitur ante pedes, genibuſque affuſa ſuperbum
Cogitur infelix humili prece tangere pectus.
Proſpera ſi potui fatorum oblita videri,
Nec me orare pudet, tibi pauca negare petenti
Sit pudor. Afflictæ patiens miſereſce parentis,
Spemque domus everſæ unam dà vivere natum.
Nam cur vanus habet mentem timor? eruta nempe
Mœnia & ingenti patria ſub ſtrage jacentem
Imbellis multoſque puer circumdatus hoſte
Attollet quondam, vel diruet igne Mycenas?
Ni ſpem Troja foves aliam, ſpes omnis adempta!
Dum fatis equidem vixit melioribus Hector,
Ah! quoties fati caſus ſolata ſiniſtros,
Tempus erit, dixi, neque nos inimica ſequetur
Ad tumulum fortuna, ſui cum nominis ultor
Priamides, laudiſque novo ſuccenſus amore
Victor aget noſtras Grajorum in caſtra phalanges.
Verùm eheu! moriens ſecum tulit omnia conjux.
Vitam unam, Æolide, votorum hæc ſumma, precamur.
Sic lectis Ithacam auſpiciis patremque reviſas
Incolumem; ſic Dulichiis adoleſcat in oris,

Et

Et magnum referens olim virtute patentem
Telemachus, factis portet ſuper æthera famam.

HECUBA IN CANEM VERSA.

POſtquam Troja ruit flammis data præda Pelaſgis,
Incenſaque furor Danaum bacchatus in urbe
Nil intentatum ſceleriſve dolive reliquit.
Sola inter patriæ fumantes ſtragis acervos
Huc illuc volvens aciem Priameja conjux
Errabat, ſortemque ſuam caſuſque ſuorum
Increpitans, tales jactabat voce querelas.
Crudeles ſuperi! noſtris contraria votis
Numina! Quæ miſeram ſupremo in limine vitæ
Fata manent? Vidi dulciſſima pignora, natos
Spem columenque domus occumbere triſtibus umbris.
Vidi infelicem Priamum, quem dira furentis
Dextra Neoptolemi ſacras raptarat ad aras,
Teſtes connubii maculantem ſanguine Divos.
Unde mihi Danaum clementior ira pepercit?
Ergo ibit ſervitum Hecuba, & regalia ſubdet
Colla jugo? vel tanget heri captiva cubile?
Ah! ſi quis Deus eſt Trojani ſanguinis ultor,
Vindicet invalidæ probrum labemque ſenectæ,
Ingratoſque dies miſerans finire laboret.
Audiit orantem cœlo regnator ab alto
Omnipotens; & quam reprimat vis nulla latrantem,
Fit canis, & mores mutato in corpore ſervat.

POLYPHEMUS OCCÆCATUS.

POſt varios belli caſus Pelagique labores,
Per ſcopulos, perque horriſonis vada fœta procellis
Æolides ditas Cyclopum advenerat oras.
Ut ſtetit, atque oculis latè avia circumſpexit;
Antrum ingens, immane videt; juvat ire, locoſque
Explorare novos: ſævi domus atra Cyclopis
Intus erat. Toto pecus hic extenditur antro,
Et rauco heſternas cum murmure ruminat herbas.
Partem aliam campis conſueta ad pabula Cyclops
Duxerat; & teneræ dum tondent prata capellæ,
Stridenti miſerum perdebat arundine carmen.
Interea intento dum ſingula lumine luſtrat
Æolides, comitumque manus ſectatur euntem,
Ecce redux Polyphemus adeſt, notoſque penates
Ingreſſus, duplici firmat compagine limen.
Horret ad aſpectum, palletque incluſus Ulyſſes.
At ſolitæ memor uſque artis, mutata ſerenat

Ora

Ora vafer, magnumque premens ſub corde timorem,
Tentat compoſitis Polyphemum inflectere verbis.
Ille nihil; duo de numero ſed corpora prendens,
Frangit humo, manditque: tremunt ſub dentibus artus
Eliſi, ſpumantque Argivo ſanguine rictus.
Nox ruit interea; nequicquam tentat Ulyſſes
Effugere; ingenti Cyclops revolutus in antro
Occupat os clauditque aditus. Quid cardine rerum
Hoc faciat? vel quo ſe morti ſubtrahat aſtu?
Dat pavor eloquium; fictoque hæc addidit ore.
O Princeps hominum Siculæ laus inclyta terræ,
Atque Cyclopææ meritò Rex maxime gentis;
Hæc tibi quæ tulimus generoſi pocula Bacchi
Accipe, ſintque mei, ſint hæc tibi pignus amoris.
Ad nares ut venit odor; tum dira reſidunt
Corda, placet munus; Baccho pateram impiger haurit
Spumantem, & ſe ſe repetito proluit hauſtu.
Mox ubi fatali caluit de munere pectus;
Et dubio acceſſit capiti vapor: Eja age, dixit,
Eja age, da ſacrum rurſus potare liquorem;
Rurſus funde merum, & quid ſit tibi nominis, ede.
Nemo mihi nomen, *Nemo* vocor, inquit, Ulyſſes.
Tum blandè arridens, & dans malè reddita verba,
Vir bonus es, *Nemo*, Cyclops ait. Optime *Nemo*,
Ne dubita extremus lautæ ſervabere menſæ.
Sic facti memor has ſolvam pro munere grates.
Dixerat; & madidus vino ſomnoque ſepultus,
Infelix Cyclops ad terram pondere vaſto
Concidit, & toto jacuit reſupinus in antro.
Non aliter, quàm cùm præceps radicibus imis
Mons ruit avulſus, latiſque extenditur agris.
Protinus ut toto proflantem pectore ronchos
Audiit Æolides, ſocios vocat; ocyùs illi
Accelerant, teloque horrendum lumen acuto,
Perfodiunt, media ſolum quod fronte gerebat.
Dirùm, immane fremit, longiſque ululatibus antrum
Triſte ſonat Cyclops: ſylvæ intremuere profundæ,
Horrendùm! & vaſtis immugiit Ætna cavernis.
Illicet Ætnæi fratres clamoribus acti
Accelerant; linquunt opera interrupta, minaſque
Terribiles Jovis, & Polyphemi ad limina tendunt
Præcipites, &, quæ gemitus ſit cauſa, requirunt.
Quid tantum Polypheme furis? dulceſne Capellas,
An teneros hoſtis rapuit cum matribus agnos,
Intentatve necem? *Nemo* mihi funera, dixit,
Nemo necem intentat. Reſponſum tale timorem
Abſtulit; ergo abeunt alacres ac penſa reviſunt:
Perque jocos, immanè putant clamaſſe Cyclopa.

Inte-

Interea furiis Cyclops immanibus actus,
Nequicquam Æolidem toto veſtigat in antro.
Ille etenim cœco illudens mille orbibus orbes
Implicat, & flexo declinat corpore dextram.
Quid faciat? quave eluſum ſatiare furorem
Arte paret Cyclops? neque ſic tamen, improbe, dixit,
Effugies; clauſi, ſic fatus, limina tecti
Obſidet, atque alias, tenuis qua rima patebat,
Poſt alias educit oves, at ſedulus omnes
Interea, fraudum impatiens infraque ſupraque
Contrectat, palparque manu, ſi forte paratis
Inſidiis ſe ſe Æolides ſubducere tentet.
Senſit at ille dolum; & ſolitas converſus ad artes.
Arma rapit, totque enſe ferit mactatque bidentes,
Quot ſuperant comites, tum pelle indutus ovina
Cum ſociis, ſævas Polyphemi elabitur iras.

ULYSSES SIRENUM VICTOR.

Quiſquis inexpleto captus virtutis amore
Molles illecebras & vitæ gaudia temnis;
Diſce monendus adhuc irritamenta malorum
Effugere, & lætis nimiùm non fidere rebus.
Illa vides, quæ ſe luctantibus undique ventis
Navis agit celeri turbata per æquora curſu;
Scyllæoſque inter ſtrepitus avidamque Charybdim
Certum tendit iter; ſapientem hæc portat Ulyſſem;
Felix & vitæ monſtrat documenta beatæ.
Aſpicis ut cera ſociorum providus aures
Obſtruat, & malo patiens poſt terga ligari,
Sirenum voces & noxia carmina vitet?
Ni faciat; pectuſque ingenti robore firmet
Contra dulce melos; fruſtra Cycoplea ſaxa
Victor, & inviſæ fatalia pocula Circes
Fugiſſet. Quam mille inter diſcrimina rerum
Exierat toties, mortem daret una voluptas.

HEROES LATERE NESCIUNT.

Quò te prolis amor, fati malè conſcia Thetis,
Præcipitat? nequicquam animos incauta viriles
Occultare paras, fruſtraque indutus amictu
Fœmineo Trojæ domitor celatur Achilles.
Heroes teneris etiam produntur ab annis.
Ac velut ignis edax, cineri ſi fortè doloſo
Suppoſitus, rapidam rupto capit objice flammam:
Haud aliter ſegnes virtus exoſa latebras
In lucem erumpit, neſcitque ignava latere.

Sen-

Senſerat hoc Ithaci prudentia. Namque puellas
Regales inter magna Lycomedis in aula,
Dum vacuos agitat ſoles, juſſuque parentis
Fœminea ſexum palla mentitur Achilles;
Ecce improviſus Trojanis venit ab oris
Æolides, fraudem ut ſtrueret; variaſque recludit,
Quas tulerat ſecum, nullo diſcrimine merces.
Continuò, quodcumque placet, rapuere puellæ.
Hæc amat in ſpeculo vultus ſine nube ſerenos
Cernere, miraturque oculos & frontis honores.
Hanc juvat armillas teneris aptare lacertis,
Et digitis gemmas & longa monilia collo.
Illa graves bacchas & opes orientis, utrinque
Auribus appendit, vult & formoſa videri.
Interea Pelei ſoboles muliebria ſpernit
Ornamenta, caput galea premit, & rotat enſem,
Correptamque manu vi magna concutit haſtam.
I, tua te quò fata vocant, ſate ſanguine Divum;
Te Troja expectat, tibi ſoli cedere certa.

ORESTES LIBERATUS.

IBat per medios, manibus poſt terga revinctis,
Nobile par, fido Pyladi ſociatus Oreſtes:
Ambo ſanguineæ mactandi ad templa Dianæ.
Nec quos junxit amor dudum per triſtia vitæ
Tempora, jam patitur vel in ipſa morte revelli.
Interea Triviæ ſacris operata ſacerdos
Arma rapit, jam fulmineum conſurgit in enſem
Ardua, & immeritis fatales deſtinat ictus.
Quò raperis, virgo impudens? abſiſte, furentem
Et compeſce manum. Nil hic natura reclamat,
Nec te præcipitem vox ſanguinis ulla moratur?
Fallimur: inſolitis hæret perterrita monſtris
Iphigenia, ſoloque oculos defixa reſiſtit
Multa putans: trepidos quatit æger anhelitus artus;
Pallor in ore ſedet; coit in præcordia ſanguis,
Et toto acciſæ torpent in corpore vires.
Quin etiam arma cadunt manibus, pia dextra recuſat
Triſte miniſterium; populus ſtupet inſcius, atque
Diditur incertum confuſa per agmina murmur.
Interea miſeræ crudelia fata puellæ
Vidit Amor, fidoſque ultro miſeratus amantes,
Protinus offuſos denſa caligine ſolvit
Iphigeniæ oculos, tunc illa agnoſcit Oreſtem,
Et totis fratrem dilectum amplectitur ulnis.

HER-

HERCULES COLUM TRACTANS.

Dum fortes humeros muliebri indutus amictu
Alcides tractatque colos, digitique madentes
Sanguine monſtrorum, Lydæ ad mandata puellæ,
Exercent artem inſolitam fuſumque retorquent.
Ecce tibi interea levibus per inania pennis
Heroem circumvolitat chorus omnis Amorum;
Atque laboranti certatim illudere gaudet.
Ventilat hic duro metuendam robore Clavam
Inſultans; rapit ille feræ victricia Lernæ
Tela manu rumpitque; alter monumenta leonis
Fert humero, greſſuque tumens impune ſuperbo
Cœlicolas ipſumque Jovem in certamina poſcit.
Sydera ludum Saturnia vidit ab arce;
Et tacitos vultu ſenſus teſtata ſereno
Quid juvat ultrices producere longiùs iras,
Dixit, & è ſtygiis accerſere monſtra cavernis?
Nos ſatis ultus Amor; variis exercita bellis
Huic tandem ſcopulo virtus alliſa fatiſcit.

PUDICITIÆ IN IPSO FUNERE TRIUMPHUS.

Expertus Phædræ inſidias iraſque doloſque
Hippolytus, patriis ultro cedebat ab oris.
Aſpicis hæc pater, & pateris? quid fœmina poſſit,
Ignarus? ne crede dolis: offenſa repulſæ
Phædram acuit. Timet illa, gravis quam culpa remordet,
Ne prior illicitos retegat tibi filius ignes.
Nil agimus; duras monitis veracibus aures
Obſtruit infelix, quin & vota impia Theſeus
Præcipitat, miſero jam jam inficianda parenti!
Dum loquor; Hippolytus taciti per litora ponti
Flectit equos, curruque ſedet ſublimis in aureo,
Obſcœna impatiens quamprimum excedere terra.
Scilicet hos properanti animos mens conſcia recti
Inſpirat, triſtiſque fugæ faſtidia mulcet.
Ecce autem horribiles medio de gurgite Phocæ
Erumpunt! turbantur equi, non audit habenas
Currus, & excuſſo rectore per avia fertur.
Labitur, & media Juvenis reſupinus arena
Saxa per & ſcopulos trahitur; deforme cadaver
Lambit humum, morienſque ſuo ſe in ſanguine verſat.
Parce tamen, miſerande puer, tua fata dolere.
Factum inſigne manet par gloria; tempus in omne
Illæſi dabis exemplum immortale pudoris.

TOMI-

TOMIRIS, ſeu ULTIO IMMODERATA.

QUid video? quàm ſe ſe oculis lugubris imago
Objicit! humano quid ſanguine turgidus uter
Abſciſſique caput Regis deforme minatur?
An non uſque datum eſt odio ſatis atque furori,
Immitis Regina? Tuis exercitus ingens
Artibus ecce perit; fato ſublatus eodem
Ille perit Cyrus, famulas cui ſubjicit undas
Euphrates, cui ſervit Arabs, quo vindice Medus
Imperiis gentem Eoam parere coegit:
Et meditaris adhuc letho implacabilis iras?
At nihil accenſam Tomirim movet; una recurſat,
Una animum tangit mactati injuria nati;
Teque ſui incuſans cauſamque caputque doloris,
Crudeles rurſum ad pœnas te, Cyre, repoſcit.
Ergo amens odio, ſtimuliſque accenſa cruentis
Sanguineo caput abſciſſum demergit in utre:
Vociferanſque trahit flammato hæc pectore verba.
Nunc age; qui ſobolis, fudiſti, Cyre, cruorem,
Tu, qui noſtrum etiam demens haurire parabas,
Ecce tibi humani jam copia ſanguinis ultro
Subjicitur; reſtingue ſitim poſt funera ſaltem.

NEMO ANTE OBITUM FELIX.

HUc geminas, huc flecte acies, quicumque ſuperbis
Sorte tua, & vento das turgida vela ſecundo.
Diſce vices varias; dubiæ ludibria ſortis
Diſce, nec humanis nimiùm confidere rebus.
Illa vides, quæ ſe medias pyra tollit in auras,
Fataleſque elata vices, & triſte minatur
Exitium? Jam flamma micat, jam concipit ignem,
Ardenteſque rogus vomit hinc atque inde favillas.
Hæc adeo, ſi fortè roges, cui fata parentur;
Crœſum buſta manent, Lydis qui nuper in oris
Immenſas jactabat opes, tumiduſque potenti
Imperio, & fatis amens felicibus, unum
Inter mortales ſe credidit eſſe beatum.
Illum nequicquam vox hæc præſaga Solonis
Admonuit, nemo eſt ante ultima fata beatus.
Uſque graves monitis clauſit ſapientibus aures.
I, conſcende rogum flammæ devota furenti
Victima; tu ſeclis monimentum triſte futuris;
Ante obitum felix meruit quòd nemo vocari.

LICURGO NAJADUM EPINICIUM,

Ob excisas in Thracia Vites.

NOxia per Thraces poſtquam vineta Lycurgus
Perdidit, & dura vites cecidere Bipenni;
Fleverunt Satyrique leves, Faunique ſub antris
Ingemuere ſuis. Flevit pater ipſe Lyæus;
Teſtatuſque Deos & iniqui juſſa tyranni,
Quæſiit externo ſub ſole jacentia regna.
Parte alia fluviis alacres impune relictis
Najades accelerant, & qua diſperſa jacebant,
Subjectis gaudent ſarmenta incendere flammis.
Ecce autem tenues flamma crepitante favillæ
Dum volitant, paſſimque leves per inane feruntur,
Implicuere manus manibus, feſtaſque per orbem
Exercent circum fumantia buſta choreas:
Teque, Lycurge canunt, læto tibi carmina plauſu
Ingeminant, charumque ferunt ad ſydera nomen.
Vivat io, vivat per tempora longa Lycurgus!
Hic vir, hic eſt, qui peſtiferi mala ſemina ſucci
Obruit, & noſtris hoſtem procul expulit oris.
Non jam compita per muſto madefacta Juventus
Noctes atque dies, magnoque ululante tumultu,
Inſanos acuet Baccho ſtimulante furores:
Vivat io, vivat per tempora longa Lycurgus.

PETRA EXPUGNATA.

URbs erat aeriæ prærupto in vertice montis,
Quam neque multiplici cingebant mœnia foſſa,
Artificumve manus ſolita vallaverat arte.
Aſt uno defenſa ſitu, ſcopuloque minanti,
Ridere hoſtiles poterat ſecura catervas.
Huic natura loci fecit cognomen, & ipſi
Indigenæ proprio dixere è nomine Petram.
Illuc Pellæi proles invicta Philippi,
Magnus Alexander, ſpoliis Orientis onuſtus,
Aſpera victrices agit in certamina turmas.
Ut fortes ventum ad muros, ut ſe agmina longo
Circuitu explicuere; alti per ſcrupea montis
Rimarique viam, Petramque invadere certus,
Tercentum Juvenes ſelectos ordine ab omni
Talibus alloquitur, dictiſque audacibus urget.
O ſocii, tentanda via eſt: majora patraſtis,
Auſpice me: quid enim veteres memorare triumphos,
Quæſitaſve juvat per mille pericula palmas?

Vos & hyperboreis circumobruta ſaxa pruinis,
Hybernaſque nives, atque alta Ceraunia læti
Acceſtis; vos & rapidi ſeptem oſtia Nili,
Euphratemque & præcipites audentiùs amnes
Tranaſtis, Ciliсumque imas penetraſtis in oras.
Ergone terrarum dominos urbs una moretur
O comites? ergo innumeris defuncta procellis
Hoc tandem ſcopulo virtus illiſa fatiſcat?
Ite alacres; certamque animo præſumite laurum.
Hæc ubi dicta, ruunt alacres; ſimul, impete facto,
Lecta cohors urgere moras, in utrumque parata,
Aut urbem capere, aut vitam pro laude paciſci.
Hi pedibus manibuſque uncis ſcopuli aſpera prenſant:
Durum illi ſcrutantur iter, cuneiſque labantem
Suſtentant greſſum, & ſumma nituntur opum vi:
Pars ſocios obnixa humeris, dorſoque repando
Adjuvat; in tergum pars inſilit; altiùs alter
Dum properat, fallente gradu, titubatque ruitque;
Et lapſu ſociorum oculos funeſtat iniquo.
Hic dextra captare parans faſtigia rupis,
Conatu in medio ſaxis affixus acutis
Hæret hians, & opem nequicquam implorat amici.
Parte alia fortem comitis miſeratus acerbam,
Fortunamque parem metuens, tanto acriùs urget
Cœptum opus, & ſcopuli tentat ſuperare cacumen.
Idem omnes ſimul ardor agit: jamque unus & alter
Alta tenent, montiſque jugo, mora nulla, potiti
Auxilio veniunt ſubeuntibus; undique feſtus
Ingeminat clamor: factum ſtupet inſcius hoſtis,
Et victus dat colla jugo, portaſque recludens
Victorem valvis bipatentibus introducit.

EX HISTORIA ROMANA.

ROMULI & REMI FATA.

Excipe tranquillis dulciſſima pignora lymphis
Tybri pater, fluctuſque ultro compeſce tumentes.
Ipſe tibi geminum Thalami felicis honorem
Commendat Mavors, placidum da blandus utrique
Hoſpitium, precor, & præſens averte periclum.
At tibi pro ſcelere hoc, nimiùm crudelis Amuli,
Perſolvant meritas, ultricia Numina pœnas.
Talibus orabat Tyberini ad fluminis undam
Sylvia, & avulſos ripa dum lumine natos
Proſequitur, lacrymis humectat grandibus ora.
Audiit orantem fluvio Tyberinus ab alto;
Et matris ſoboliſque vicem miſeratus iniquam,

Digitized by Google

Excepit manibus pueros, ponduſque verendum
Gaudet in adverſa ſalvum deponere ripa.
Nec mora vicino nemorum lupa prodit ab antro,
Et poſita feritate, volens potanda puellis
Ubera dat. Spes diſce tuas terra hoſpita; diſce
Quanta olim fratres maneat fortuna gemellos;
Paſtos lacte fero, & Martis de ſanguine cretos.

ROMULUS FATORUM COMPOS.

Dum juvenis ſocios inter colludit agreſtes,
Romulus, & vario ſæpe in certamine victor;
Applaudente choro, meritæ fert laudis honores:
Ecce animi fidens, ſeu vis rapit inſita mentem,
Seu propio Mavors afflavit numine natum,
Talibus aggreditur ſocios. Quid bella movemus
Ludicra, quos Superi fata ad majora reſervant?
Cernitis impoſitas præruptis collibus arces,
En noſtra eſt urbs illa, animos ſi nobilis urget
Laudis amor, nomenque juvat virtute parare.
Tantum audete alacres, & ſpes præſumite magnas:
Sufficient Superi vires, & cœpta juvabunt.
Nec plura: exarſere animi; ſimul impete facto
Conjurata cohors, Albam nil tale timentem
Aggreditur, ſtrictiſque hoſtem mucronibus urget.
Fit via vi; rumpuntque aditus, atque urbe potiti,
Regem ad ſupplicium communi voce repoſcunt.
Interea accurrit monitis cœleſtibus acta
Sylvia, victoremque ulnis amplexa ſuperbum,
Macte iſta virtute, inquit; ſic ſanguine Martis
Te genitum eſſe probas, & grandia fata recludis.

ORATIUS LIBERATUS.

Nequicquam oſtentans triplici circumdata lauro
Tempora, Romuleæ defenſor Horatius urbis
Ibat per medios, & buſtum triſte petebat.
Hic verò luctuque amens & percitus ira,
Longævus pater inſtantem perrumpere turbam,
Et cœcos populi tentat mulcere furores.
Nam quò vindictæ, dixit, maleſana cupido
Vos rapit, ò nunquam memores, ò ſemper iniqui
Romulidæ? Sunt iſta mihi, ſunt præmia nato
Quæ datis? hos meruit parta pro laude triumphos?
Quid te, Nate, juvat lucem vitamque peroſum
Armatas fudiſſe acies, & nobile morti
Objeciſſe caput, ne ſubdita Roma pudendo
Colla jugo gemeret, ſceptriſque aſſueta gerendis

Pende-

Penderet ingratum vinclis onerata tributum?
Quin potiùs, pulcrum cùm mors dabat inclyta nomen,
Tertia labenti cecidiſti victima Romæ?
Proh! fratrum ſors læta magis, patriæque tuentis
Involvi tumulo & dextra cecidiſſe Sabina;
Impia quàm diræ ſubmittere colla ſecuri.
Huccine felicis cecidit ſors ultima pugnæ?
Huc tardum adduxi genitor miſerabilis ævum;
Ut coram miſeri crudelia funera nati
Aſpicerem? me, me ah! nec ſit pudor, addite nato
Romulidæ! Namquid deinceps moror? an mihi quidam
Dulce ſuper; poſtquam his oculis lacrymabile vidi
Tergeminæ funus ſobolis? quid deinde ſuperſtes
Infelix genitor producam longius annos?
Vix ea: jam populum lacrymæ movere parentis,
Converſique animis ſtudia in meliora Latini,
Victorem unanimes ærata compede ſolvunt,
Et nato meritoſque patri gratantur honores.

TULLIA

Per calcatum Patris cadaver ad Solium conſcendit.

NAm quò præcipites adigis veſana quadrigas,
Tullia? ſiſte gradum; media quem cernis arena
Exanimem, patris heu! neſcis, informe cadaver
Siſtitur, objectoque viam tibi corpore claudit?
Nil agimus: nullis didicit manſueſcere verbis
Indocilis mulier; regnandi cæca cupido
Obſtruxit duras monitis ſapientibus aures.
Progreditur furibunda; juvat calcare paternum
Corpus, & his gradibus ſolium conſcendere gaudet.
I, nata infelix, ſobolos indigna parente;
Perge reluctantes crebris urgere flagellis
Quadrupedes; ſi quis frigentes fortè per artus
Spiritus errat adhuc, hunc fervidus obruat axis.
Quanquam auriga piger diro parere recuſat
Imperio: excuſſæ manibus labuntur habenæ.
Quin etiam horrenda perculſus imagine, in altum
Attollit ſe ſe quadrupes, ultraque propelli
Impatiens, oculos retro greſſuſque retorquet.
Tu ſenſus oblita pios miteſcere diſce;
Diſce, docente fera, naturam audire monentem.

CURTIUS PRO PATRIA SE DEVOVENS.

INter Samnitum Romanorumque Phalanges
Errabat dubiis anceps Victoria pennis,
Queis daret æternum palmæ felicis honorem.
Cum vox lapſa polo tenueſque audita per auras
Romulidum gratis implet rumoribus aures.
Romæ parta ſalus; ſed enim redimenda cruore
Innocuo: cadat urbis honos & gloria gentis.
Hìc verò patriæ laudis correptus amore
Curtius, ardentes ſub pectore concipit æſtus;
Nec dubitat ſe tota unum pro gente repoſci.
Ergo animi fidens tollenſque ad ſydera vultus,
Dii patrii; vos ò, quorum ſub numine Roma eſt,
Accipite hanc animam; dixit, nec plura locutus;
At ſpumantis equi ſtringens calcaribus armos,
Præcipitat baratroque volens ſe condit aperto.
Fit ſtrepitus, plauſum ingeminant, campoque potiti
Romulidæ, hoſtiles cogunt dare terga maniplos.

REGULUS CARTHAGINEM REPETENS.

VIctor propoſiti, & fortis contemptor iniquæ
Sidonias ultro repetebat Regulus arces.
Fruſtra obluctantem conjux afflicta moratur;
Et ſoboles, pia turba, pedes amplexa parentis,
Tentat inacceſſum lacrymis inflectere pectus.
Ac veluti rupes, circum latrantibus undis,
Quæ ſtat mole ſua, ventorum impune tumultus
Deſpicit; haud aliter non flectitur ille ſuorum
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
Quin etiam impavido parvos, ſua pignora, natos
Reſpiciens vultu, lacrymis, abſiſtite, dixit;
Ac niſi degeneres pigeat virtutis avitæ,
Flectite victrices circum mea tempora lauros.
Nil moror; inflictum Romanæ dedecus urbi
Abſtergam, certumque dabit mors ipſa triumphum.
Vos, dilecta patri ſoboles, hinc diſcite, vitam
Indecorem, ſi fata ferant, poſtponere morti.
Tuque, ò, parce queri conjux! indigna marito,
Ni finem injuſto facias generoſa dolori.

ANNIBAL MORIENS.

ROmulidum innumeris circumdatus undique turmis
Annibal, ut ſenſit nullam ſupereſſe ſaluti
Virtutique viam, & turpi ſibi morte cadendum;

Torva

Torva tuens, grandeſque agitans ſub pectore ſenſus,
Talibus incuſat contraria fata querelis:
An non Auſonii fuſum fatis atque refuſum
Sanguinis eſt; pulcro ut letho Latia agmina rumpens,
Corruerem aggeſtis ſuper hoſtibus? ò ubi virtus,
Romulidæ, veterum proles indigna parentum?
 Scilicet egregium decus, & rem nomine dignam,
Oppugnare ſenem, quem perfidus abjicit hoſtis,
Et veſtro imbellis permittit turba furori!
At non Fabricius veſtræ laus inclyta gentis
Talis in hoſte fuit Pyrrho; ſed & ipſe paratas
Inſidias, hoſtiſque hoſti ſcelus omne retexit.
I, morere; & ſtygias ultro deſcende ſub umbras
Annibal; hoc partis inſcribet fama trophæis.
Non fuit Annibali virtus Romana ſuperſtes.
 Et tu, chare pater, natum excipe. Quam tibi quondam
Solennes Superum vovi juratus ad aras,
Nuſquam rupta fides. Vos conſcia Numina teſtor;
Vos & inacceſſis, quas fregi, rupibus Alpes
Primus, & Auſonio ſudantes ſanguine Cannas!
Me Trebia, & verſis Traſimenus decolor undis
Victorem ſenſit: trepidanti proxima Romæ
Arma tuli: patrios ad manes nobilis umbra
Uſque mei memor, & Romani nominis hoſtis
Deſcendo, vitamque volens cum luce relinquo.
 Sic fatus, gemma clauſum interiore venenum
Hauſit, & eluſo mortis decus abſtulit hoſti.

CÆSAR VISO POMPEJI EXTINCTI CAPITE ILLACRYMANS.

Ne ſit flere pudor, Cæſar; ſibi talia victus
Hoſti ab hoſte petit magnæ ſolatia cladis.
Nam quæ materies luctus magis ampla, vel ipſo
Cæſare digna magis? Totum qui vicerat orbem
Pompejus; cui certa diu comes hæſit eunti
Perpetuoſque dedit victoria ferre triumphos,
En jacet infelix crudeli morte peremptus:
Nec præter deforme caput, concretaque tabo
Ora, ducis tanti reſtat pars ulla ſuperſtes!
 Cernis in extincto vis ut mavortia vultu
Spirat adhuc, fraudeſque malas incuſat amici.
Plus tibi ad Æmathios, Cæſar, victoria campos,
Quàm poteras ſperare, dedit; læta utere ſorte,
Dum licet, & fatis nimium ne crede ſecundis.
Illa potens rerum, magnoſque aſſueta triumphos
Vertere funeribus, tibi nec quondam invida parcet,
Nec caſtris addicta tuis Fortuna favebit.

Triſte miniſterium veteri placatus amico
Ne renuas, memoreſque Dei tibi talia reddant.

MORS CÆSARIS.

Quò te, Brute, rapit vis effrenata furentem?
Ergo ratum eſt? cadet ille manu confoſſus iniqua,
Immeritum qui te patrio complexus amore eſt?
Incautum ſpecies te decipit! & tibi palpat
Libertatis amor, ſceleriſque obtendit honorem.
At tu, quo properas quid triſti occurrere fato,
Et mortem, Cæſar, juvat irritare morantem?
Siſte gradum, tua te conjux exoret, amicis
Ne pudeat monitis ultro parere tuorum.
Cernis ut obſcura nitidum ferrugine Titan
Abſcondat caput; ut lethi prænuncia bubo
Occinat horrendos ferali carmine caſus?
Quin etiam nutare gravi concuſſa tumultu
Curia & ingentem viſa eſt portendere luctum.
Nil agimus, nec verba movent, nec monſtra morantur.
Securus fati ingreditur funeſta Senatus
Limina, multiplici mactandus vulnere Cæſar.
At te, qui tantum potuiſti admittere crimen,
Infelix, par pœna manet; quæ ſanguine tincta
Innocuo, ſontem fundet manus ipſa cruorem.

MORS CASSII.

Victus, & Antoni metuens, quas fugerat, iras
Caſſius, excelſi conſcenderat ardua collis,
Incertus belli ſocios quæ fata ſequantur;
Queis in Juliadem Brutus pugnaverit armis.
Cùm procul obſcuro glomerari pulvere nubem,
Et mediis tenebras vidit conſurgere campis.
Romanæ apparent Aquilæ lateque per agros
Præcipitant; ruit effuſis equitatus habenis;
Scuta virum galeæque adverſo ſole refulgent.
Non tulit hanc ſpeciem fati præſagus iniqui
Caſſius, & triſti perculſus imagine, Brutum
Exanimem cecidiſſe putat; deforme cadaver
Objicitur, cunctas viſus trahere ipſe cohortes,
Cæſar, & inſultans victis extrema minari.
Namquid agam, dixit? cui me fortuna reſervat
Immeritum fato? ſpoliis exutus & armis.
Quò ferar? hoſtis adeſt, Brutoque abſente laceſſit
Brutus ubi eſt, dux ipſe operis ſociuſque laborum?
Dii, quorum auſpiciis fatalia ſumpſimus arma,
Bellaque in infandos cives pugnavimus, an vos

Sic

Sic decuit, juſtas adverſo numine partes
Linquere, & inviſus contra foviſſe Tyrannos?
Interea quæ ſpes miſero mihi denique reſtat?
Victoremne adeam ſupplex, hoſtiſque ſuperbi
Experiar faſtus, dum flagrat dextra cruore
Cæſaris, & numerat noſtros Antonius ictus,
Hujus ego arbitrio moriar, vel munere vivam?
Infandos alii currus pompamque ſequantur;
Et turpem cumulent Roma indignante triumphum.
Non bene confoſſo nobis aſſerta Tyranno
Libertas patriæ, ni poſſit vivere liber
Caſſius, aut ſaltem liber deſcendat ad orcum.
Credo equidem, jam ſe generoſo funere Brutus
Juliadi eripuit, funeſtaque caſtra feſellit.
At non degeneres erimus; Te, Brute, ſequemur;
Speque ſua eluſum pariter fruſtrabimur hoſtem.
Dixit; & aptato pectus mucrone ſub imum,
Fortius incumbens mortis decus abſtulit hoſti.

IN FULVIAM,

Cùm extincti Ciceronis Linguam acu perforaſſet.

NAm quid agis? quò te vis effrenata furentem,
Fulvia, præcipitat? Non eſt ſatis ergo nefandis
Immeritum Ciceronem odiis, dum vita manebat,
Per ſummum vexaſſe nefas? furit ira ſuperſtes,
Nec finit in tumulo placidos requieſcere manes!
Proh! pudor! Illa togæ decus & patrona reorum
Lingua, unum miſeris columen, cui Roma ſalutem
Acceptam defert & libertatis honores,
Pungitur! & ſceleris pœnas innoxia ſolvit!
Anne vereris adhuc, ne fœdæ crimina vitæ,
Ut quondam, læſi vindex generoſa pudoris,
Increpitet, turpiſque domus ſcelus omne retexat?
Nil agis, hæc loquitur, vel dum ſilet, impia quanquam
Abſtuleris vocem, nunquam tamen illa tacebit.
Nam tanti divina viri dum ſcripta vigebunt,
Scripta, vel in ſeros olim victura nepotes,
Teque, tuumque ſcelus cuncta execrabitur ætas.
At te juſta manent, Tulli, ſolatia mortis;
Quæ tibi mortalis ſpatium breve ſuſtulit ævi,
Non tamen eripiet famæ immortalis honorem.

MORS CLEOPATRÆ.

POſtquam Niliacas aditum ſibi fregit ad oras
Auguſtus Cæſar, deſolatiſque maniplis,

Romu-

Romuleas Aquilas fugit Latrator Anubis.
Ut verſis Cleopatra retro fluere omnia fatis,
Vinclaque victoris ſenſit ſubeunda Tyranni;
Hæc ſecum. Num Cæſareos ingloria faſtus
Experiar, Latioſve ſequar captiva triumphos?
Illa manus dudum regnis aſſueta regendis
Induet indecores, ſceptro ſpoliata, catenas?
Non ita: ſperatos fallam vel funere plauſus.
Ne dubites, tumulo tua Te Cleopatra ſequetur
Antoni, & grandem moriens comitabitur umbram.
 Dixit; & extemplo furialibus efferа coeptis,
Conſcendit peritura torum. Mors commoda votis
Adfuit: ecce gravem quærenti abrumpere vitam
Pandit iter calathus; quem latè gemmea florum
Copia, quem plenis prægnantes fœtibus uvæ,
Et niveo ficus diſtendit turgida ſucco.
 Scilicet adrepens calathumque volutus ad imum
Anguis, iniquam animam blando aſpirabat odori.
Reſpexit mulier, ſubitoque exterrita viſu
Palluit; at priſcas revocans in pectora vires;
Ter calatho dextram admovit, ter lucis amore
Victa refert. Vive infelix, ſi vivere tanti eſt,
Vive, triumphanti debes ludibria Romæ.
 Hæc memorans revoluta toro eſt, ſimiliſque cadenti
Impoſuit nudum calatho propiore lacertum.
Senſit onus, totoque innitens lubricus anguis
Corpore, lethiferos tenui dat vulnere morſus.
Ingemuit, Teque, Antoni, ter voce vocanti
Extremus condit fluitantia lumina ſomnus.

AMBITIO IMPOTENS.

DUm jacet ante aras curiſque agitata ſuperbis
 Agrippina Deum ſupplex oracula poſcit,
Expectatque inhians, maneant quæ fata Neronem.
Scilicet extincti poſt triſtia fata mariti,
Nato iter ad ſolium conjux infida parabat.
Ecce leves ſubitò vox interrupta per auras
Labitur & triſti conduplicat omine curas.
Matris cade manum tinget, ſi regna capeſſat.
 Horruit infelix mulier: gelidusque cucurrit
Ima per oſſa tremor: ter victa cupidine vitæ
Sacrilegis voluit mutata abſiſtere cœptis;
Et merito nil tale ſcelus prohibere marito:
At mox fœmineo majores pectore ſenſus
Concipiens, damnatque metus, & talia fatur:
 Ergo tuus, tuus ille Nero crudele Tyranni
Sentiet imperium, Legeſque faceſſet iniquas?

Tu-

Tuque, ò Cæſareo ſata ſanguine turpia ſubdes
Colla jugo; matreſque inter deſpecta latinas
Agrippina trahes turpem ſine nomine vitam?
Uſque adeone mori miſerum eſt? nil triſtia deinde
Fata moror; pereat mater data victima nato,
Sceptra Nero teneat; ſatis eſt vixiſſe parenti.

GERMANICUS MORIENS.

AFfixus lecto Germanicus ultima vitæ
Limina tangebat, nec ſpes erat ulla ſalutis.
Scilicet in medias peſtis furit acta medullas,
Intimaque inſinuans cordis penetralia virus
Lethiferum inculerat corrupto ſanguine tabum.
Conſcius hic facti, morientia lumina volvens,
Uxorem & triſtes, dulciſſima pignora, natos
Vidit & ingemuit, mœſtoque hæc addidit ore:
Agrippina, tui ſi te infortunia tangunt
Conjugis, indigno manes ſatiare cruore
Parce meos; vivat miſerandi funeris auctor,
Non equidem invideo; nil te moror, impie Piſo,
Vive diu; teſtem ſceleris tibi cernere ſolem
Pœna ſit, & rabidis incendi pectora curis.
At Te, ſi qua mei poſt ultima fata remordet
Cura ſuper, teneram, conjux fidiſſima, prolem
Informare juvet; virtutum ſemina mater
Inſere; majorum ſeriem, præclara parentum
Exempla, & patrem non inferiora ſecutum
Retractent memores, &, te narrante, revolvant.
Spero equidem longa redivivum in prole parentem
Romulidæ, dignoſque agnoſcet Roma nepotes.

AGRIPPINÆ IN URBEM REDITUS

Cum Liberis & Germanici Cineribus.

POſtquam Romuleas vulgavit fama per urbes
Brunduſium adventare ratem, quæ triſtia dona,
Quæ cineres miſerande tuos, Germanice, ferret,
Extemplo cunctis populus ſe fundere portis,
Et complere avidus vicini Litoris oram.
Omnibus idem animus; memori ſub mente recurſat
Magna viri virtus exantlatique labores
Et parti toties felici marte triumphi.
Aſt ubi viſa procul non læto remige claſſis
More triumphantum placido ſuccedere portu,
Sed lentis ferri taciturna per æquora remis:
Nulla mora eſt; ingens animos circumſtetit horror.

Inge-

Ingeminantque graves funeſta ſilentia luctus.
  Ibat honoratas portans Agrippina mariti
Relliquias, geminoſque trahens pia pignora natos,
Quæ ſimul aſpexit triſtes hinc inde catervas,
Ecce repentinus ſe tollit ad æthera clamor,
Atque atrox creſcit gemitus, quo pulſa reſultant
Saxa, gravique ſonat litus circum omne tumultu.
Pars mœſtos fatali oculos defigit in urna;
Præſidiumque ingens, rebus ſolamen in arctis
Et raptos queritur Romanæ gentis amores.
Pars Agrippinæ caſtum miratur honorem,
Et fortes lacrymas fletu comitatur amaro.
Pars teneræ ſobolis caſus miſerata, precatur
Fortunam patris abſimilem, ſed fortia facta
Et famam non degenerem virtutis avitæ.
  Plaude vel in juſto, mulier generoſa, dolore;
Plaude tibi; neque enim cecidit Germanicus omnis,
Vivet adhuc, & parte ſui meliore ſuperſtes
Extendet longos memorabile nomen in annos.

BRITANNICUS INTER EPULAS VENENO SUBLATUS.

Quò ruis infelix? quò te miſerabilis error
  Abripit incautum, furibundoque objicit hoſti?
Ah! fuge crudeles epulas, fuge tecta Neronis
Impia; nondum animis odia exſaturata quierunt;
Sed ficto antiqui remanent ſub corde furores,
Et tibi triſte parant media inter pocula fatum.
  Jam non ille Nero eſt veræ pietatis amicus,
Ut quondam, quem vel piguit damnare nocentes.
At nunc....ſed quid ego hæc demens verba irrita jacto?
Mens immota manet; nil deinde Britannicus audit.
Quin etiam ſacrum properans componere fœdus,
Æternumque hoſti jurare paratus amorem
Fatalem poſcit cyathum, ignaruſque pericli
Innocuæ memorem fidei teſtatur olympum.
At pateram vix ille tenet, mors conſcia prædæ
Terque quaterque caput fuſcis circumvolat alis;
Inde ſubit calicem, fundoque immergitur imo.
Dum ſubit illa, videt ſubitò ebullire falernum
Atque inter latices tetrum exſpirare vaporem.
  Horruit aſpectu vicinaque fata refugit.
Verum eheu! quid non ſuadet fiducia! vano
Deceptum ſe errore putat, damnanſque timorem
Infelix juvenis cupido pateram admovet ori,
Peſtiferamque haurit media inter vina Mephytim.
Protinus atra lues udo ſublapſa veneno
Inſinuat ſe ſe, atque atro vorat igne medullas.

Volvi-

Digitized by Google

Volvitur in thalamum præceps, mediaque natantes
Morte oculos nox atra & ſomnus ferreus urget.

NERO SUI IPSIUS ULTOR AC CARNIFEX.

HUc furiæ ſcelerum ultrices properate, domoſque
Linquite Tartareas; non eſt mora longa; nocentum
Interea liceat paulùm requieſcere manes.
Ecce nocens magis & veſtra Nero dignior ira
Objicitur: ſævi pectus crudele Tyranni
Agminibus denſis petite ocyùs. Ille recenti
Cæde madens, & adhuc materno ſanguine tinctus,
Poſcit inexpertas ſceleris, nova victima, pœnas.
Audior erumpunt ardentibus undique tædis
Armatæ Eumenides ſtabulantque in corde Neronis.
Nec Princeps jam ſe capit impius, atque teneri
Impatiens ſcelus omne movet; fera pectora pungit
Indefeſſa cohors, ſtimuliſque ſequacibus urget.
Jam Burrhus fato cecidit damnatus iniquo,
Cum Seneca, virtus quos fecerat una nocentes.
Nec tibi, crudeli conjux indigna marito,
Parcitus, infelix Octavia! chara Neroni
Ante alias paribus cedes obnoxia pœnis.
Sed quid ego hæc? leviora ſequor; majora parantur
Flagitia! en flammis data præda furentibus ardet
Et veteris ſibi Roma timet fata ultima Trojæ.
Ipſe autem celſa Princeps lymphatus ab arce
Deſpicit in media flagrantes urbe favillas,
Et læto ſequitur demens incendia cantu!
At neque vel proprio capiti, Nero barbare, parces.
Dum loquor, ipſe ſuos enſem convertit in artus
Fortiter, abſolvitque Deos: calidumque cruorem
Eructans, luit inferias inſontibus umbris.

PÆTUS & ARIA.

PArcite vos jactare, Viri; ne tanta cupido
Laudis agat; ſæpe ipſa colos contingere virtus,
Fœmineoſque animos ad grandia fingere gaudet.
Floruerat bello Pætus, ſpoliiſque ſuperbus
Egerat inſignes diverſo ex hoſte triumphos.
Quin & Dalmatiam civili accendere motu
Auſus, & in populos mala ſpargere ſemina belli,
Ipſum etiam in Dominum conciverat arma rebellis.
At fortuna ducem media inter cœpta reliquit:
Audaces patuere doli, vinctuſque pudendis
Compedibus trahitur, vulgo plaudente, per urbem.
Nulla mora eſt; furit in Pætum implacabilis ira

Clau-

Claudius, & ſonti lethum parat: horruit ille,
Venit ubi ad trepidas feralis nuncius aures.
Non tamen aut mortis facies, aut Principis ira
Impavidum movere virum; ſed fida recurſat
Una viro conjux, & amor movet unus amantem.
Quò propior Pæto mortis venit hora ferendæ,
Hoc mage creſcit amor; nec vitæ imponere finem
Velle poteſt, finem quia ponere neſcit amori.
  Degeneres Pæti ſenſus, animumque labantem
Agnovit conjux, & ſe cauſam eſſe timoris
Erubuit; fatoque virum propiore trementem
Aſpiciens; abſiſte queri; ſimul ibimus, inquit;
Nec mors atra duos umquam divellet amantes.
Ille graves oculos dilecta in conjuge figens,
Extulit, atque ægro ducit ſuſpiria corde.
  Ipſa autem injuſtas & jam prodire parantes
Abſorbens lacrymas, reprimenſque in corde dolorem,
Extrahit implicita ferrum quod veſte latebat.
Nequicquam exclamat Pætus, cohibetque furentem
In ſua fata manum; gremio jam cuſpis adacta
Altiùs, innocuum biberat tepefacta cruorem.
Nulla mora eſt lato de vulnere fortiter enſem
Aria ſanguineum retrahens, Pætoque miniſtrans
Hæc memorat. Non iſta dolent, quæ vulnera feci,
Sed quæ tu facies tibi vulnera, Pæte, dolebunt.
  Dum loquitur cadit exanimis, triſteſque ſub umbras
Sternit iter fugiens timido generoſa marito.
Hic luctuque amens & corda incenſus amore
Pætus, idem condit tepido ſub pectore ferrum:
Et teneræ exangues ſponſæ collapſus in artus
Amplexuque premit moriens, moriturque premendo.

DOMITIANUS MUSCAS CAPIENS.

PLaudite Romani & ſolennem ducite pompam;
Cras, ubi puniceos Aurora retexerit ortus,
Quadrijugis invectus equis, oſtroque ſuperbus
Cæſar aget currum Tarpei ad culmina montis.
Scilicet infeſtam non uno vulnere muſcam
Stravit; & ingenti ditavit Tartara præda.
  Infelix nimiùm, nimiùmque incauta volucris,
Intima magnanimi quæ Cæſaris auſa ſubire
Atria, regales potuiſti abrumpere ſomnos;
Et frontem circum anguſtam, ſacra tempora circum,
Terque quaterque volans veſanos edere bombos.
Non tulit, at tumidas ſubitò ſuccenſus in iras
Flavius, arma fremit, muſcamque in prælia poſcit.
Præcipiti früſtra illa leves tremefacta per auras.

Tentat

Tentat abire fuga; vanos fruſtra orbibus orbes
Implicat eludens; qua ſe cumque improba pennis
Parte tulit, ſtricto uſque ſequens ſuper advolat auro.
Et tandem miſeram dexter capit, atque paventem
Orantemque levi nequicquam multa ſuſurro,
Aurata transfigit acu, cadit illa, cadendo
Dat gemitum, & ſtygias fugit indignata ſub umbras.

INSIDIOSÆ HELIOGABALI DELICIÆ.

NOn ſolis inimica nocet Roſa ſentibus; ipſum,
Quis credat? quod purpureus flos mollius offert,
Pertentatque avidos blanda dulcedine ſenſus,
Lethiferum inſpirat ſecreta fraude venenum.
Vos ego, vos lecti teſtor, pars magna Senatus,
Quos olim Idaliis media inter gaudia cœnæ
Floribus oppreſſit vis inſidioſa Tyranni.
Scilicet imprudens dapibus dum turba paratis
Lætiùs indulget, dulcique undantia Baccho
Pocula certatim exhaurit; laquearibus aureis
Ecce tibi roſeus paulatim depluit imber,
Convivaſque hilares verno perfundit odore.
Hinc nova lætitiæ venit ſeges, hinc novus ardor
Feſtivum celebrare diem, cunctique viciſſim
Inſolitas mirati artes plauſere Tyranno.
Interea creſcit nimbus, menſaſque toroſque
Complet odora lues, & iniqua mole fatigat.
Tum patuit demum vis exitioſa Tyranni;
Sed vitare dolos non jam datur; obruit omnes
Florea tempeſtas, tumuloque involvit eodem.

THEODORICUS MORIENS.

EXpertus triſtes furioſi Principis iras
Symmachus, innocuam ſub iniquo vulnere vitam
Finierat. Miſerum interea, quem criminis urget
Conſcia mens dudum, furiis data præda viciſſim,
Ipſe parem in pœnam ſe Theodoricus agebat.
Scilicet occurſat lacrymabilis uſque perempti
Umbra viri, & mentem comes importuna fatigans,
Crudeli nullam requiem dat habere Tyranno.
At dum ſollicitos animi lenire tumultus
Nititur, & lauto celebrat convivia luxu,
Porrectum in patina caput admirabile piſcis
Siſtitur: obſtupuit viſu perculſus acerbo
Infelix Princeps, namque à cervice revulſum
Symmachi eum caput, & diris ſtillantia guttis
Ora videt, triſteſque audit prodire querelas.

Hic

Hic verò luctuque amens victuſque timore
Non pudet ah? veſtro ſic regi illuditis, inquit?
Ferales removete epulas: ceſſatis? Amici
Ferte citi ferrum & flammas, date tela, rebelles
Ulciſcar.... Tuque ante alios crudelior omnes,
Symmache, quid veteres producere longiùs iras,
Dure, placet? ſi nondum odia exſatiata quierunt,
En tibi nuda patent; perrumpere pectora ferro
Ne dubita, noſtroque ſitim ſaturare cruore.
  Sed quid ego hæc, aut quæ verſat ſententia mentem?
Agnoſco meritas violati numinis iras,
Ultoremque Deum experior, quem proſpera fata
Dum fluerent, toties ſum dedignatus amicum.
Terrarum cœlique ſator, Regum arbiter unus,
En devota cado tibi victima; plecte nocentem,
Ut merui; neque enim capiti quæ pœna nefando
Impendet, fugere eſt animus, nec deprecor, illam
Ante ſcelus veniſſe velim. Deus alme, precari
Si quid adhuc liceat, ſi quid ſperare nocentem;
Ulteriùs nè tende odiis, neve ira ſuperſtes
Duret ſollicitæ poſt triſtia tempora vitæ.
Plura parat Theodoricus dum dicere, nigris
Interea mors ſemianimem circumvolat alis.
Torpent membra gelu, mediis vox faucibus hæret,
Ægraque in æternam clauduntur lumina noctem.

CAR-

CARMINA DE VARIIS ARGUMENTIS.

AUGUSTIS MAGNI CONDÆI MANIBUS SOCIETAS JESU PRO LEGATO SIBI CORDE GRATIAS AGIT.

Condæi cineres, tuque ò decus addita Divis
Inclyta mens, oro, cœli de parte ſuprema
Aſpice nos, & quas magno pro munere grates
Exiguas memori de pectore ſolvimus, audi.
Hactenus heu! nimio vox intercluſa dolore
Arcanos animi nequicquam effundere ſenſus
Tentarat; ſed gratus amor ſuſpiria tandem
Impatienſque moræ lacrymas compeſcere juſſit,
Et vel per medios geſtit ſe prodere luctus.
Unde tamen, Condæe, tui præconia cordis
Expediam, aut tanto quæ ſit par gratia dono?
Fortunata nimis! non ſi quas Lydius amnis
Fundit opes, aut quas pretioſo volvit in alveo
Gangis arena, dares, tantum, Condæe, dediſſes.
Ecquid enim tali certet cum munere, vel qua
Regales penſare queant Cor nobile gazæ?
Tu teſtis, Germane, mihi, tu teſtis, Ibere:
Magnanimi ſub corde viri quam vivida virtus
Arderet: ſenſiſtis enim & meminiſſe poteſtis
Experti, veſtras olim cum verteret arces,
Aut fuſas ageret trepida formidine turmas.
Vos etiam, Galli Proceres, fortiſſima, teſtor,
Pectora: queis duros Martis tolerare labores
Condæo duce contigerit; quos adderet ignes,
Dicite, quos ſtimulos ad grandia facta moveret
Condei Cor impavidum, cùm fulminis inſtar,
Primus in hoſtiles rueret nudo enſe catervas.
Sed quid ego hæc autem? Fas ſit, quæ novimus ipſi
Prodere, quandoquidem illius, dum vita maneret
Arcanos penetrare ſinus, atque intima cordis
Sæpe ſubire datum eſt, ita nos Condæus amabat!
Illic priſca Fides, Candorque, & conſcia recti
Sancta Themis, verique tenax Conſtantia; ſedem
Delegere; ſuos illic habuere penates
Majeſtas & honos; rebus par uſque ſecundis,
Et dubiis nuſquam virtus infracta periclis.

Digitized by Google

Cætera quid fando memorem, quam ſedulus ardor
Formandæ ſobolis, quam cura antiqua ſuorum,
Quantus Regis amor! Nec te, LODOICE, latebat,
Nec lacrymis caruere genæ, tibi Litera quando
Ultima CONDÆI morientis verba referret.
Hoc munus, CONDÆE, tuum eſt, Cor pignus amoris
Dulce tui; quanquam nil pignoris hujus egebat
Jam teneris animus primùm ſpectatus ab annis.
Sat fuerat, noſtros, CONDÆE, quod inter alumnos,
Ætas dum ſineret, non dedignatus haberi,
Cingere Phœbæa voluiſſes tempora lauro:
Sat fuerat, noſtris per te quod credita muſis
Progenies, ſpes una domus, decoriſque paterni
Æmula: & illa animo, redit æternùmque redibit
Lux olim meliore mihi ſignanda lapillo.
Tu quando tenerum Clarii in penetralia montis
Formandum adveheres ſtudiis CONDÆE Nepotem.
Hæc mihi ſufficiant: minùs at CONDÆUS amaſſet,
Ni poſt fata ſuos etiam extendiſſet amores.
Ah! memini, quanquam refugit meminiſſe, timetque
Vix bene ſopitos animus renovare dolores:
Ah! memini! extremus cùm vix ſuper halitus ore,
Ingentemque efflare animam, CONDÆE, parares,
Cùm luctu pœne exanimis, duraſque precatus
Pro te quiſque ſubire vices, vota, irrita vota
Funderet, alloquio ſic nos ſolatus amico es.
Dilecti ante alios, extremum pignus amoris
Cor ſervate meum: qui vos, dum vixit, amavit,
Et velit extinctus, ſi fas, CONDÆUS amare.

IN FOLLEM FABULA.

Cur tantos gemitus ventoſo è pectore Follis
Ducat inexpletum, & flamma propiore querelas
Uſque iteret, res eſt memorari carmine digna.
Idalios ſaltus Cypriique umbroſa vireta
Liquerat; & geminis per cœlum invecta columbis
Alma Venus, Lemnum Vulcania tecta petebat.
Interea Brotheo, conjux quem Mulciber olli
Miſerat, & florum curam commiſit & horti.
Hortus erat paſſim areolis diſtinctus amœnis,
Hortus, amor divæ Veneris, cui myrtea ſepes
Atque intertextæ dant propugnacula lauri.
Intus multiplici ſe ſe circum ordine florum
Fundit odora ſeges, variosque oſtentat amictus.
Lilia mixta roſis, immortales amaranthi,
Narciſſi, violæque, & pallentes anemonæ;
Et quos fecit amor flores; quibus uſque remanſit

Tem-

Digitized by Google

Tempore ab hoc primum mutato in corpore nomen.
 Huc aditus ſoli Zephyro fuit; horridus horto
Ejectus mœret Boreas; fruſtraque minaci
Circum clauſtra fremens, flatu perrumpere tentat,
Dudum animos iraſque graves præſentia Divæ
Vicerat, inſanos contemnere ſueta tumultus.
At poſtquam Cyprios Venerem liquiſſe Penates
Perſenſit Boreas; ſtridentibus advolat alis;
Cuſtodemque horti Brotheum, molliſſima nactus
Tempora, promiſſis, & amico munere palpat.
 Continuò patuere aditus, foribuſque revulſis
Irruit inſultans, hortoque potitus aperto,
Infandum exercet flatu populante furorem.
Jam molles periere roſæ, periere hyacinthi:
Sternuntur violæ; cedunt tremefacta procellis
Lilia, narciſſique volant ludibria ventis.
Ut vidit; trepida Zephyrus formidine fugit
Ad Venerem, & triſti vix talia voce profatur.
Dum licet, ah! propriis fer opem, mitiſſima, rebus.
Hortos victor habet Boreas, Brotheique nefandis
Artibus, immiſſi regnant per gramina Cauri.
Accelera, miſeri pereunt, tua gaudia, flores.
 Haud animo tantum potuit perferre dolorem
Victa Cypris, ceciditque ſuper revoluta maritum.
Aptabat magnos opera ad fabrilia folles
Vulcanus, queis igni animos vireſque miniſtrat.
Excuſſi manibus folles; amor iraque mentem
Præcipitant; & torva tuens, ſic credita ſervas,
Improbe, ait, ſic prodis opes? nec plura locutus.
Horret ad aſpectum Brotheus, oculoſque minaſque
Dum vitare parat, follis ſe condit in alvo.
Nec latuere doli natum Jovis: Haud mihi vilis
Tanti ſanguis, ait, ſed in iſto carcere ſolves,
Tartareos adjuro lacus, pro crimine pœnas.
 Æſtuat infelix ſpatio concluſus iniquo;
Rimatuſque viam Brotheus, quà ducat anhelis,
Inque vicem acceptas reddat pulmonibus auras,
Follis in extrema, quod ſe offert parte foramen
Implevit pando, ſociis nova fabula, naſo.
Protinus Ignipotens arrepto tempore, Brothei
Naſum infelicem mordaci forcipe prenſat,
Multa reluctanti, &, parvi, de more canalis,
Circinat extendens, vincloque coercet aheneo.
Nec ſatis eſt, Steropem nudiſque Pyracmona membris
Imperat infeſtis nares immergere flammis.
Hic ſceleris memor, obſcuro de carcere longos
Dat gemitus, imoque trahit ſuſpiria corde:
Vulcanus gemitus Brothei & ſuſpiria ridet.

AURUM LITERARUM PERNICIES.

TAntane te noſtri ceperunt tædia? nam cur
E manibus toties fugitivum elaberis aurum,
More tuo, rapidiſque volas velocius Euris?
Hæc nuper, ſteriles incuſans ſæpe camœnas,
Dicebam vates, loculis dum nullus in imis
Nummus erat, cunctoſque ſinus ſcrutatus inanes,
Nil video, præter quas nevit aranea telas.
Quid facerem? cytharam arripui, ſi fortè canoris
Ingratum liceat fidibus lenire dolorem.
Interea captæ volucres dulcedine cantus,
Certatim ſe ſe agglomerant, ſylviſque relictis
Arrecta melos aure bibunt, plauduntque canenti.
Ipſæ etiam fagi, ipſæ etiam ſentire videntur
Auritæ modulos duro ſub cortice pinus;
Ad numeroſque movent frondes. Quin flumina curſus
Continuere ſuos, & molli viſa ſuſurro,
Nunc rauco varios imitari murmure cantus.
Hic ego dum blandis amo fallere tempora nugis;
Aureus en incude recens mihi nummus ab alto
Devolat. Inviſi ſed quis Deus extitit auctor
Muneris, incertum eſt: tenues niſi fortè per auras
Disjecit lætæ impatiens Diſcordia fortis.
Proh! fulgor, proh quantus erat! non pulcrior unquam
Luna micat, plenis cum junxit cornibus orbem.
Non lucis pater ipſe, diem mortalibus ægris
Cum revehit, thalamiſque recens emerſus eois.
Optato recreat languentes lumine terras.
Tunc quoque me, ut reliquos, auri deluſit inanis
Fulgor; & exclamans, adſunt bona Numina, dixi,
Vatibus, & ſuperis ſunt dulcia carmina curæ.
Nulla mora eſt; donum accipio venerabile lætus;
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, juvat uſque tueri,
Nec corda expleri poſſunt, oculive tuendo.
Nummi tantus honos & gratia tanta metalli!
Materiam vincebat opus; nam dextra periti
Artificis vivo vultus cælarat in auro,
Auguſtos vultus; qualis Mavortis imago eſt;
Cum trepidas funeſta movens it bella per urbes,
Impellitque acres, populorum in funera, currus:
Aut qualis divum ipſe pater, cum bella peroſus
Arriſit, cunctiſque facit bonus otia terris.
At, dum tracto manu funeſtum munus avara,
Inque ſinu refovens, olli figo oſcula mille,
Omnis ripa ſilet, nemorum ſiluere receſſus;
Et noſtris volucres, quæ reſpondere ſolebant,

Can-

Cantibus, in ſylvas ſe ſe intra tecta recondunt.
Namque mihi jam nullus amor cantare ſub umbra,
Aut doctas pulſare fides: deſpecta jacebat
Barbitos, & celſa pendebat inutilis ulmo.
Mordaces etiam circum præcordia curæ
Accelerant, vigileſque metus; pax blanda recedit,
Et fugere procul placidæ bona gaudia mentis.
  Obſtupui, & tacitus cauſas dum quæro latentes,
Haud longùm latuere doli, dulceſque metalli
Inſidiæ. Tunc plectra manu cytharamque reſumens,
I procul, i, dixi, donum exitiale camœnis.
Pars tecum mihi nulla ſuper: non ſunt mihi tanti
Divitiæ: noſtros ſolabitur una dolores
Barbitos, & gazis me Regum æquabit opimis.
Continuò revolant hilares læto agmine riſus,
Et ſolita recreant ægram dulcedine mentem.

IN HYEMEM QUÆ GALLIA TOTA SÆVIIT ANNO 1709.

JAm dudum Francis Zephyrus regnabat in oris,
Veſanoſque hyemis clementior aura furores
Mulcebat, cunctos, Borea indignante, per annos.
Interea Nymphæque hilares, Dryadeſque puellæ,
Naiadumque cohors fluviis volitare relictis
Rura per, inque vicem manibus per mutua nexæ
Exercere leves, cythara modulante, choreas.
  Ecce autem Heſperidum dum longiùs errat in hortis
Imprudens Zephyrus; dum nunc per amœna vireta,
Nunc ſuper areolas volitat, mollique ſuſurro
Obſtrepit, & flores inter nugatur amicos.
Nacti aditum facilem madidis Notus horridus alis,
Et Boreas immanè furens, creberque procellis
Africus, in latos ſe ſe facto impete campos
Præcipitant, triſteſque cienr per inane tumultus.
Continuò ruptis nix depluir undique nimbis:
Terra riget, curſus glacie frenantur aquarum.
Tum verò inſanas dum vis inimica procellas
Excitat, ad proprios recipir ſe turba penates
Naiadum, fluvioque procul ſe condir in alto.
Nec minus hinc Dryades, Nymphæque & cætera ruris
Numina ſecretas quærunt fugitiva latebras.
  Quin & Apollineum frigus penetrabile montem
Occupat, & ſolitos audet turbare labores.
Aonidum concreta gelu nam Pegaſis unda
Duruit, & prohibet ſacros haurire liquores;
Carminibus ſuus unde lepos & gratia creſcit.
Ipſe etiam in ſtabulo concluſus Pegaſus alto
Excipe Aonios dorſo negat alite vates.

Digitized by Google

Interea Francas Zephyrus remeabat in oras,
Jamque propinquabat, cum triſtes eminus agros
Aſpiciens, blanda quos dudum afflaverat aura;
Ergo mihi Boreas conceſſos, inquit, honores
Invidet, & noſtro regnat dominator in orbe?
Tuque adeo hæc pateris, Divum pater? at tibi ſacram
Quis celebret lucem, gelidi dum turbine venti
Terram agitant, diroſque movent impune tumultus?
Jam ter quinque dies latebris damnata juventus
Ire videt, meritumque tibi non reddit honorem.
Da, precor, inviſos hoſtes, ſi cura tuorum
Ulla ſuper, procul in Scythicos depellere fines.
Audiit orantem Omnipotens; Boreamque Notumque
Cæteraque in noſtris incommoda flamina terris
Trans pontum jubet in patrios migrare penates.
Continuò gelidus canis de montibus humor
Liquitur, & ſolito decurrunt flumina curſu.
Mox deſolatos Zephyri levis aura per agros,
Ereptos riſus, ereptaque gaudia reddit.

HOSTES AMICI.

SÆvus Amor ſpoliis hominum Divumque ſuperbus,
Et pharetram certumque rotans pueriliter arcum,
Jactabat Cypriis nil non ſuperabile telis.
Cum ſubitò immiti Mors ſe tulit obvia falce,
Victrix ipſa etiam & multis ornata trophæis.
Continuò, ceu jam victoria certa maneret,
Mortem ridet Amor, pariter Mors ridet Amorem,
Ceu jam lethiferis moriturum crederet armis.
Tum puer; ergo meos ſiſtat Mors una triumphos,
Nec cui Cœlicolæ cedunt, anus improba cedat?
Sic fatus. Tumido contra Mors intonat ore.
Quò ruis imprudens? quæ tanta inſania menti?
Quidve paras? cur fata ferox prævertere geſtis?
Talia fundebant diris convicia linguis.
Sed piguit certare minis: jamque arma furentes
Corripiunt, miſſiſque ineunt nova prælia telis.
Sed fruſtra: Mors Idalio non vincitur arcu;
Inſtantis neque Mortis Amor fera ſpicula ſentit.
Ergo poſt caſſos ictus vanoſque labores;
Cùm neuter poſſet contundere viribus hoſtem;
Unanimes ambo junxerunt fœdere dextras.
Nec ſatis eſt: pignus nunquam violabile pacis
Mors & Amor dant tela ſibi. Dein vulnus Amoris
Sæpe fuit lethale, & Mortis amabile vulnus.

DI-

DIRÆ IN VULCANUM.

Quod optimi Poetæ Carmina igne periiſſent.

VAh! cœli Vulcane pudor! vah! dedecus ingens
Cœlicolum, & ſummo proles indigna Tonante!
Ergo-ne ſacrilegis potuiſti abſumere flammis
Carmina, quæ doctus ſua dicere poſſit Apollo;
Carmina dulciloquis non inficianda Camœnis?
Non argumento reverentia debita ſacro;
Eloquii nec mitis amor tenuere furentem?
Si tibi, ſi juſtas converſus lector in iras,
Averſo ſcriptos permittat Apolline verſus;
Attamen hos decuit trepidis allambere flammis;
Inſcriptumque Dei nomen ſervare verendum.
Sed quis præcipitem furor inconſultus adegit
Divinum inſidis carmen violare favillis?
Scilicet Aonides, præſentia Numina Vatum,
Deſpectæ tibi ſunt, nec dulcia carmina curas?
At tibi pro ſcelere immani, pro triſtibus auſis,
Hoc vates, Superis gens exaudita, precamur.
Te quando æthereis expulſum ſedibus olim,
Deformem indignans divo de ſanguine prolem,
Jupiter in terras cœlo dejecit ab alto;
Tunc luxata tibi eſt graviori tibia lapſu.
Jam brevior pes dexter eat, fiatque ſiniſter
Longior, & dubio titubans ad ſingula greſſu
Durius offendas: ſaxo dum fractus acuto
Turpe caput, juſtas dederis pro crimine pœnas.
Sed quid ego hæc autem? Meritis leviora precamur.
Te potiùs raptum accenſa fornace recondant
Fruſtra obluctantem Brontes Steropeſque procaci
Cum riſu: poſitumque altis incudibus ambo
Æterno tundant luxatum verbere corpus.

METAMORPHOSIS PUERI IN EBUR VOLATILE.

EXuerat pharetram ex humeris arcumque ſonantem
Idalius puer, & ſpoliis indutus opimis
Ibat materni ſpatioſa per atria tecti.
Circum mille joci, circum chorus omnis amorum
Fallebant variis felicia tempora ludis.
Hos inter puer ignotus ſubrepſit, amori
Omnia pennigero ſimilis; nam plurima labris
Gratia, multus honos tenero fulgebat in ore.
His ſuper Idaliæ raptas ſine more columbæ
Aptarat molles humeris implumibus alas.

At dum turba levis medias impune per auras
Hinc atque hinc volitat certatim: Hic ventris obeſi
Mole gravis, tardamque trahens inglorius alvum,
Proditur, & fraudem puerum gens prava retexit.
Diſſimulat tamen, & raptum per inane puellum
Projicit ad metam alternans, manibuſque viciſſim
Accipit & reddit, riſuque illudit amaro.
At dum per medios nunc huc, nunc miſſilis illuc
It puer, & lætæ præbet ludibria turbæ;
Fraude mala implumem lugens Cytheræa Columbam
Agnovit pennas humeris puerilibus aptas.
Et procul indignans, pueros juvat inter amores
Ludere, ait? tibi mox dabitur, maleſane, quod optas;
Hinc adeo pila tu fies & ludus Amorum.
Dixit & in ventrem ſubitò concrevit eburneum
Infelix pueri moles; tum flexile collum
Deſuper obriguit. Lamentis ora patebant;
Ora ſed Idaliæ plumis impleta columbæ.
Crudeles placuere joci, matrique Cupido
Annuit, & ludis riſit gens prava repertis.
Dein habilem, quò ſe puer ambitioſus agebat,
Certatim incurvant dextris ſolertibus arcum,
Committunt extrema duo vincliſque coercent.
Nec ſatis eſt; pulcro juvat inſudare labori;
Ingenium labor ipſe facit; nam flexilis arcus
Qui reſtabat adhuc nervus ſuper, haud mora ductum
Invarias longo hinc atque hinc molimine partes
Intexunt habilique manu per quadra figurant.
Jamque adeo dextram inſtructi puerilibus armis
Pennatum pars mittit ebur, pars altera miſſum
Excipit, & varios pulſando reciprocat ictus.
Ex illo Divos pueros imitata juventus
Pennatos gaudet globulos verſare per auras.

METAMORPHOSIS EBRIORUM JUVENUM IN LAGENAS.

TEmpus erat, quo plebs medias larvata per urbes
Inſani celebrare ſolet Trieterica Bacchi,
Et priſcos revocat tanto poſt tempore mores.
Tum verò Juvenum virides effuſa per hortos
Læta cohors, epulas inter, luſuſque, jocoſque,
Et choreas hilares, multo ſe impleret Jaccho;
Ambroſios repetens iterumque iterumque liquores.
At poſtquam agnovit nil jam ſupereſſe falerni;
Tum vacuos calices exhauſtaque pocula mœret,
Et fortem indignans, confuſo murmure Bacchum
Increpitat, longiſque ciet clamoribus auras.
Huc ades, ò Lenæe pater; lepidiſſime Divum.

Huc

Huc ades! exhauſtis, viden' ut jam mitia deſunt
Dona cadis? rurſum madeant ſiccata Lyæo
Pocula, & in vacuis renoventur vina lagenis.
  Audiit, & turbæ riſit veſana procacis
Vota Deus: Quæ vos, inquit, quæ tam aſpera fauces
Inceſſit rabies, quæ nullo extinguitur hauſtu?
Hæc vobis explenda ſitis: neque munera noſtra
Deficient, fors & vinum petiiſſe pigebit.
Dixit; & in totidem Juvenes jubet ire lagenas.
  Nulla mora eſt; lento circum undique & undique corpus
Vimine contegitur, mox altius ardua colla
Exſurgunt, tereteſque ferunt mutatæ figuras.
Ex illo, proprios alio ſub corpore mores
Servat adhuc maleſana cohors, titubanſque lagena
Stare loco neſcit niſi multo impletur Jaccho.
Cùmque exhauſta jacet, credas & plangere ſortem.

MORTIS DE PRINCIPIBUS VIRIS TRIUMPHUS.

IAm totum imperio & duris ſub legibus orbem
  Subdiderat, partoque ibat Mors læta triumpho.
Ecce autem excelſas, Regum palatia, ſedes
Rimanti, denſus dextra lævaque ſatelles
Occurrit, ſtrictiſque aditus mucronibus horrent.
Quid faciat? qua vi? quibus artibus invia tentet
Limina, & occluſam victrix irrumpat in aulam?
Morborum indignans turbam vocat: ocyùs omnes
Erumpunt Stygiis, rupta tellure, cavernis,
Et Mortem circumveniunt. Stetit arida Febris
Occultas afflans accenſo pectore flammas.
Dein longo veniunt examine, Tuſſis anhelans,
Et laterum dolor, & præpingui mole Podagra,
Fumoſique ignes cerebri; perque intima ſerpens
Viſcera, Lethalique agitans dolor ilia motu.
  Mors ſtetit in mediis, tumidoque hæc pectore fatur:
Tandem fauſta dies & ineluctabile tempus
Illuxit, fidi comites; quo nemo reſiſtat
Deinde mihi: certum eſt aulam penetrare potentum,
Et malè ſecuros communi involvere fato.
Quod vis forte neget, dabit ars nova. Lauta parantur
Principibus cras inſolito convivia luxu.
Jamque adeo tota urbe dapes, & Maſſica primæ
Vina notæ ſtudio famuli certante requirunt.
Ocyus his taciti ſuccedite: mox ubi menſas
Furtim inſtillato vitiarit quiſque veneno,
Intima commixtus Procerum per viſcera gliſcat:
Protinus ingenti miſcebitur aula tumultu.
Interea telis dextram ſuccincta cruentis

Ipſa

Ipſa adero: trepidas me me inſinuabo per ædes,
Atque improviſa victrix dominabor in aula.
Aſſenſere omnes & læti juſſa faceſſunt.
Febris atrox petit ima cadi, pariterque Podagra
Ægrè ſpumanti patulum caput abdit Iaccho.
Namque ut pinguis, iners, craſſa ſe mole ferebat,
Parvum eluctanti luxaverat oſſa foramen.
Hinc adeo Procerum ſpatioſæ per atria greſſu
Difficili, aut geminis it ſuſtentata bacillis.
At Pepone humores crudi latuere ſub imo,
Pigra cohors: ruit in leporem, lumboſque caputque
Inficiens, auris mœror torpentibus afflat.
Involat in glaciem, gelidoque in corpore Tuſſis
Ultro habitat, ſtomachique dolor petit intima Fungi.
Ecce autem menſis dum regia turba remotis
Exſurgit, ludoſque parat, graſſatur in omnes
Morborum furiata cohors: olli horrida Febris
Torrentes artus depaſcitur: ægra Podraga
Huic ligat articulos: illum indigeſta ferinæ
Fruſtra premunt, pectuſque acidis humoribus implent.
Interea Mors ipſa venit: tum, falce reducta,
Adverſos irata petit, mactatque ruitque,
Atque repentino turbat nova gaudia luctu.

UNDE MEDICORUM IN ORBEM PROFLUVIES.

DEjectus cœlo quondam Vulcanus ab alto
Dum cadit in præceps, rapido per inania lapſu
Luxatuſque artus, nec non pede debilis uno
Figebat dubio veſtigia lubrica greſſu.
Protinus inſigni Medicorum ex ordine turba
Convenere. Aderat pullata in veſte Melampus,
Phillyrideſque ſagax, & cum Chirone Machaon,
Nec non Phœbæa celebris Podalirius arte
Auxilio ſubeunt. Hic odoriferam Panacæam,
Ille ſalutiferam redolenti è pyxide Nardum
Depromit, mites alter jactantior herbas.
Pars altum obducit vulnus; pars multa ſalubres
Diffundit phialis ſuccos, pars dulcia miſcet
Fomenta, ingratum ſi fors mulcere dolorem,
Oſſaque nativæ ſi poſſint reddere ſedi.
Sed fruſtra: exuperat dolor, ægreſcitque medendo.
Ergo moræ impatiens, phialas & pharmaca longè
Projicit, iratoque Deus ſic intonat ore.
Ite procul reſides animæ; ſatis uſque Tonantem
Et ſuperos luſiſtis, ait; fraus nota, dolique,
Veſtraque deluſo manifeſta inſcitia cœlo.
Nam cur ambroſio jamdudum Jupiter hauſtu

Per-

Perfuditque avidas repetito nectare fauces,
Sanandis ſi nulla ſuper medicamina morbis?
Quin agite: & ſi cui præſens in pectore virtus,
Hic, artis medicæ ſpecimen, luxata reponat
Sedibus oſſa ſuis. Nec plura effatus; & iræ
Impatiens rapit arma manu, ſtolidamque cohortem
Inſequitur, properatque ſuo mactare dolori.
Tunc illi celerare fugam, totumque per orbem
Effuſi procul, in terras ſubiere nocentes.
O utinam, Vulcane, tuo data præda furori,
Gens inimica gravi periiſſet tota ſub ictu,
Nec peteret triſtes populorum in funera terras!

IN PERVERSUM PARENTUM IN LIBEROS AMOREM SATIRA.

O Veterum mores! ò ſancta exempla Parentum!
Secula quàm diſtant ſeclis auſtera ſolutis!
Namquid ego hìc patria indignos virtute nepotes
Degeneraſſe querar? Nunquam heu! tam læta redibunt
Tempora; cùm prudens genitor, cùm ſedula mater
Vix bene depulſos nutricis ab ubere natos,
Nutrices colere Aonidas, curaſque juberent
Ferre graves ſtudiorum, animumque appellere chartis.
Nunc perdit pueros nimia indulgentia patrum!
Ac veluti teneros, dum ſtringit Simia, fœtus
Enecat imprudens, & prolem perdit amando.
Haud aliter ſtulti præfocant blanda parentes
Pignora! Namque puer dum vitæ aſſueſcit inerti,
Delicias inter molles, mala ſemina ſenſim
Alto corde bibit, vitiis alimenta futuris.
  Aſt ubi triſte venit nimiumque inamabile tempus,
Ædibus è patriis doctas formandus ad artes
Cùm rapitur, Muſiſque puer mandatur Alumnis;
Quis triſtes memoret gemitus, longóſque dolores?
Suſpirat genitor, mater ciet æmula fletus;
Luctiſonis totas nutrix ululatibus ædes
Accendit. Puero credas extrema parari
Funera. Luminibus ſiccis comitatur euntem
Sola cohors famulantum, & pondus inutile gaudet
Longiùs eſſe domo, ſeque ægra mole levari.
  At non, chare puer, non commendatus abibis.
En adſunt vecti bigis materque paterque
Palladis ante fores. Jam ſtridet limen ahenum;
Et rapidi cunctis de partibus orbita currus
Perſonat emotas, fremitu ſtridente, feneſtras.
Nulla mora eſt; adſunt, ſtudiis qui rite regendis
Præficitur, juſto qui temperat ordine mores,

Et

Et cui cura domus cecidit: quos alma ſalutat
Cum puero mater, verbiſque ita fatur amicis.
Ecce puer, puer ecce meus, ſpes unica magnæ
Solamenque domus, (nato ſimul oſcula libat)
Si quis amor, laxis, oro, ſpatietur habenis.
Ne mihi dilectum verbo nec verbere natum
Tundite, nam tener eſt; vox durior aſperet aurem,
Frigidus ante pedes veſtros ruat. Haud mihi tanti
Parnaſſi fuerint latices, Phœbæaque laurus.
Hoc unum ſatis eſt, veſtro ſi munere poſſit
Vivere, & incolumis ſtudiorum abſolvere curſus.
Quod ſi forte, precor, Dii, talem avertite caſum,
Peccantem meritas par eſt expendere pœnas,
Vos pueri, vos & matris miſeratio tangat.
Non erimus facti immemores, matrique patrique
Certare officiis, dignaſque rependere grates
Si liceat, vos & curam impendiſſe juvabit.
Quod ſupereſt, ne penſa rudem graviora fatigent.
Hæc mater; pater hæc audis uxorius? ambo
Sic teneros vitiant ſtudiis communibus annos.
Quid mirum, ſi bina puer poſt luſtra reviſat
Segnis ut ante lares; Phæbuſque remittat alumnum:
Depaſtum veluti pinguiſſima gramina ruris
Pan Deus Arcadiæ caulis emittit Aſellum.

LABORIS NECESSITAS.

Olim, dum prima naſcentis origine mundi
Aurea florerent Saturno ſecula Rege,
Cunctaque fæcundo per ſe daret ubere tellus:
Dulcia tunc placidæ peragebant otia gentes,
Nec labor ullus erat; liquidi ſed fontis ad undam,
Lenis ubi ſpirat clementior aura Favoni,
Aera mulcebant teneri modulamine cantus,
Longaque feſtivis fallebant tempora ludis.
At mox ipſi etiam moverunt tædia cantus,
Nec ludi placuere ſatis; quin otia mollem
Deſidiam, & multæ lethalia ſemina culpæ
Partu infelici totum fudere per orbem.
Tum pater omnipotens cœlo miſeratus ab alto
Ingemuit, certamque nova parat arte ſalutem.
Ergo juvat variis abrumpere languida curis
Otia, & ingratum ludo miſcere laborem.
Continuò mortale genus telluris avaræ
Senſit opes, intraque ſinus ac viſcera condi,
Quas niſi depreſſo nequeat recludere aratro.
Mox alii denſas cingunt indagine ſylvas,
Vel curſu ſectantur aprum, vel flumina lembo

Nota

Nota petunt, hamiſque trahunt in retia piſces.
At quibus ingenii ditiſſima vena benigni,
Aut meliore luto finxit præcordia Titan;
His amat ingenuas animum exercere per artes,
Et teneram ſtudiis formare ad grandia mentem.
Protinus Aonii panduntur limina montis;
Hic ubi, Caſtalidum docta ſtipante caterva,
Jura dat, & ſummo reſidens in vertice Phœbus
Accenditque animos cœptiſque audacibus implet.
Huc adeo ſe ſe juvenum lætiſſima turba
Inſinuant, operiſque nova dulcedine capti,
Pars canere Heroas, pars Regum ingentia facta
Dicere amat, victaſque acies, pugnataque bella
Fortiter, & partos non uno ex hoſte triumphos:
Pars aptare modos fidibus; cœlique mariſque
Terrarumque Deos, & amœni Numina ruris
Arte nova reſonare docet; nec te, optime Bacche,
Lætitiæ dator, aut calices ſiluere diſertos.
Dulcia ſi Pindo bonus annuit otia Phœbus,
Acriùs ad ſolitos ſtudio certante labores
Se referunt, rediere animi, rurſumque recepto
Robore, concurrunt, majoraque viribus audent.
Otia ſic placuere magis diſtincta labore.

FOLIORUM LUSORIORUM ORIGO.

Cum novus exactos ſe redderet annus in orbes,
Ab Jove fata hominum breviori impreſſa papyro,
Inque quadrum certo partitis ordine chartis
Regia Mercurius Junoni dona ferebat.
Forma licet cunctis eadem, tamen haud color unus
Eſt foliis, paribuſve notis deſcripta renident.
Aſt alius Vulgo docet eventura character;
Reginas alius Reginarumque maritos,
Et Proceres, quotquot palatia celſa frequentant,
Quæ ſperanda manent, aut quæ metuenda per annum.
Ecce autem, dum juſſa Jovis Cyllenia proles
Exequitur, crebroſque movet per inane lacertos
Labitur axilla faſcis quem forte premebat.
Illum continuò fatorum inimica cadentem
Excepit Fortuna, imis quæ vertere ſumma
Gaudet, & adverſos caſus miſcere ſecundis.
Tum Dea cum Momo & turba leviore Deorum
Fallebat variis labentia tempora ludis.
Ut primùm advertit faſcem incluſaſque tabellas,
Miſcet agens, comiteſque inter diſcrimine certo
Partitur; verſo mox ordine, tradit eaſdem,
Inque vices toti pariter confundere turbæ.

Mercu-

Mercurius redit interea, quem rector Olympi
Increpitans graviter, probris onerarat amaris.
Nam quæ tanta animis, dixit, fiducia, Divum
O joculare genus, ſummum ſpreviſſe Tonantem
Et terere indigno ſacrata volumina ludo?
Nec plura: indignans tenues facto impete chartas
Tractantum rapit è manibus, gaudenſque receptis
Præpetibus ſe ſe ſuper æthera proripit alis.
Sed fruſtra, nam capta novi dulcedine ludi
Turba Deum brevibus foliis amat addere formas,
Quæ placuere priùs, varioque ornare colore.
Hinc, ſi vera fides, vetiti primordia ludi.

POTIO COCHOLATI LITERARUM STUDIOSIS SALUBERRIMA.

Nam quis ab extremis jucundum munus Iberis
Mittat liba mihi, læto quæ Mexica partu
Progenuit tellus, & odoro condit amomo.
Scilicet ille novos potus dat vatibus ignes;
Inſpirat dignos ipſo vel Apolline verſus.
Ah memini, ambroſium ſi quando haurire liquorem
Contigerit, ſenſi ſub pectore creſcere vires
Inſolitas, æſtuque caleſcere corda benigno.
Hæc me liba juvant: tam dulci nectare dives,
Bacche, tuos latices, tua jam tibi, Bacche, relinquo
Pocula, ſeu calido quæ fert Burgundia tractu,
Seu quæ læta magis gremio Campania fundit.
Non capiti nocet ille liquor, numerumve lucernis
Ingeminat, crudoſve ciet ſub corde tumultus.
O Grajorum utinam vitalis ſuccus in oris
Creviſſet quondam! Tu qui vinoſus, Homere,
Laudibus argueris vini; meliore tuliſſes,
Deſertor Bacchi, Cocholatum ad ſydera verſu.

SOMNIUM.

Contentus parcis dapibus, jejunia quales
Rite quaterdenis præbent indicta diebus,
Carpebam nocturna leves per tempora ſomnos.
Non molli in pluma, Tyrioque volutus in oſtro,
Feſſa ſed anguſto compoſtus membra cubili,
In tumuli morem, palea quod ſaccus agreſti
Plenus ad os, rigidoque inſternit culcitra panno.
Continuo Gallorum inter victricia raptus
Agmina, & hoſtiles videor mihi cingere muros;
Bellator, triſtes ubi latè impulſa minantur
Mœnia Verrucæ * jam jam factura ruinas.

* Verruca in Italia tunc obſidebatur à Gallis.

At-

At neque terrificum tormenta imitantia fulmen,
Nec præſens animum mortis terrebat imago.
Quò me laudis amor, quò dulcis præmia palmæ
Cumque vocant, rapior, fati ſecurus in hoſtes.
At dum blanda tenent ſopitos ſomnia ſenſus,
Ecce mihi ante diem ſummo de vertice turris
Signum inviſa dedit nimium campana juventæ,
Et faciles pepulit toto de pectore ſomnos.
Excutior ſubitò, & factus de milite ductor
Myrmidonum, ſortem dolui averſatus iniquam.

LUSUS IN HIRUNDINEM.

FRonde ſuper viridi, placido dum languida lapſu
Inſinuat per membra quies, altiſque recepta
Luminibus, vigiles abigit de pectore curas.
Ecce ſuper medio videor mihi ſidere Pindo.
Hìc ubi Caſtalidum, docta plaudente caterva,
Solerti Cytharam ipſe manu pulſabat Apollo.
Mirabar, cupidaque inhians cœleſte bibebam
Aure melos; dulces quando nil tale timenti
Importuna nimis ſomnos abrumpit Hirundo.
Namque caput circumvolitans bis terque jacentem
Excitat, & miſerum Pindo deturbat ab alto.
Exardere ignes animis, ſubit ira nefandum
Ulciſci ſcelus, & dextra fugitare parantem
Arripio. Nam quod, dixi, pro talibus auſis,
Supplicium maleſana feres, quæ tam bona turbas
Gaudia? Num geminas reſcindam corpore pennas?
An meritam graviora, ferus quas Tereus olim
Exegit pœnas, lingua mulctabo loquaci?
Ingemuit volucris, neque adhuc oblita priores,
Flebilibus mihi viſa modis iterare querelas.
Ipſe etiam ingemui, & ſortem miſeratus iniquam,
Incolumem liquidas patior volitare per auras.

HISPANUS VERSALIAM IN REGIAM ADMISSUS.

EXtremis nuper de finibus orbis Iberi
Venerat Hiſpanus, Francis viſurus in oris
Verſalias arces Regiſque palatia Magni,
Scilicet audierat rerum hìc miracula pandi;
Queis neque Pyramidum regales Memphis honore
Æquiparet, Soliſve Rhodus miranda Coloſſum,
Aut conferre velit tellus Babylonica muros.
Ergo avidis dum cuncta oculis circumſpicit; & ſe
In partes quaſcumque ferat, longa atria luxu
Miratur fulgere novo, dum ſuſpicit hortos,

Digitized by Google

Fluminaque in varias paſſim venientia formas;
Ecce improviſus, magna ſtipante corona,
Objicitur Lodoix ultro ſpectandus eunti.
Non illum croceis illuſum veſtibus aurum,
Non lucens adamas, & Eoi munera ponti
Ornabant, ſed frontis honos venerandaque vultus
Gratia, & auguſtos Majeſtas fuſa per artus.
Hìc verò exclamans voces novus hoſpes in iſtas,
Hunc vidiſſe mihi ſatis eſt; jam cætera ſordent.

JUVENIS EBRIOSI IN CADUM METAMORPHOSIS.

Stertebat patulam reſupinus vitis ad umbram
Caſtalius juvenis, multoque inflatus Iacco
Proflabat reſonante graves de pectore rhonchos.
Non tulit hæc Phœbus; ſortem miſeratus Alumni,
Fit propior, prenſatque manus & vellicat aurem;
Atque hæc irato ſimilis ſuper adjicit ore:
Stertis iners? neque te Bacchi maleſana ſequentem
Caſtra pudet? toto interea gens æmula Pindo
Congreditur, palmæque ambit victricis honorem.
Ille ſub hæc oculos ſomno vinoque gravatos
Diducens utraque manu vix talia reddit.
Nam quid ais? vel quid faciam, Pater optime vatum?
Terra imbres, imbrem ſegetes, bibit æthera pontus,
Sol pontum, ſolemque ſoror bibit æmula Phœbe.
Cur mihi non liceat liquidum potare falernum?
Hìc Deus indignans juſtaſque accenſus in iras,
Vite ferit Juvenem, quo verbere protinus ingens
Fit cadus, & primæ veſtigia nulla figuræ,
Nulla ſuper remanet ſpecies, os præter apertum,
Dulcia quo læti fundantur munera Bacchi.

LEPIDA PICTORIS FESTIVITAS.

Parrhaſii ſoboles, par magno Pictor Apelli,
Diverſos una populos ſimulare tabella,
Dignum opus Artificis, calamo leviore, parabat.
Ille ubi reſcivit variis de partibus orbis,
Qui populis mores, quo quiſque indutus amictu,
Quos coleret ritus, opus inchoat, & ſua cunctis
Sedulus affingit patrio velamina cultu.
Contracta in rugas collo dat linrea circum
Hiſpano, & preſſis ſtringit femora utrâque Brachis.
Hunc juxta oblongo ſpectandus Belga galero,
Læva haſtam, dextra geſtat ſpumantia vino
Pocula, & irriguo ſe proluit impiger hauſtu.
In mediis alia Gallus ſe parte ferebat,

Quem

Quem vaſtos diſtincta ſinus variiſque decora
Tæniolis, longo femoralia texta labore
Circumdant, grandeſque premunt in cruribus alæ.
  Nec ſuus hic Daco deerat locus, ille bipennem
Molitur dextra, latoque accingitur enſe.
Nunc prope lunigero ſuccinctus acinace Turca;
Cui Spartana chlamys talos deſcendit ad imos,
Carbaſeique tori cingunt caput; haud procul adſtat
Sarmata, molliculis præcinctus corpora villis.
  Mille pharetrati, quos ultimus educat orbis,
Quique ſagittiferos habitant Garamantas & Indos
Hic aderant populi, nigro pars fuſca colore,
Pars ſimul intextis corpuſque & tempora plumis.
Multos præterea, tenui quos dicere verſu
Non licet, in tabula depinxerat. Aſt ubi longo
Artificis tandem manus eſt defuncta labore;
En veteres habitus Gallum mutaſſe, novumque
Induxiſſe ferunt veſtis genus. Ille reſumit
Arma manu, moremque novum rituſque recentes
Exprimit, atque alio dat Gallum incedere cultu.
  Nec longum in medio tempus; cum fama reportat
Mutatos rurſum ſtudia in contraria Gallos
In cultus iviſſe novos, quodque ante placebat,
Diſplicuiſſe brevi. Tum pictor concitus ira,
Siccine Gallus, ait, volucri inconſtantior Euro,
Uſque ſua noſtram levitate illuſerit artem?
Nulla mora eſt: nudum effugit, ſed forfice dextram
Armat, & ante pedes pannos hinc pingit & inde.
Tum ſuper hæc, Tabulam joculari hoc carmine ſignat.
  Galle, tibi veſtes, quas lubet, ipſe para.

IN PSITTACUM.

Venit dulce mihi peregrinis munus ab oris,
  Anguſtoſque habitat Volucris, mea cura, penates.
Illius in toto virides mirabere plumas
Corpore, ni variis diſtincta coloribus Iris
Cingat, & aerio collum diſcriminet arcu.
Sunt Volucri placidi mores, patienſque magiſtri
Ingenium, quamcumque voles formabis ad artem.
Adde quòd humanos imitando effingere ſolers
Lingua ſonos, paribus tecum colludere verbis
Geſtiat, & notas alternis reddere voces.
Hæc mihi dum nuper ſolito feſtivior ultro
Garrit, & inſuetum depromit gutture carmen;
Dum rauco ſonat ore tubam, dum tympana pulſat;
Blanditiis & mille meos ſibi captat amores.
Tunc ego, ne dubita, Volucris dulciſſima, dixi:

Vere novo, primùm cum læta vireſcere tellus
Cœperit, & mollis ſpiraverit aura Favoni;
Servitium eripiam longum, tibi vincula ſolvam:
Perque altos nemorum ſaltus & læta per arva
Aeriaſque impune plagas volitare licebit.
Pauca mihi contra trepido dedit ore Volucris.
Nam quid ais? quæ te noſtri faſtidia tanta
Ceperunt? hoſpeſne forem importuna? vel in te
Peccavi quidquam imprudens, quod plectere certes?
Ecquid enim per aperta jubes impune vagari
Camporum, nemorumque altos luſtrare receſſus?
Quid juvet exiles agitare per aera muſcas,
Repentes & humi duro configere roſtro
Vermiculos, ſiccisve famem depellere granis?
Tu mihi tu niveum mollique ſiligine panem,
Conditaſque nuces, aut, ſi quid dulcius iſtis,
Porrigis ipſe manu; tu munera blanda Lyæi
Das bibere, & tecum lautis accumbere menſis.
Cætera quid memorem? Potui formoſa videri
Hoſpitibus, numero veniunt quicumque frequenti
Mane ſalutantes, & te gratantur amicum.
Quin etiam tremulis hinc inde aſſurgere pennis
In caput atque humeros fas eſt mihi: pectus in ipſum
Involo, cum placuit: quæ figimus oſcula, blandus
Excipis, & ſtudiis paribus perſolvis amorem.
Dic ubi libertas potior? quibus ipſa beatam
Sortem æquare queant præſentia Numina donis?

PRINCIPIIS OBSTA.

Cupido ab imbre madidus.

Dum nuper ſæviret hyems, gravibuſque pruinis
Horreret cœlum, & tellus ingrata rigeret;
Tendebam ad parvos ſera ſub nocte penates.
Ecce autem Veneris, nemorum per devia proles
Adſtitit, & falſa decepit imagine mentem.
Nam puero geminas imber madefecerat alas,
Incomptis nix fuſa comis, torpentia duro
Membra gelu, & largis manabant lumina guttis.
Hìc mihi ſollicitam flexit miſeratio mentem;
Quique nitebat honos oculis & gratia vultu,
Inſpirant teneros tacito ſub pectore ſenſus.
Chare puer, dixi; noſtris ſuccedere tectis
Ne pigeat, rigidumque foco diſſolvere frigus.
Ille nihil contra, ſed vultu arriſit amico
Blandus, & accepta ſequitur veſtigia dextra.
Verùm ergo frigenteſque manus algentiaque ora

Dum

Dum foveo, & gelidas abſtergo è corpore lymphas
Imprudens, arcum vidi ſub veſte latentem,
Et calamos tædaſque, & ſæva Cupidinis arma.
Nec latuere doli; caſtis procul ædibus hoſpes
Ejicitur; rabidas pulſus malè ſurgit in iras,
Et validam indignans tentat vibrare ſagittam.
  Sed fruſtra; ſolitæ torpentem frigore dextram
Deſtituunt vires; telumque imbelle, ſine ictu
Concidit, & ſumma vix tandem in veſte pependit.

DE BREVITATE VITÆ.

Eſſe quid hoc dicam, quòd tam breve ducimus ævum
Mortales? vix heu! vitales luminis auras
Hauſimus, inque ipſo miſeri evaneſcimus ortu!
Interea cervi, pavidum genus, integra vivunt
Secula; corvorum piceis gens horrida pennis
Protrahit annoſam noſtro de funere vitam.
Altis quin etiam nixæ radicibus iras
Ventorum rident & cœli fulmina quercus
Nos homines rerum dominos, orbiſque potentes
Mors avida metit atra manu, tumuloque ſepultos
Cogit in æternam componere lumina noctem,
Unde redire vetant quemquam, mala Numina, Parcæ.
  Vidi ego ſucciſas repetitis ictibus ornos
Fronde virere nova, putrique exurgere trunco.
Vidi & depoſitis duræ poſt frigora brumæ
Exuviis angues primam renovare juventam.
Ipſe adeo triſti victor de funere phœnix
Surgit, & æternos revocat reparabilis annos.
  Nos ubi primævo ſucciſi in flore juventæ
Occidimus, Stygiiſque ſemel merſamur in umbris,
Hinc remeare nefas, ſuperaſque reviſere ſedes.
Saltem ah! communi fatorum lege ſoluti
Debuerant Vates producere longiùs ævum.
At miſeri Vates fato volvuntur eodem;
Nec prohibet dulces à funere Phœbus alumnos.
Threicia fretus cythara fidibuſque canoris
Orpheus indomitos potuit mulcere leones:
Fertur & arguta teſtudine grandia Thebes
Mœnia, compoſitis Amphion condere ſaxis.
Haud tamen Amphion cythara, non Thracius Orpheus
Difficiles cantu potuerunt flectere Parcas,
Aut, quos orabant, tandem impetrare regreſſus.

CUPIDO CEREUS IN ARTIFICIS OFFICINA VENALIS.

CEreus Artificis proſtabat in æde Cupido,
Cui deerat vox una; rubro circumlita fuco
Ora nitent, flavi volitant per colla capilli,
Et, qui luminibus fulget, probat ignis Amorem.
Illum reſpiciens Amor invidiſſet Amori,
Mentitoque Venus libaſſet baſia nato:
Tam ſolers erat illa manus, quæ frontis honores,
Quæ molles oculos & vivida finxerat ora.
At nemo, res mira, fuit, qui pignore quovis
Aut emeret, puerumve domi pateretur inemptum.
Scilicet ex humeris, quamvis innoxia tela,
Tela tamen, dextraque faces, arcumque ſiniſtra
Cum gereret, potuit vel cereus ille timeri.
Hujus ad aſpectum reliquis audacior, ira
Fecerat audacem; Artifici, nummum accipe, dixi;
An meus eſt? riſit, nihil & cunctatus emenri
Dat puerum; nummus pretium fuit unus Amoris.
Tunc ego ſæva memor tenero quæ vulnera cordi
Fecerat, i medias, dixi, Puer improbe, flammas
Experiare; decet te nunc ardere viciſſim,
Per quem ipſe imprudens maleſanis ignibus arſi.
Nec mora projicitur rapidos arſurus in ignes.
Liquitur; ille tamen ſuperas liquefactus in auras
Fugit adhuc fumo ſimilis, ſimiliſque vapori.

SOLERTIS INGENII SPECIMEN.

DUm celſæ Æſopus pandit miracula mentis,
Et rerum ambages populo plaudente reſolvit.
Ecce aliquis parat ingenium ſubtile doloſis
Explorare modis; & quem celebrabat ubique
Fama virum, levibus deceptum illudere nugis.
Ergo duas fert ille roſas, quarum altera felix
Terræ partus erat, formam altera traxit ab arte.
Par utrique tamen decus eſt, par gratia fulget;
Sic ut nata ſinu telluris ab ubere poſſit
Utraque, vel dextræ labor ingenioſus haberi.
Talibus inſidiis, & ſpe fidentior ultro
Æſopum aggreditur, dictiſque ita ſubdolus infit.
O tu, mentem finxit natura ſagacem,
Dic, Æſope, precor, neque te labor iſte gravabit,
Utra putas educta ſolo roſa venit in auras?
Olli ſubridens, verbiſque Æſopus amicis,
Mox, inquit, reſponſa feres; geminumque reponi
Præcipit in menſa florem; tunc fortè flagrabat

Æſtus,

Æſtus, & in medio ſol egerat axe quadrigas.
Nec mora nectareum volucris vaga ſentit odorem
Et circumvolitans nunc hic, nunc inſidet illic.
At poſtquam medio nativi floris adhæſit,
Et molles tenui ſuccos Apis ebibit ore;
Sic ait; eluſitque dolos Æſopus inanes.
Hanc mihi ſervo roſam, volucris quam parva momordit.
Vade hoſpes, nobiſque aliàs illudere parce.

UNDE LARVARUM ORIGO.

Poſtquam Terrigenas disjecit fulmine fratres
Jupiter, & victor toti dedit otia cœlo.
Triſtia præteriti ſolari tædia belli,
Abſenteſque diu cupiens acceſſere riſus,
Edere defeſſis voluit ſpectacula Divis.
Ergo vocat Momum, vultuque ita fatur amico.
Eja, age; te quando non eſt ſolertior alter
Mille modis variare jocos, jam concute pectus,
Extrue ſolennes, Deus ò lepidiſſime, ludos.
Scilicet hæc meriti poſcunt ſibi præmia Divi,
Quos ſumus in duris experti rebus amicos.
Dixerat: ille Jovi paret, turbamque Jocorum
Promptus adit; ſimul, ò ſocii, concurrite, dixit;
Nunc animis opus eſt; hominum ſator atque Deorum
Noſtram poſcit opem, & longo defeſſa labore
Feſtivi recreare parat bona Numina ſcenis.
Conſulite in medium; vel ſi ſententia nobis
Eſt potior, noſtris aures advertite dictis.
Ergo agite, ò ſocii, notos deponite vultus,
Induite arte novos, variaſque aptate figuras,
Quæ valeant Divos, & Divum fallere Regem.
Aſſenſere omnes, levibuſque per aera pennis,
Diverſas referunt mutato in corpore formas.
Hic gerit informi diſtinctam tubere frontem:
Olli præcipiti deſcendit vertice naſus;
Huic clivo in medio curvatus fornicis inſtar
Aſſurgit, longumque exporrigit alter acumen.
Quid jam labra, genas diverſaque rictibus ora
Commemorem? Fert ille gulæ bipedalis hiatum
Exili mento fultum malè; craſſior alter
Labra horrenda movet naſo ſubjecta recurvo.
Hic gibbo ingenti, tumidoque abdomine tardus
Incedit, turbaque Deum ridetur ab omni.
Quin etiam varias ſimili placet arte ferarum
Mentiri facies; Satyrum hic villoſus agreſtem
Ore refert, diræ vultus habet ille Chimeræ;
Alter noctivagæ volucris, quæ cætera parvi

Muris habet, nigras ſi corpore detrahis alas.
Harpyas alii ſimulant, hi Gorgonis angues,
Immaneſque lupos alii, rabidoſque leones.
Denique non ſi ſint centum ora ſonantia linguis,
Innumeras poſſim memorando exponere formas.
Hæc ubi, Sileni Momus conſcendit Aſellum,
Alter Bellerophon, & utrinque ſonantia pulſans
Tympana, ſpectandum Divis agit omnibus agmen.
Riſerunt Superi, riſit pater ipſe Deorum.
Hinc talem tenuere homines, gens æmula, morem.

CUPIDO ARATOR.

QUis credat? Superis ſua ſunt faſtidia; cœlum
Linquere amant, ipſis & gaudia quærere terris!
Fugerat æthereas, curis ſtimulantibus, arces
Idalius Puer, & lætis novus hoſpes in agris
Dum ludit, tauris inſtructum offendit aratrum.
Nulla mora eſt; pharetram ex humeris tædamque reponit,
Fatalesque arcus, &, qua velabat ocellos,
Faſciolam, duroque manus adjungit aratro.
Ars tamen illa placet, juvat exercere laborem
Inſolitum, ſeu quòd nova res, ſeu, quòd mala terris
Quæ fecit, plenis ſolari meſſibus optet.
Ergo dum glebas inſueto vomere verſat
Impiger, atque altis committit ſemina ſulcis;
Ad cœlum tollens oculos, fac, Jupiter, inquit,
Expectata ſeges votis reſpondeat, aut te
Rurſus ego taurum fieri, & juga ferre jubebo.

PACIS AUGURIUM IN MEDIO ARMORUM ÆSTU.

ANnorum caſus miſeros & acerba dolebam
Tempora, ſollicito Pacem ſub corde requirens:
Cum ſubitò medias inter Pax aurea nubes
Adſtitit; hanc pleno comitatur Copia cornu,
Et blandi ſubeunt, examen amabile, Riſus.
Nam quis in afflictas, dixi, Pax aurea, terras
Te revocet? Quis te ſuperis accerſat ab oris?
Aſpicis ut lacerum Diſcordia tetra per orbem
Sæviat; ut propriis imbuta cruoribus arma,
Arma, quibus meliùs Mahometica regna perirent,
Mutua cognatæ vertant in funera gentes?
Eja, age, rumpe moras, mundo ſuccurre gementi.
Illa nihil contra, radio ſed dividit auras;
Et dedit auguſtum Lodoici cernere nomen.
Felix augurium feliciaque omnia lætus
Accepi, & triſtes pepuli de pectore curas.

Ergo

Digitized by Google

Ergo reluctantes per te, Rex Maxime Regum,
Dediſcant bellum populi, Pacemque requirant;
Hic te ſpectat honos, operum hoc, Lodoice, tuorum eſt.

PLURES VOLUPTAS QUAM NEPTUNUS AUT MAVORS ENECAT.

DUm mihi defeſſos altus ſopor alligat artus,
Et varia Morpheus illudit imagine mentem;
Viſus adeſſe mihi tumidis Neptunus ab undis.
Ut vidi, ut ſtupui! Nam dextra armata Tridenti
Quaſſatas rapido naves Aquilone premebat,
Et miſeras hominum tumulabat in æquore turmas.
Parte alia Mavors ſævis metuendus in armis
Sanguineos agitabat equos, quacumque ferantur,
Horrendam aſpiciat nullo diſcrimine cædem,
Atque exundantes ſpumanti ſanguine campos.
Heu! miſeris, dixi, fatalia Numina terris!
Credo equidem, amborum niſi demens ira reſiſtat,
Neſtoreos felix hominum gens exigat annos.
Aſt animum funeſta magis turbavit imago.
Scilicet hinc cyathum Bacchus gerit, & Venus inde,
Letheum inſpirans dulci ſub melle venenum,
Triſtia per cunctas miſcebat funera terras.
Hic ego Neptunum Martemque abſolvo furentem;
Baccho dira canens, Veneri mala multa precatus.

AMOR MEDIO IN FONTE MARMOREUS.

SPicula vicini tingebat fontis ad undam
Inſidioſus Amor, quibus ille improvida figit
Corda hominum, & miſeris portat mala vulnera terris.
Auſus quin etiam puris immergere corpus
Fontibus, & ſacras Nympharum inviſere ſedes;
Suadet enim æſtivi rabies veſana leonis,
Et latè findens arentia Sirius arva.
Ecce autem imprudens molles hinc inde lacertos
Dum rotat, & mediis ludit juveniliter undis;
Illum Naiades, caſtiſſima turba, natantem
Aſpiciunt; arſere animi; ſubit ira nefandos
Ulciſcique auſus, meritas & ſumere pœnas.
Protinus inſultant Puero, & nil tale timentem
Corripiunt manibus, vincliſque tenacibus arcent.
Una fuit reliquas inter formoſior omnes;
Nec formæ pudor ipſe aberat; quæ lumina vertens
Ad cœlum tales fudit de pectore voces.
Huc ades ò ſcelerum vindex Deus! irrita Nymphæ
Numina ni colimus, rigeat Puer improbus unda;

Qui pia lethiferis ſuccendit pectora flammis;
Nec veritus Superos, Superumque laceſſere Regem.
Vix ea; continuò vox eſt audita precantis.
Stat Puer infelix hæretque affixus arenæ,
Nec teneros potis eſt artus exſolvere vinclis.
Quin etiam Pueri ſenſim dureſcere corpus
Et fieri marmor. Mediis ſic friget in undis,
Olim inter medios qui fervidus arſerat ignes.

IN SENECTUTEM INVERECUNDAM.

NAm quis hic eſt multo venas inflatus Iaccho;
Turpiaque infectus vinoſis fæcibus ora;
Tergore quem pando titubantem vectat Aſellus?
Agnoſco, Silenus adeſt; qui ſedulus olim
Additus & Baccho cuſtos altorque fidelis
Hunc Satyri, Faunique leves comitantur euntem.
Pars teretes inflat calamos, pars tympana pulſat,
Pars agitat pedibus choreas & carmina dicit.
Hi ferula armati tardè gradientis Aſelli
Terga dolant, gaudentque equitem pulſare viciſſim.
Proh! pudor! hæc teneræ monſtras exempla Juventæ,
Diis inimice ſenex, dum rugæ ſqualida ſulcant
Ora, tremitque pilis nudum caput, hæc ſapis amens?
Et tu quid merito ceſſas, Libithina, ſepulcro
Condere, Tartareis dudum devota tenebris.
Corpora, & infâmi terras exſolvere peſte?

PAGIS AC BELLONÆ COLLOQUIUM.

NUm ſatis humani fuſum eſt, Bellona, cruoris?
Quando lethiferum pones ſatiata flagellum,
Triſtiaque extingues portantem incendia tædam?
Talia dicebat communibus excita votis.
Aurea Pax, ſortem Europæ longoſque labores,
Immaneſque orbis laceri miſerata ruinas.
Cui Bellona hilares conata adumbrare vultus,
Quid me, ait, incuſas, probriſque inimica laceſſis?
Quid mihi, Pax, lacerum crudeliter objicis orbem?
Scilicet una nocens videat; fatalia belli
Semina, Tartareæ dum ſpargunt undique peſtes?
Incipiat tumidos primum deponere faſtus
Ambitio, parcatque aliena invadere regna
Imperiis contenta ſuis. Saturata quieſcat
Ira ferox, ceſſetque odiis certare malignis.
Deſinat humanas ſtimulis incendere mentes.
Impatiens Livor; ſciſſa Diſcordia palla
Aufugiat, reſides acuens in funera gentes.

Inte-

Interea Scythicas revehet me currus in oras;
Hic ubi ſe noſtro ſeges offert ampla furori.

AD PARCAS PRO INCOLUMITATE REGII PUERI.

VOs ò, quæ regitis vitæ momenta, Sorores
Tergeminæ, vos ò, cœleſtia Numina, Parcæ,
Innocuas audite preces, vultuque benigno
Reſpicite inſtantes ad triſtia limina Gallos.
Non ſibi vitam orant, Puero ſed fata precantur
Digna ſui generis: ſtudiis communibus olli
Felices annos, longam & concedite vitam.
Ergo agite, atque ultro blando indulgete labori,
Concordes animæ; facti non veſtra feretur
Fama levis, Stygiiſve minor cadet hoſtia terris.
Tu, Clotho, quam nere ferunt mortalia vitæ
Tempora, rumpe moram, & longùm ſine currere fuſos.
Tu, Lacheſis, quæ fila manu fatalia verſas,
Ah! precor, immenſum globulos da creſcere in orbem,
Nullave te capiant operis faſtidia cœpti.
At tibi, quæ fuſum crudeli forfice filum,
Atropos, incidis, cave ah! tam dira libido
Ne veniat, pretioſa ſeces ut ſtamina vitæ.
Pone, precor: noſtri pone inſtrumenta doloris,
Nec turba immiti felicia tempora caſu.
Olim erit, ut, matura virum cùm fecerit ætas,
Accepto vobis pro munere digna rependat
Præmia, & erectis non uno ex hoſte trophæis,
Multiplicem magno mittat cum fœnore prædam.

CUPIDO NAUFRAGUS.

IBat Amor ſpoliis hominum Divumque ſuperbus;
Et tenui vectus per cærula lenta phaſelo
Idaliæ centum referebat corda parenti
Corda veneſnato quæ vicerat improbus arcu.
Continuò cæcis involvitur undique nimbis,
Et latè horriſono cœlum tonat omne tumultu.
Parte alia immitis Boreas, Euruſque Notuſque
Frontibus adverſis inter ſe prælia miſcent,
Et tenuem torquent per gyros mille phaſelum.
Franguntur remi, ſtridens Aquilone procella
Malum adverſa ferit; rapidis ludibria ventis
Vela volant, mediiſque Puer prope mergitur undis.
O quoties cymba excuſſus, dum parva rotaret
Brachia, & iratos tentaret vincere fluctus,
Te, Neptune pater, nequicquam in vota vocavit.
Diique Deæque omnes illum riſerè natantem;

Digitized by Google

Et lacrymas gemituſque imis riſere ſub undis.
Nam quid agat tanto puer in diſcrimine lethi?
Ingenium probat adverſis in caſibus: ecce
Ferre ratem ſe ſe meminit. Mora nulla pharetram
Exuit, & rapidis committit fluctibus: arcum
Tollit in antennas, ſunt huic retinacula, funis;
Motaque remorum geſſerunt ſpicula partes.
Cypria fax navem obſcuris direxit in undis;
Et, quæ formoſam velabat faſcia frontem,
Carbaſus eſt. Summa ſedet ipſe in puppe Cupido,
Vela legens laxanſque manu, cymbamque gubernans.
Sic tandem incolumis portus intravit amicos.
Dii! melius Puer iratis periiſſet in undis.

LABOR IMPROBUS OMNIA VINCIT.

Credite, Mortales, labor improbus omnia vincit,
Et lenire ſolet duros patientia caſus.
Sylveſtrem aſſiduo qui terram aggreſſus aratro eſt
Vincere, & incultis committere ſemina ſulcis,
Ingratum tentavit opus, ſudavit & alſit.
Aſt optata ſeges plenis ubi crevit ariſtis,
Solatur curas & tædia longa laborum.
Quem juvat abrupti loca per declivia montis
Exercere ſolum, & longis diſponere vites
Ordinibus, brumæ patiens & ſolis iniqui
Multa tulit, rigido dum dextra armata ligone
Horrida purgaret ſaxis & ſentibus arva.
At poſtquam in multos ſe ſe induit uva racemos,
Et largis hinc inde fluit vindemia rivis;
Longorum oblitus, quos ſenſerat ante, laborum
Cantat io Bacche, & dulci ſe proluit hauſtu.
Haud ſecus, inſomnes quiſquis traducere nemo,
Et doctas gaudes, annoſa volumina, Chartas
Aſſidua verſare manu; perge omine læto
Difficiles ſuperare aditus & longa viarum
Tædia, nec virtus ægro ſub corde fatiſcat.
Namque ubi perfecto dabitur contingere metam
Curriculo, meritumque caput tibi laurea cinget,
Juverit hæc meminiſſe, graves nec deinde pigebit
Exhantlaſſe animis pulchra pro laude labores.

UNDE NATA VULTUUM DISSIMILITUDO.

Æthereas auſus cœlo ſubducere flammas
Japeto ſatus, humanam cui fingere gentem
Mens erat, Æolias ſupplex acceſſit ad oras
Vulcani, poſcitque Typum, quo fingere vultus

Con-

Conſimiles hominum ſimili ſub imagine poſſet.
Nec mora: ſeu blandis potuit manſueſcere verbis
Vulcanus, ſeu conſilium novitate placeret,
Audiit orantem facilis; donatque Prometheum
Archetypo, mira quod fecerat arte Pyracmon.
Ille Dei donis, tantoque ſuperbus honore
Urget opus, pulchro juvat inſudare labori
Inſuetum per iter. Multo jam fonte ſubacta
Mollior, atque omnis patiens argilla figuræ
Circum aderat; non illa manus invita moratur
Artificis, cunctas ſequitur cupidiſſima formas.
At nunc artis opus, toto ut porrecta metallo
Induere Archetypum, tenues intrare meatus,
Depreſſoſve ſubire cavos argilla laboret.
Ecce autem jam multa hominum tibi corpora ſurgunt
Frontem, oculos, vultuſque ſimillima! Fervidus inſtat
Japetides in opus, ſucceſſuque acrior ipſo
Totum aliis implere parat mortalibus orbem.
Non tulit interea maleſani furta Promethei
Jupiter, atque animo dignas Jove concipit iras.
Mercurium vocat ad ſe ſe, dein talia fatur.
Perge, age, rumpe moras; cœci inſtrumenta laboris
Subduc Archetypum; meritas pro talibus auſis
Ille mihi pœnas olim dabit. Ocyor Euro
Mercurius ruit in terras & juſſa Tonantis
Exequitur. Doluit, victuſque dolore Prometheus
Sæpius ingratum voluit finire laborem.
Attamen incœpto puduit deſiſtere victum;
Ergo novum molitur opus, primaſque figuras
Attentis relegens oculis, quas finxerat ante
Nititur humanas imitando effingere formas.
Ac licet haud ſtudio labor evaneſcat inani,
Non uſquam primas ulla tamen arte Prometheus
Tunc potis eſt hominum facies attingere; quotquot
Mortales crevere novi, non jam omnibus unus
Vultus ut ante fuit, non eſt frons una, nec oris
Idem habitus, primæve manent veſtigia formæ.

CUPIDO DELUSUS.

Cum fidens animis per florea rura ſopori
Indulgeret Amor, pharetram nil tale timenti
Longiùs obſervans furtim ſubduxit Amyntas.
Mox ubi pulſa quies oculis, ſubreptaque ſenſit
Tela puer, largo lacrymarum flumine vultus
Irrigat, atque animo ſortem indignatur acerbam.
Interea paſtor directo conſtitit arcu:
Et miſerum Pueri confixit arundine pectus.

Digitized by Google

Protinus ille gemens rapido per inane volatu
Advolat ad Venerem, ſublataque ſpicula lugens,
Et largum oſtentans formoſo in pectore vulnus;
Ecquis, chara parens, alias mihi deinde ſagittas
Donet, ait? Puerum genitrix complexa ferocem,
Abſterſiſque manu lacrymis, ò Nate, dolori
Pone modum, dixit; referet tibi prædo pharetram,
Fataleſque volet nunquam tetigiſſe ſagittas.

SPES MALORUM OMNIUM CONSOLATIO.

QUò vos, quò ſceleris rapuit furor? Ergone Divos
Criminibus gens uſque novis humana laceſſet?
At non tarda reos ultra vindicta ſequetur;
Infernos adjuro lacus; niſi crimina ceſſent,
Nec pœnæ modus ullus erit finiſve malorum.
Talia flammato tacitus ſub corde volutat
Jupiter, & terras certus punire nocentes
Pandoram vocat, & ſtimulis haud mollibus urget.
Huc ades ò, Virgo ante alias dilecta Tonanti,
Quò mandata vocant, terriſque ultricia defer
Munera. Pixys erat, qua non præſentior ulla
Peſtis, & ira Deum Stygiis erupit ab antris.
Scilicet hic curæque graves, luctuſque, dolorque,
Et metus, & triſtes ferali examine morbi,
Fataliſque latet duræ inclementia mortis.
Protinus ætherea Virgo deſcendit ab arce
Humanam exigua portans in Pixyde ſortem.
It Pavor antevolans, lacrymæ comitantur euntem,
Et, quacumque ferat celeres per inania greſſus,
Triſtia divinæ linquit monumenta futotis.
Mutari cœli facies, palleſcere Titan
Viſus, & influxu terras privare ſalubri.
Aſt ubi funereas, Superum quæ continet iras,
Arca patet, monſtriſque viam laxata recluſit;
Juſtitiæ vindex patuit Deus! Impete facto,
Qua data porta, cohors ruit importuna malorum.
Illinc Morbus edax, hinc falce armata minaci
Pallida Mors; inde horrificis Mars impius armis
Incumbunt lacero, furiis communibus, orbi.
Nec longum in medio tempus: namque aere toto
Tempeſtas ventorum, & triſtibus horrida nimbis
Sævit hyems: terræ immoritur fruſtrata Coloni
Spes avidas miſeranda ſeges: dulcemque Lyæum
Abnuit arenti ſitiens in palmite vitis.
Hinc triſtes gemitus populorum, incendia, cædes,
Certatim erumpunt: hinc bello pejor & hoſte,
Prodiit Ambitio: ſequitur ſoror, illa malorum

Tam fœcunda parens, tam diro fœta veneno
Invidia, & ſævi nutrix Diſcordia belli.
Quin & Avarities, & opum veſana libido
Nactæ aditum facilem, campoſque impune patentes,
Arma cient, nexuſque ſacros & amica peroſæ
Vincula, diſcordes agitant in funera fratres.
Quæ rerum facies enaſcitur! O ubi mundi
Priſcus honos? nil te miſeret, Pater alme, tuorum?
Nil operis te movit amor? Si nulla remanſit
Cura hominum, ſaltem liceat cœleſtibus armis
Oppetere, & dextra victos cecidiſſe Tonantis!
Fœmineæ procul eſte manus, Stygiiſque ſub umbris
Fœmina lethifero tumuletur proxima dono!
Quanquam nec miſeris ſolatia nulla ſuperſunt:
Necdum abſumpta ſalus omnis; Spes hæſit in ima
Pixyde, lethiferæ latuit comes optima turbæ.
Eja agite, afflictis melius confidite rebus,
Mortales, longi fiducia blanda laboris,
Ærumnis poſitura modum Spes denique reſtat.
Huc ades ò, meritos uni ſolvemus honores;
Una eris in votis; quid enim fugitiva colamus
Numina? Jam pridem veteres defecit amicos,
Perfidaque hoſtiles ſequitur Victoria turmas.
Jam procul hinc ceſſere hilares Riſuſque Jocique,
Et noſtras liquit divina Pecunia terras.
Tu potes iratum nobis placare Tonantem,
Fulminaque in noſtras arcere minantia pœnas:
Te præſente, lues cultis fugit arida campis
Pulſa procul, per te cornu redit alma beato
Copia, tu morbos atque agmina lurida febres
Natales Erebi cogis deſcendere ad umbras.
Per te bella cadunt. Tu Pacis amabile munus
Reddis, & afflicto revehis bona gaudia mundo.
Rumpe moram & noſtris patiens inflectere votis.
Audimur! ſolito fulſit de nube ſerena
Dulcior, & vultu Spes aurea fulſit amico.
Augurium felix! veteres dediſcite caſus,
O Populi, & rebus voſmet ſervate ſecundis.

JOCUS IN SOLEM.

Æſtate in media dum ſol altiſſimus orbe
Torreret ſteriles ſolito flagrantior agros,
Languebat ſeges, atque homines ſitis ægra premebat.
Ecce autem pingues radiis ſolaribus actos
Surgere in immenſum fluvio è propiore vapores
Videre agricolæ; læto tum pectore turba
Sic fatur; Solemne etiam ſitis improba torquet?

Fin.

Fumantes quid enim longè ſibi quærere lymphas?
Ardet inexpletum ſitiens? Si pergat & amnes
Siccabit, fundumque areſcet Pontus ad imum.
Talia jactabant: fluvio vapor actus in imbrem
Solvitur, & læto fœcundat prata liquore.
Tum verò exoritur clamor riſuſque jocantum;
Multaque certatim convicia dicere Soli.
Num fuimus vates, tantum inſatiatus aquarum
Hauſit, ut acceptas cogatur reddere lymphas.

TUMULI VANITAS.

ITe procul tumuli ductæ ſuper æthera moles;
Quas vario latè decorant candentia luxu
Marmora, & inciſo fulgentes ære columnæ.
Namque quid hæc cineres nimis ambitioſa ſepultos
Ornamenta juvant? Vitam ſi ſculpta priorem
Æra darent, fulva vel Jaſpide membra jacerent
Mollius, haud unquam me dives Caria vincat;
Splendida, nec ſuperent Mauſoli buſta Tyranni.
Sed quid vana moror? ſunt & ſua fata ſepulcris;
Quæ non irato contortum fulmen Olympo,
Non decertantes adverſis flatibus Euri,
Sed ſteriles vertere ſolo mala robora ficus.
Ergo vel informi condantur inertia Cippo
Membra, vel exiguæ tumulata ſub aggere terræ;
Quid refert, ſuperas animus dum tranſvolet arces?

AD SERAPHINUM REGNERIUM
AUCTOREM CARMINIS SEQUENTIS.

ITE, ite ocyùs ad lares beatos;
Ite, ne pigeat, meæ Camœnæ;
REGNERI placidos ſubite vultus.
Nullus lætior eſt locus Camœnis,
Non eſt æquior uſpiam Patronus.
Quanquam quid vocitem meas, Camœnæ?
REGNERUS pater elegantiarum,
Magnus arbiter utriuſque linguæ,
Hic vos divite fudit è cerebro:
Hic nativum oculis decus, lepores
Hic blandos, venereſque ſparſit ore,
Et quas Gallia fert amœnitates.
Nos tantum Latio nitere cultu,
Et forma dedimus ſeveriore.
Ac licet peregrinus ille cultus,
Tam terſus, neque tam politus eſſe
Poſſit, nec tam oculis placens videri,
Quàm primus fuit, Aula cùm ſecundos
Plauſus ingeminans, amica riſit:
Et cum veridico benignus ore,
Ore quo LODOIX facit beatos,
Veſtros ipſe palam extulit lepores.
REGNERUS tamen, ò meæ Camœnæ,
Hoc novo, neque tam nitente cultu,
Non vos abnuerit ſuas fateri.
Ergo ite ocyùs ad lares beatos,
Ite, ne pigeat, meæ Camœnæ,
REGNERI placidos ſubire vultus.

LES

LES DITS ET FAITS DU PRINCE D'ORANGE.

Par M. l'Abbé Regnier, de l'Academie Françoiſe.

Guillaume a dit, rempli de confiance,
De toutes parts j'aſſiegeray la France,
J'inonderay ſes Pays de ſoldats;
J'enleveray Tournay, Lille, Ypre, Arras,
Condé, Dunquerque, & les autres barrieres,
Qui peuvent mettre à couvert ſes frontieres.
Pour en venir plus ſeûrement à bout,
En meſme temps j'attaqueray par tout,
Par mer, par terre: Elle ſera contrainte
De ſuccomber à la premiere atteinte,
De rendre tout. Voilà ce qu'en effet.
Guillaume a dit; voicy ce qu'il a fait.
Ouvrant d'abord pompeuſement la ſcene,
De l'Ocean il traverſe la plaine,
Vient à la Haye en ſuperbe appareil,
Pour y tenir un faſtueux conſeil,
Et faire voir à toute la Province,
Dans leur Sujet, un grand & nouveau Prince.

Au meſme lieu, pour le congratuler,
Luy rendre hommage, & l'entendre parler,
Viennent brillants, parez, & magnifiques,
Les Electeurs, & les Princes Germaniques,
Qu'avec plaiſir il voit de jour en jour
Plus empreſſez à luy faire la Cour.
A leurs reſpects répondent ſes careſſes:
Beau feu, grand' chere & ſuperbes promeſſes:
Princes, dit-il, n'épargnez point les vins,
Dans peu de temps nous en boirons dans Rheims.
La joye alors redouble, & l'Aſſemblée,
Tout en beuvant, prend la ville d'emblée;
Lors qu'un courrier vient dire que ſous Mons
Le Roy de France eſt avec cent Canons.
On ſe regarde, on conſulte, on propoſe,
Pour le ſecours on régle toute choſe:

Guil-

DICTA ET FACTA AURIACI PRINCIPIS,

LATINE REDDITA.

GUILLELMUS fidens animis, raptoque ſuperbus
Imperio, noſtris namquid ſe ſe æmula, dixit,
Conſiliis armiſque opponat Gallia? totam
Oppugnare ratum eſt; plenis exercitus arvis
Irrumpet, cadet Atrebatum, dabit ampla ruinam
Inſula, Tornaci muros, Ypraſque revellam
Condatumque, mihi portus Dunkerka recludet:
Et jactat quaſcumque ferox in finibus arces,
Una omnes fortuna manet: pars nulla vacabit
Exitio, terras latè, pelaguſque tenebo;
Omnibus ipſe locis adero; primo impete cedet,
Credite, & obluctans fruſtra malè rapta reponet.
Talia GUILLELMUS dixit, quid fecerit, audi.
Principio Europæ ſpectacula magna daturus,
Regifico luxu plenis ſecat æquora velis,
Et tandem Hagæas venit expectatus ad arces.
Hìc ubi, de ſummis accita Hollandia rebus
Concilium in magnum, patriæ quem viderat olim
Patentem imperiis, ſolio miretur in alto
Sublimem, legeſque viris ac jura ferentem.
Illuc & variis de partibus ordine longo
Teutonici Proceres oſtroque auroque decori
Conveniunt; lætos reditus amor omnibus unus
Gratari, promptiſque virum captare priores
Obſequiis. Pendent humiles dicentis ab ore.
GUILLELMUS micat in mediis; nova gaudia pectus
Pertentant; cunctis, meritis pro talibus, æquat
Blanditias bonus, & malè credula pectora grandi
Spe fovet: ingenti reſonant longa atria plauſu
Interea, lautiſque nitent convivia menſis.
Eja agite, ò Proceres, vino ne parcite; Rhemi
Certa fides, mox vina dabunt meliora ſubacti.
Sic ait; aſſenſere omnes, majora petuntur
Pocula, jam cyathis Urbs panditur obvia plenis.
Ecce autem attonitas venit improviſus ad aures
Nuntius, admotis LODOICUM inſiſtere caſtris,
Et quatere obſeſſos repetito fulmine Montes.
Ancipites hærere animi, quæ rebus in arctis
Sit ratio, & quà fas præſentem avertere cladem,

GUILLAUME *marche avec cent Bataillons:*
GUILLAUME *arrive; & laiſſe prendre Mons.*

Mais de ſes Faits d'éternelle mémoire,
Ce n'eſt pas là que ſe borne l'hiſtoire:
Pour achever de nous metre aux abois,
Il a campé ſous Bruxelles deux fois:
Il a fait plus, il a vers nos frontieres
Fait avancer ſes Brigades guerrieres;
Et ſur Dinant lancé de toutes parts,
Pendant un mois, de menaçant regards;
Puis, pour mieux faire une autre fois la guerre,
Il a repris la route d'Angleterre.
France, tremblez, le voilà revenu;
Son Parlement en vain l'a retenu;
Il vient enfin dégager ſa parole;
A la Victoire, il marche, il courr, il vole:
Puis en chemin, quand il eſt averti,
Que des François Namur eſt inveſti,
C'eſt-là, dit-il, qu'échouëra leur audace;
Vingt Bataillons répondent de la Place,
D'aucun ſecours elle n'aura beſoin;
Que s'il en faut, le ſecours n'eſt pas loin;
Et deſormais, tout ce que je demande,
C'eſt ſeulement que le François m'attende.
Le GRAND LOUIS *va ſon train cependant:*
Et ſous Namur, infatigable, ardent,
Préſent à tout, preſſe, attaque, foudroye,
Remplit les ſiens de courage, & de joye;

Qui ſous ſes yeux, & ſous ſes Eſtendars
Sont ſeûrs de vaincre, & ſont autant de Mars.
Que fait GUILLAUME? *il ſonge, il délibere,*
Jette des ponts, veut donner, puis differre;
Et voit enfin, ayant rompu ſes ponts,
Tomber Namur, d'un peu plus près que Mons.
Un moindre Chef, en voulant entreprendre
De le ſauver, auroit perdu la Flandre.
Luy plus profond le laiſſe prendre exprès,
Pour la ſauver, & le reprendre après.

Digitized by Google

Conſulere in medium. Cunctis mens omnibus una eſt,
Obſidione levare ſuos: concurritur: ipſe
Carpit iter, centumque trahit GUILLELMUS ad urbem
Agmina: progreditur, muris fit proximus, hoſtem
Aſpicit, & capta placidus ſinit urbe potiri.
Haud tamen hic ſe ſe GUILLELMI nobilis ardor
Continuit; totam Gallorum exſcindere gentem
Juratus, ſemel atque iterum ſub mœnibus ipſis
Bruxellæ, explicuit florentes ære catervas.
Auſus & invictas acies advertere noſtris
Finibus, irato ſimilis ſimiliſque minanti,
Fortia ter denos Dionanti ad mœnia ſoles
Terribiles oculos circumtulit: inde futuri
Providus, & ſe ſe meliora in fata reſervans
Ad fidos propera remeavit claſſe Britannos.
Venit ſumma dies tibi, Gallia, triſtia luge
Fata, redux GUILLELMUS adeſt: nil vota Senatus,
Nil tenuere preces: ſua jam promiſſa repoſci
Senſit, & ad palmam rapidus volat, emicat, ardet;
Ac licet obſeſſum Gallo cingente Namurcum
Audiat, haud reflectit iter, vel ſegniùs urget
Propoſitum; tandem hoc ſcopulo temeraria, dixit,
Gallorum vis fracta cadet: ſunt mœnia multis
Agminibus defenſa ſatis: ſin forte neceſſe eſt
Obſidio feſſis longo ſuccurre, promptam
Experientur opem: citus advolo; Gallus ad urbem
Me tantùm expectet, votorum hæc ſumma meorum eſt.
Nec minus interea cœptos impune labores
Accelerat, variiſque Namurcum aſſultibus urget,
Partitus curas operum Martiſque pericla
Magnanimus LODOIX; partes diviſus in omnes
Inſtat agens, urbem premit undique, fulminat arces,
Lætitiaque animiſque ſuos audacibus implet.
Olli percipiunt avido ſub pectore flammam
Regis ad aſpectum, tantis & vincere certi
Auſpiciis, Martemque animis & viribus æquant.
GUILLELMO quis ſenſus ineſt? deliberat, alto
Pectore multa putans: pontes modo jungit, & ire
Frendet in adverſos, ruptis mox pontibus, ante
Viderat ut lentus Montes cecidiſſe ſuperbos;
Sic oculo propiore videt cecidiſſe Namurcum.
Quamquam ô! ne, Flandri, victos ne plangite muros;
Dux alius virtute minor ſervare Namurcum
Aggreſſus, totam, quam Flandria longa, ruenti
Gallo objeciſſet: ſenſit GUILLELMUS, & urbes
Ut reliquas ſervet, facilem putat eſſe Namurci
Jacturam, validis repetat quod protinus armis,
Gaudeat & multa Gallorum clade receptum.

Dans cette veuë, avec la confiance
Que de LOUIS *luy redonne l'abſence,*
Il tient d'abord, par de longs campements,
De ſes deſſeins tout le monde en ſuſpens;
Il tient après, par une marche lente
De ſes deſſeins tout le monde en attente:
Puis pout d'un coup, pour jouër au plus ſeûr,
Il ſe raviſe, & fait grace à Namur;
Songe à donner jalouſie à Dunquerque;
Et voit de loin le combat de Steinquerque,
Où, ſous l'acier de nos fiers Bataillons,
L'Anglois rebelle a mordu les ſillons.

Alors outré, ne ſçachant plus que faire,
Il laſche enfin la bride à ſa colere;
Et ſa colere à tel point l'emporta,
Que bruſquement ſur Furne il ſe jetta,
Qui tout ouvert, dépourvû de deffenſe,
Et s'eſtimant de trop peu d'importance,
S'eſtonna fort, & s'eſtonne aujourd'huy,
Qu'un ſi grand Prince ait pû ſonger à luy.
Ainſi finit la ſuperbe Campagne
Du Protecteur d'Angleterre, & d'Eſpagne;
Que s'il repaſſe encore un coup les mers,
J'eſpere voir LOUIS *maiſtre d'Anvers.*

Nec

Digitized by Google

Nec longum in medio tempus (dum redditus Aulæ
Spes Lodoix animoſque facit) nova pectore verſat
Conſilia, ingenteſque parat ſarcire ruinas.
Nunc ſimulare moras poſitis longo ordine caſtris:
Multiplici nunc agmen agens ambage viarum,
Suſpenſumque orbem, & rerum novitate paventem
Fallere amat: mox ne qua bonas ſpes alea ludat,
Deſerit incœptum catus, ignoſcitque Namurco.
Interea ſecum Dunkerkæ multa minatus,
Stenkerkenſem alto videt eminus aggere pugnam:
Hìc ubi fatali ſub acinace perfidus Anglus
Sanguineam exſpirans rabido terram ore momordit.
Tunc & mentis inops, ſtimuliſque accenſus amaris
Guillelmus cunctas irarum effundit habenas:
Nec capit ira modum: facto petit impete Furnas;
Furnas, quæ portis bipatentibus obvia, nullo
Urbs defenſa ſitu, nullo aggere, milite nullo,
Obſtupuit prædam ſe tanto Principe dignam.
Hìc demum finemque habuit, metamque laborum,
Quem Batavus, quem Belga ferox, Hiſpanus & Anglus
Tutorem agnoſcunt defenſoremque ſalutis.
Quod ſi iterum Batavas repetat male providus urbes,
Credo equidem, nec me fallit ſpes vana, revulſis
Victorem excipiet Lodoicum Antuerpia muris.

Digitized by Google

LIBER CARMINUM MISCELLANEUS.

ANIMA POENITENS.

ELEGIA.

O Deus! humanis patiens manſueſcere rebus,
Excipe ſollicitas aure favente preces.
Ne ſcelerum facies vultus avertat amicos!
Tu quodcumque meum eſt, vincis amore ſcelus.
Ablue contractas vitiato in pectore ſordes:
Nil ſuperet, tibi quod diſplicuiſſe queat.
Pœnituit peccaſſe, Deus! tibi ſiſto nocentem,
Nec licet admiſſum diſſimulaſſe nefas.
Namque reum ſceleris noctuque diuque fatigat
Umbra ſequens, miſeros & facit uſque metus.
Inconſultus ego. Te coram admittere crimen;
Atque oculos potui conſcelerare tuos.
Quanquam ignoſce, Deus! primo ſcelus hæret ab ortu,
Et cordis graſſans intima peſtis habet.
Has ego contraxi ſordes genitricis ab alvo;
Secretoque mali pectore ſemen ineſt.
Ergo ne totum pigeat, Deus alme, lavare;
Nec laviſſe ſemel ſit ſatis, uſque lava.
Tum maculæ cedent, lotoque è corpore ſordes;
Tunc mihi; qui certet cum nive, candor erit.

ANIMA INFERIS IGNIBUS DAMNATA

Ad amicum olim ſuum adhuc viventem

ELEGIA.

O Tu funeſto quondam mihi junctus amore!
O Tu prima mihi cauſa caputque mali!
Accipe, qua careo, ſemperque carebo, ſalutem;
Namque ubi ſum, non eſt, non erit ulla ſalus.
Quæ tibi Charta venit, Stygios tranſmiſſa per ignes.
Uſta foret, lacrymis ni foret uda meis.

Væ

Digitized by Google

Væ mihi, quem non tot fecere pericula cautum!
 Væ tibi! væ; damno ni ſapis ipſe meo!
It mihi ſulcatos prædatrix flamma per artus;
 Nec pœnæ requies ulla, moduſve datur.
Quin vires Deus ipſe novas amat addere flammis;
 Et flatu ardentes ſuſcitat ipſe rogos.
O dolor! ò pœnæ genus intolerabile! læſi
 Numinis ultricem ſuſtinuiſſe manum!
Hæc mala tanta mihi peperit damnoſa voluptas,
 Illecebris heu! me perdidit illa ſuis.
Imprudens! quò me malè providus abſtulit error?
 Quanto delicias penſo labore breves!
Saltem ſi qua forent tanti ſolatia luctus;
 Si quis forte mali finis adeſſe queat.
Verùm æterna manent miſerum tormenta, nec unquam
 Suppliciis aderunt tempora certa meis.
Ne te infelicis miſeratio tangat amici;
 Nil tua jam pietas, nil mihi proſit amor.
At cave, ne quando teſtis ſociuſque dolorum
 Huc venias; noſtrum creſceret unde malum.
Ergo appone lucro pretioſi temporis horam:
 Hæc fugit, & nunquam poſt fugitiva redit.

POETÆ LUCTUS AMISSA CRUMENA.

ELEGIA.

ITe oculi in lacrymas, largoſque effundite rivos;
 Cauſa nequit lacrymas æquior eſſe meis.
Diſperii! incauto malefidus prædo Crumenam,
 Et mea cum nummis gaudia cuncta tulit.
Quò ſequar, aut qua te latitantem parte requiram,
 Improbe? te quis habet, blanda Crumena, locus?
Carminibus plus heu! miſero dilecta Poetæ!
 Charior & cunctis una Crumena libris!
Ah! ſine te valeat, quid enim mihi proſit, Apollo!
 Majus Apollineo Numine, Numen eras.
Ducebam facili tecum bona carmina plectro;
 Carmina jam ſine te reddere plectra negant.
Ah! male ſit! nam quid voveam tibi, peſſime furum;
 Quæ te pœna manet crimine digna ſatis?
Adſit Tiſiphone, diroque armata flagello,
 Nuda per inſultans ilia triſte ſonet!
Adſit Tartareis Alecto excita tenebris;
 Vindice furaces uſtulet igne manus!
Sed quid ego hæc? fruitur rapta malè prædo Crumena,
 Et ſurda ridet perfidus aure minas.
Te ſaltem afflicti tangat miſeratio vatis,

Phœbe pater; miſero, quam potes, affer opem.
Intactis per te revolet, precor, integra nummis,
Et notos repetat ſalva Crumęna lares!
Ni tamen ad juſtas intendis, Phœbe, querelas;
Ni bonus ablatas illico reddis opes;
Nulla mora eſt, tibi ſolus habe tua carmina; nummi
Dum pereunt, vatem quid juvet eſſe tuum?

PAULINÆ DESIDERIUM

Cum Maritus ipſius Seneca morte damnatus eſſet.

ELEGIA.

QUid moror infelix? periit pars optima noſtri;
Jam mihi quod miſeræ vita levamen habet?
Quælibet ah! ſimili mihi mors minus aſpera vita eſt!
Si vixiſſe tamen, te ſine, vita fuit.
Quid prius incuſem? Superoſne? an dira Neronis
Imperia? an noſtras fata peroſa vices?
Ingeniis num tanta fuit concordia noſtris?
Acrior avulſis ut dolor inde foret?
Si reus eſt conjux, nec ſum quoque criminis expers.
Nobis idem animus, mens eademque fuit.
Si tamen admiſſi videor tibi criminis inſons,
Barbare; cur plector duriùs ipſa reo?
Mors rapit Annæum; finis tamen ipſa malorum eſt:
Sed me dura magis funere vita manet.
Siccine dividimur? neſcis, ah! perfide, neſcis,
In noſtro quantus pectore regnet amor!
Me miſeram! an tantum merui perferre dolorem,
Ut pereat conjux, nec comes ire queam?
Crudelis pietas! Tecum ſi vivere conjux
Haud potis eſt, cur non, te moriente, mori?
Si tibi ſacrilegi mortem parat ira Tyranni,
Mortem noſter amor, quod negat ira, dabit.
Ibimus; adverſo patuerunt pectora ferro,
Hic ubi caſta priùs vulnera fecit amor.
Si tibi fundendus largo de vulnere ſanguis
Eſt mihi, qui foſſo pectore, ſanguis eat.
Haud ego lethales paveam muliebriter ictus;
Fortior hic vires ſanguis amoris habet.
Una, Tyranne, cadat poſcis tibi victima ferro;
Altera, ſpes ultra, victima ſponte cadet.
Sic bene inexpletum ſatiet mors noſtra furorem?
Sic bene ſervetur jus ſociale tori!
Sic bene qui quondam ſacro nos fœdere junxit,
Jam ſimili meliùs funere jungat amor!

FI-

Digitized by Google

FILIUS AD PATREM

Cùm exulare juſſus inconſulto Patre reverſiſſet.

ELEGIA.

HÆc patere irato ſuccedat Epiſtola vultu:
Dicere quæ timuit, ſcribere juſſit amor.
O utinam aſpicias quæ ſit ſcribentis imago,
Quantus & ingenuo ſpiret in ore dolor!
Sic igitur Natum nequicquam multa precantem
Abjicis, & nullum ſic habet ira modum?
Quò fugiam? miſerum nam quò, Pater optime, mittis?
Unde mihi, qui me ſic amet, alter erit?
Erravi; cauſas habuit tamen error honeſtas;
Invidiam noxæ detrahit ille meæ.
Externas quid enim in terras inviſaque regna
Ire jubes? Sine te, quæ mihi vita foret?
Parueram tamen, & ſortem indignatus iniquam,
Ibam quò patris lex inimica jubet.
Obſtitit unus amor, greſſum quin comprime, dixit;
Iratum flectes, qua potes arte, Patrem.
Crede mihi; poſito miteſcent corda furore;
In te crudelis nec queat eſſe diu.
Obſequor; imperioque Dei veſtigia torquens,
Deferor ad notos, lætus ut ante, lares.
Eheu! qualis eras! quantùm mutatus! ut omnis
Tunc aberat vultu, qui ſolet eſſe, lepos!
Ut vidi, ut ſtupui! ſubitus tremor occupat artus,
Et toto gelidus corpore ſudor iit.
Quin etiam conata loqui ter inutilis hæſit
Lingua, ter incepto deſtitit illa ſono.
Fulmineo ſimul ore tonas; metuenda minaris;
Ingentique paras clade piare ſcelus.
Quod ſcelus ah! ſcelus eſt, quòd non ſapienter amavi;
Unus amor noſtri cauſa caputque mali.
Da culpæ veniam; decepit idoneus auctor,
Si culpa eſt, tanto ſub duce culpa levis.
Iræ pone modum; mea te ſuſpiria tangant;
Te largo moveat vultus ab imbre madens.
Non ſat pœnarum exhauſtum eſt: quid plura repoſcis?
Ultus es offenſas, ut decet, ipſe tuas.
Exilium crudele fero, quæ durior unquam
Exilio veniat pœna dolenda mihi?
Ah! potiùs quodcumque jube; nil deprecor, ultro
Perpetiar; vultus ſed mihi redde tuos.

IN SYMPATHIAM.

JAMBUS.

AMo Meliſſum; ſentit hoc animus, tamen
Mihi cauſa, cur amem, latet.
Non amo Menalcam; ſi rogas, cur non amem?
Unum hoc ſcio, quòd non amo.
Uterque nuſquam viſus, ignotus mihi
Uterque vixit hactenus.
Vidi Meliſſum, pectus exarſit mihi;
Deliberandum nec fuit.
Vidi Menalcam, pectus immotum ſtetit,
Et amoris haud ſenſit faces.
Par eſt utrique gratia, & forſan quoque
Virtute ſunt ambo pares.
Nihil habet alter, alterum ut vincat; tamen
Cur vincit alter alterum?
Cauſam rogare parce; cor novit ſatis,
Quod lingua non poſſit loqui.

SANCTÆ GENOVEFÆ PARISIORUM PATRONÆ.

Votum ipſo ejus Feſtivitatis die perſolutum.

ODE.

NAm quæ micanti prodit ab æthere,
Subvecta nimis Diva curulibus,
Cui caſta cœleſtem coruſcat
Dextra facem rutilante flamma?

Proh! quando fulſit pompa decentior?
Hinc inde certant Aligerum chori,
Stipare ſolemnem triumphum, &
Unanimi decorare cœtu.

Pedum Puellæ pars rapit æmula;
Coluque ludit pars pueriliter;
Pars gaudet adducto retortos
Pollice deproperare fuſos.

Agnoſco Noſtræ inſignia Virginis;
Quam rite votis alma Lutetia
Ambit Patronam; Te ſiniſtris
Præſidium, GENOVEFA, rebus.

Agnoſco. Feſti ſcilicet annui
Recurrit orbis; lux oritur ſacra;
Et jam repercuſſas per auras
Æra ſonis crepuere lætis.

Jam fervet omnis ſemita, quà frequens
Se turba ſanctis ædibus inſerit:
Ubi verendas, dulce pignus,
Relliquias Loculus recondit.

Quin ipſe vulgo mixtus amabili,
O Diva, feſtis accino plauſibus
Impune, quem dudum remordet
Conſcia mens, neque dum ſoluti

Reum ſacramenti uſque redarguit.
Aſt obligatam non tamen impius,
(Rurſum tremendas teſtor aras)
Deſeruiſſe fidem videbor.

En adſum, amicam qui toties manum,
Opemque certam rebus in anxiis
Expertus, aggeſtis Sepulcrum
Debueram cumulaſſe donis.

Quanquam nec adſunt divitis Indiæ,
Nec quas beatus volvit opes Tagus;
Lux unde major, vel Feretro
Ditior adveniat ſupellex.

Saltem fidelis Tu, precor, obſequi
Dignare munus; quoſque vovet Cliens
Juratus ultro, ne repelle
Promeritos, mea Diva, cultus.

An lingua nomen prætereat tuum
Ingrata? Franci Tu decus Imperi
Dicere; Tu ſpes blanda, & Urbis
Certa ſalus, GENOVEFA, noſtræ.

Depulſa per te longiùs hinc lues
Inviſa cultis frugibus exulat:
Per te benigno larga cornu
Copia luxuriat per agros.

Tu dira, morbos, agmina, Tu febres,
Malam cohortem, pellis: & impigri
Vis dura lethi, Te jubente,
Continuit ſuperata greſſum.

Nunc

Digitized by Google

Nunc ergo donis adde prioribus,
Votis quod omnes omnibus ambiunt:
Quod fuſi ad aras Te precantur
Solliciti, tua cura, Galli.

Nam cur tot annis arma ferox quatit
In orbe Mavors? Non ſatis eſt adhuc
Laboris impenſum & cruoris?
Da veteris cadat ira belli:

Da litigantes mutua Principes
Nexu perenni fœdera ſanciant:
Dudum exulantem redde Pacem;
Pacis opes, GENOVEFA, redde.

FAMA AD PICTURAM

Ut pingat ad vivum PHILIPPI V. *Hiſpaniarum regis imaginem, per univerſas Hiſpaniæ urbes, antequam adveniat ipſe, deportandam.*

ODE.

Rerum Parentis nobilis æmula,
Sincera vivis ora coloribus,
Et arte ſpirantes ſagaci,
Diva potens, animare vultus.

Seu læta fertis prata virentibus,
Seu blandientes pingere Gratias,
Doctamve Muſarum catervam
Artifici properas tabella.

Quod penicillo cumque pares opus,
Cœptos labores deſine perſequi:
Se major offert, pulcriorque
Materies tibi, Diva, ſurgit.

Ergo magiſtras expedias manus;
Nunc artis, uſus nunc opis eſt tuæ;
Dignum Nepotem LUDOVICI
Pingere deproperes PHILIPPUM.

Regale viva ſpiret imagine
Dignumque multis imperiis caput:
Vox una deſit, ſed loquatur,
Si qua fides oculis, Tabella.

Augu-

Digitized by Google

Auguſta vultu gratia fulgeat;
Micent ocelli ceu geminæ faces;
Lumenque formoſum juventæ
Purpureis natet in labellis.

Flexu decoro colla per ardua
Errare flavam cæſariem dabis:
Felixque circumdet capillos
Augurium populis, Oliva.

Tum finge corpus, quod Phaeton tulit,
Proles paterni muneris æmula;
Exæſtuantes cùm per auras
Egit equos, celereſque currus.

Vel qualis audax Æſonides fuit;
Cùm vectus Argo vela dedit rate;
Colchoſque Phryxææ bidentis
Quæſiit ambitioſus aurum.

Aſt ò peritæ dexteritas manus,
Artique virtus non imitabilis!
Agnoſco ſpirantem PHILIPPUM!
Quantus Avus Genitorque in una

Spirat Tabella! Nil ego jam moror;
Nimbo curuli per liquidum ferar,
Blandaſque gentis ſpes Iberæ, &
Læta nimis celebrabo fata.

Ibo per omnes Heſperiæ plagas,
Mentiſque dotes egregias canam;
Et, dicta ſi fors quis refellat,
Iſta fidem faciet Tabella.

GALLIA AD PACEM

Cùm graviſſimis Bellorum motibus concuteretur;

O D E.

QUeis te requiram longiùs exulem,
Pax alma, terris? quove feram preces
Audita nondum per tot annos,
Et miſeræ patiens repulſæ?

Quò

Quò curioſus cumque oculos agam,
Orbiſque vaſtas ſollicitem plagas;
Fruſtra beatæ jacto Pacis
Dulce nimis placidumque nomen.

Vox una ripis redditur omnibus,
Vox una ſylvas ſaxaque perſonat;
Abſiſte; quid Pacem fatigas?
Æthereas revolavit arces.

Pax alma terris pulſa nocentibus,
Impune toto bella ciet ferox
In orbe Mavors, & tremendos
Flectit equos, agitatque currus.

Illum citato ponè ſubit gradu
Bellona tortis anguibus efferа:
Cædiſque fatalem & cruoris
Inſinuat populis amorem.

Ergo ne, dixi, nulla manet ſuper
Pacis fruendæ copia? Tun' colis
Sedes beatas, Diva, nunquam
In miſeras reditura terras?

Fœcunda culpæ ſecula ſi graves
Pœnas repoſcunt, num ſatis hactenus
Delicta mortales piare
Debuimus, mala quos iniqua

Dudum fatigant? vidimus aridos
Latè per agros horrificam luem
Fruſtrare lætas ſpes colonum,
Et ſteriles generare culmos.

Proh! dira quantùm ſævit hinc fames!
Quos illa luctus gentibus intulit!
Quot miſit Orco! quot ſepulcri
Perpetuis tumulavit umbris!

Non plura Martis ſuſtulit alea,
Ferus vel enſis corpora meſſuit.
Nec dum furentis cauſa belli
Ceſſet adhuc; niſi Tu benigno

Noſtros labores lumine reſpicis;
Ni celſa Divum deſeris atria,
Promptum laboranti parata
Auxilium dare, Diva, mundo.

Quod

Quod ſi nocentes ulteriùs placet
Urgere pœnis; ſi pia reſpuis,
    Quæ vota mœſti ſupplicesque
        Deferimus, vitiis iniqua.

An non querelis Te Pietas ſuis,
Longaque flectat Relligio prece
    Dudum morantem? cerne quantos,
        Dum procul es, patiatur æſtus!

Inſomnis Error ſcilicet excubans
Aris nefandas inſidias ſtruit;
    Interque bellorum fragores
        Mille vias reperit nocendi.

Audimur! alto fulſit ab æthere
Pax alma riſus inter amabiles;
    Cœlum relinquit, Gallicaſque
        Viſa gradum properare in oras.

Huc ergo curſus, huc, Dea, dirige:
Nam quid moratum eſt? Ne pigeat graves
    Finire luctus, & priorem
        Lætitiam revocare terris.

Tu plaude tandem: tu melioribus
Aſſueſce fatis, Relligio; quies
    Te, poſt tot inſanos tumultus,
        Certa manet; furialis Error

Malè occupatas deſtituet plagas;
Nodiſque centum vinctus aheneis,
    Natalia umbratum reviſet
        Regna, nihil nociturus aris.

RELLIGIONIS CLASSICUM.

ODE.

NAm me quis alto clangor ab æthere
Inuſitato murmure perculit?
    Vel cur amantes pacis urget,
        Exſtimulatque animos ad arma?

An non cruento jam ſatis eſt datum
Marti? quid ultra profuerit novos
    Tentare bellorum tumultus,
        Et rigidas iterare pugnas?

Quan-

Digitized by Google

Quanquam vocantem quid moror, aut ſacram
Iners repugnem militiam ſequi;
Magnoſque tentanti labores
Addere me ſocium catervæ?

En ipſa cunctis munia dividens
Turmas in hoſtem Relligio movet;
Nec falſa vates, futiliſve
Augurium cecinit triumphi!

Nam quanta curru fulget in aureo!
Quàm vivus ardor luminibus micat!
Proh! quale geſtat, quàm tremendum
Dextra parat jaculare fulmen!

Quotquot doloſis peſtifer artibus
Seduxit Error tramite devios,
Cæcoſque per flexus viarum
Uſque rapit malè pertinaces;

Timet: fruſtra Tartareas juvat
Artes malignis nectere fraudibus;
Corpuſve letho deſtinatum
Ictibus eripuiſſe certis.

Nequicquam Avernis faucibus exerens
Infeſtus Anguis terrificum caput
Eructat immanes favillas,
Tabificumque vomit venenum.

Contra triſulcam Relligio facem
Dextra coruſcans deſuper adſtitit;
Imaſque depaſtum medullas
Lethiferum celeravit ignem.

Nunc fortè ſi quis reſtat adhuc ſuper
Monſtri in cruento corpore ſpiritus;
Vos ò, Sacrorum quos remordet
Cura, citi properate ferrum.

Devota veſtræ victima dexteræ
Fruſtra reluctans funerum volet
Vitaſſe vulnus, vel decoro
Surripuiſſe caput triumpho.

Quin & nefandæ, quas ciet Hæreſis,
Fato cohortes diſpereant pari:
Pulſis & Errorum catervis,
Relligio dominetur una.

IN EPOMIDEM MAGISTERII INSIGNIA.

ODE.

O Ter beatum cujus ex humeris fluit
 Cultus nitentis velleris!
Epomis alma, ſpecimen eximium ſacri
 Pudoris, & felix nota!
Nam prima quæ te corpore in caſto tulit
 Intaminata bellua;
Hæc inquinari metuit, & malit mori
 Quàm ferre labis dedecus.
Pretioſe candor! vivide ante alios color,
 Animæ innocentis prima laus!
Qualis mihi dicere? tu canas nives
 Nitore vincis æmulo.
Tibi cuncta cedunt lilia, & tecum abnuant
 Certare, tam pulcrè nites!
Non alba quoties æthere in puro micat,
 Tibi comparabo Cynthiam,
Aut ipſa, ſparſo lacte quæ fulget polo,
 Æquare te poſſit Via.
Epomis alma, quot tui cupidos paris!
 Quot una ſtimulas æmulos!
Quiſquis decorum vellus induerit ſemel,
 Dignum labore præmium;
Illo beatus, Principum æquabit vicem,
 Nec invidebit purpuræ.

EMINENTISSIMO CARDINALI DE POLIGNAC,

A Chriſtianiſſimo Rege nuper Ultrajecti paci componendæ cum poteſtate Legato.

ODE.

IMplexa Regum jura, diſſidium vetus,
 Cauſaſque bellorum graves
Dum lance penſas arbitra, & pacis bonæ
 Sequeſter abſcindis moras:
Præſul verende, num tibi tantùm otii eſt,
 Res inter immenſas, ſuper,
Ut, ſi quid olim luſimus, noſtris ames
 Momenta nugis addere? *
Quin & probari, Fama ſi verum refert,
 Joſephus hic viſus Tibi;

* Editam Joſephi à fratre ſuo vendiri ſa[illegible] legebat Ultrajecti, & probabat.

Quem livor atrox, ira quem fratrum impia
    Damnavit inſontem ſpecu.
Non ſpiſſa plauſu ſi theatra perſonent,
    Frontemve laurus implicet:
Hac tam beatus ſorte ſim: quàm ſi tuo
    Placere merui calculo.
Nam delicati laude quis tecum ingeni,
    Blandave certet gratia?
Non ille veteres qui ſono teſtudinis
    Struxiſſe Thebas creditur;
Nec qui cruentas leniit cantu feras,
    Dixitque leges Inferis:
Non ipſe ſummo qui ſedens Pindi jugo
    Vatum catervam temperat;
Sic erudita Barbiton pulſant manu;
    Vel tam canoros dant modos;
Quàm Tu, * ſonantem fortè ſi tangis Lyram,
    Et ora ſolvis in melos:
Seu Conditori vindices orbem ſuo,
    Dextramque ſolertem canas,
Per quam repens enata lux fulſit polo,
    Noctemque ſecrevit die:
Terramve memores molis oblitam ſuæ,
    Jubentis ad vocem Dei,
Medio natantem in aere, immotam ſitu,
    Sed axe gemino pendulam.
Seu temperatas ſortis humanæ vices,
    Certiſque vinctas legibus;
Quas ortu ab ipſo docilis & dictu audiens,
    Natura conſtanter ſubit.
Senſit canentem Stygis ab infernæ lacu
    Mundi inficetus artifex, *
Humana cœco qui docet caſu regi,
    Orbique Numen invidet:
Qui fingit animas corporum fato pares,
    Ævi perennis indigas.
Senſit, nec audet aleam certaminis
    Tecum ingredi Lucretius.
Non clara titulis quod tibi fulget domus,
    Et nomen antiquum ſonas;
Sed genere quod mens eſt tibi ſublimior,
    Et nomen ingenio ſubeſt.
Hinc Laurus aret quæ comam vatis premit,
    Et priſtinum amittit decus:
Hinc plectra manibus decidunt, juſſos Chelys
    Dum pulſa non reddit ſonos.
Ipſe, ipſe, quem pudore permixtus pavor
    Erroris incuſat reum,

* *Scripſit Poema, quod nondum edidit Eminentiſſimus Cardinalis, quo errores Lucretii de creatione mundi confutat.*

* *Errores Lucretii.*

Per

Per cœca Ditis antra, flammæ pabulum;
  Victoris aſpectum fugit.
Quid ergo ceſſas, flos ſacri & ſplendor chori,
  Priſciſque major vatibus?
Quid nocte condi tandiu obſcura jubes
  Verſus timendos impiis?
Vix lætiore cœperint aura frui,
  Virumque in ora venerint;
Cùm ludere animos ſueta, vaneſcent Sophi
  Inſanientis ſomnia.
Et ſi quis alto providum Numen polo
  Adeſſe deceptus neget;
Hic ſana diſcet, opere dedoctus tuo,
  Sentire, & abſolvet Deum.
Exurge dignus ultor, & fatalia
  Contorque in hoſtem ſpicula;
Feralis Error queis ineluctabili
  Proſtratus ictu concidat.
Sic Gallicanis mox redonatus plagis,
  Pacto perenni fœdere,
Dulcis reportes læta pacis otia,
  Cornuque pleno copiam.
Sic Roma meritis æqua redeunti annuat,
  Quam deſtinavit purpuram.
* Fallor ſecundat vota, ſpes ratas jubet,
  Jam purpuratus advolas;
Orbemque dum ſpe pacis haud vana beas,
  Primam ipſe mercedem refers.

* *Dum hac ſcriberentur venit Nuntius qui relatum à Summo Pontifice inter Cardinales fuiſſe illuſtriſſimum Abbatem reportavit.*

APPENDIX

Ad Odem Eminentiſſimo Cardinali de Polignac inſcriptam.

QUAM fecimus in Ode proxima de Anti-Lucretio mentionem, movit jam dudum incredibilem Literatorum hominum Reipublicæ cupiditatem, ut tam novum, tam exquiſitum, tam bellè comparatum adverſus Divinæ Providentiæ obtrectatores opus omnium manibus tereretur: Non ſtetit quidem per Cardinalem Eminentiſſimum, quin, quodcumque ſuperfuit ipſi, cùm à mole tum à varietate rerum ſuarum otium, totum id collocaret in abſolvendo ſuo Poemate, & publicæ expectationi reſponderet.

Interim viſus mihi ſum non mediocriter meriturus de Re Literaria, ſi totius Anti-Lucretii Analyſim, quam ipſe Eminentiſſimus Cardinalis pro ſua humanitate mihi credidit, hìc adjungerem, leniturus quoquo modo tam grave Poematis egregii deſiderium; donec ipſum opus, cui nihil in præſentia præter extremam manum deeſt, ſuis è tenebris in apertam lucem prodeat.

POEMA integrum Novem omnino continet Libros, qui ſinguli mille circiter aut mille ducentis verſibus conſtant.

Primus Liber, qui Præfationis inſtar toti Operi præludit, de Voluptate diſputat; & adverſus eos, qui omnibus retro temporibus traditam ab Epicuro de Moribus doctrinam conantur abſolvere, ſic eandem ex ipſis Philoſophi principiis ruinoſam eſſe demonſtrat, ut omnium vitiorum magiſtra ſit. Unde factum eſt, ut Epicuri Sectatores ac Diſcipuli, dum ſe licentiori vitæ permitterent, non tam prava corruptæ voluntatis propenſione impellerentur ad malum, quàm deducta neceſſariò ex Magiſtri ſui placitis concluſione ad peccandum adigerentur.

Secundus Vacuum & Inane tractat, quod primum ab iis ponitur hæreſis ſuæ fundamentum, qui Deum eſſe negant. Docet nullum eſſe ſpatium non creatum, cùm omnia in rerum natura completa ac conferta ſint. Imò Vacuum & Inane, quod admittunt illi, ſive magnum, ſive parvum habeatur, ſic oſtendit nihil conferre quidquam ad corporum motionem, ut eandem deſtruat, & ipſius leges immutet.

Tertius de Atomis diſſerit; probatque illas neque æternas, neque individuas, neque figuratas natura, neque numero infinitas eſſe: denique quaſcumque Materiæ particulas fuiſſe neceſſariò creatas, & ab eo temperatas Auctore qui ſit incorporeus.

Quartus agit de Motu; & revincit penitus aptam non eſſe Materiam ut ſe ipſa moveat: adeoque pugnantia loqui Lucretium, qui, poſita, pro vero, Spatii immenſitate, accuratè defendit, Atomos innata gravitate ad commune centrum deſcendiſſe.

Quintus quæſtionem ponit de Anima. Hìc ſtatuitur eſſe hoc ſolius ſubſtantiæ ſpiritalis ſingulare ac proprium, ut Materiæ motum poſſit imprimere. Sequitur inde Animam hominis eſſe ſpiritalem. Immortalis ergo, quoniam ſpiritalis eſt. Tum reſpondetur ad multa, futilia illa quidem ac frivola, quæ Lucretius ad pompam oſtentat, tanquam Aciem inſtructam, cùm ad unum idemque omnia planè reducantur.

Sextus refellit ac confutat, quæ licentioris vitæ ſectatores, aut obtrectatores Religionis de Belluarum Anima, qualem illi fingunt ſibi, ſentiunt ac loquuntur. Quam enim obtendunt difficultatem, demonſtratur diſſolvi totam ac ruere, quòd ejuſmodi nitatur argumento, cujus ex Propoſitis, de quibus omnino lis eſt & controverſia, quod efficitur & eſt conſequens, id tanquam certum ſibi vindicant. Sequitur longa rerum multarum, adverſus quæ objecta ſunt enumeratio; ex qua demum concluditur, probari non poſſe Belluas eſſe cognitione præditas, quin ſpiritali gaudere Anima, qualis noſtra eſt, eædem cenſeantur; cùm viciſſim ex corporea Belluarum Anima confici non poſſit, Animam hominis eſſe corpoream; quia non cadit in Materiam ut cogitet.

Septimus ex ipſa rerum propagatione infert Deum exiſtere; veterumque ſuper ea re Philoſophorum opinionem refutat; quorum nemo, non Carteſius ipſe præcipuum iſtud Naturæ miraculum unquam pervidit; & quod lateret etiamnum, niſi recentiſſimo Microſcopiorum beneficio innotuiſſet.

Octavus in eo totus eſt, ut novum Dei exiſtentis argumentum ex Mundi totius compoſitione accerſat. Cæterùm reliquas inter opiniones placuit Auctori ſagaciſſimo Copernicanum ſyſtema, quod Keplerus & recentiores Aſtronomi novis inventionibus locupletarunt; quia viſum eſt ſibi, ut fatetur ipſe, ſimplicitate & perſpicuitate ſua ſupremi Artificis excellentiam maximè omnium commendare.

Nonus denique Liber atque Ultimus diſperſas & diffuſas toto Opere argumentationes quàm breviter colligit; & in tota rerum Univerſitate & ſingulis ejuſdem partibus Providentiam demonſtrat.

BEATO JOANNI FRANCISCO REGIS SOTERIA.

ODE.

QUid me querelis, Dive, ceſſantem increpas,
Poſciſque juratam fidem?
Quin & ſeverus ultor intentas graves,
Ni deinde reſipiſcam, minas.
Ah! parce; fruſtra crimen admiſſum velim
Negare votorum reus.
Blandæ ſaluti, Te precante, redditum
Et ſanitati priſtinæ,
An premere longo fas erat ſilentio
Amicam opitulantis manum?
At non iniquo dulce munus pectore
Nec tanta pietas excidit.
Hærent medullis oſſium fixa intimis,
Et, conſcium atteſtor Deum,
Labris ſupremus donec erret ſpiritus,
Hærere nunquam deſinent.
Erumpat ergo de ſinu, & ſeſe palam
Vel ſera prodat gratia.
Nec ſera veniet; nec benignus creditor
Damnabit exiles moras.
Quanquam, ecce gemina jam prope æſtas præterit,
Hyemſque fluxit altera;
Ex quo obligatus ſum tibi, & nomen datum
Procraſtino diſſolvere.
Heu! dum jacerem flebili affixus toro,
Morboque tentatus gravi;
Dum virus atrum, bilis æſtus fervidæ
Per ima ſerpens viſcera,
Ægros & artus uſque & uſque lancinans
Bellum cieret horridum!
Compoſne mentis dicar? an me fecerat
Stimulus doloris impotem?
Rotare falcem viſa Mors, reſcindere
Parata devotum caput!
Expavit animus, membra trepidarunt metu,
Et ire ſanguis deſiit.
Oculis in ipſa luce caligantibus,
Et, quo ferantur, neſciis,
Appenſa propiùs, Dive, quæ tuos refert
Imago vultus, ſiſtitur.
Hìc inter ægros medius optatam dabas
In rebus extremis opem.

Ani-

Animis parumper pulſus attonitis pavor,
   Et lapſa ſpes renaſcitur.
Et mihi medelam, exclamo, Tu pariter ſeres,
   Tu recreabis perditum!
O Dive, ſi fors ſupplici victus prece
   Annueris eſſe ſoſpitem;
Oblivioni dextra detur, hæreat
   Lingua impedita faucibus,
Si bene merentis immemor ſileam manum,
   Laudeſque prætercam tuas!
Audis precantem; protinus cedit dolor,
   Dolore major & metus.
Exurgo, qualis naufrago ereptus mari,
   Per te ſuperſtes & valens.
Agnoſco Cœli munus; ulteriùs piget
   Differre facti gratiam.
Adeſte, per vos ſi quid olim luſimus;
   Si ludere etiamnum licet,
Meæ Camœnæ; nulla ſe veſtro obtulit
   Seges labore dignior.
Quem canitis, Ille nuper adſcriptus Polo,
   Novumque Divis eſt decus.
Gemino verendus nomine in terris fuit; *
   Et grandius quidquid ſonat
Utrumque nomen, inclytis virtutibus,
   Factis & æquavit ſuis.
Agite ergo; facer eſt, veſtra qui jam pectora
   Et ora complebit furor.
Aptate cantus tam pio dignos Viro,
   Studiiſque paribus dicite;
Quos Ille caſus, quas & ærumnas tulit,
   Tibi, Chriſte, dum ſe devovet:
Dum Sacra revehit, dum ſuus templis honos
   Et cultus aris redditur:
Per quot labores, per quot & pericula,
   Mortalis ævi prodigus,
Cœleſtum inanes, frugis expertes bonæ
   Salutis edocuit viam.
Memorate gentes inferis de ſedibus
   Raptas & aſſertas Polo.
Hunc tremit Avernus hoſtis, & Stygia agmina
   Verentur aſpectum pati.
Sentit minantem dira morborum lues,
   Mors ipſa falcem continet.
Ite, ò Camœnæ præpetes; verſu levi
   Quod audiſtis ſpargite.
Hæc totus orbis noverit miracula;
   Nec eſſe me ingratum ſciat.

* Joannes Franciſcus vocabatur.

LUDOVICO MAGNO EPICEDIUM.

ODE.

Plaſ-ne ſemper, Mors inexorabilis,
Mortalium illudas preces?
Imos & æquo proteris Summos pede,
Ipſis tremenda Regibus?
Saltem ah! vereri decuit auguſtum caput,
Et LUDOVICO parcere!
Parum-ne diris eſt datum furoribus?
Pœnaſve tibi luimus leves;
Dum planctum acerbo regiam miſces domum,
Et funus addens funeri,
Suos amores, unicam ſobolem Patri,
Regniſque Delphinum invides?
Dum falce eadem conjugum par nobile,
Neptem & Nepotem demetis;
Natumque in uno, per novum condis nefas,
Et Patris & Matris rogo?
Priora nondum coaluere vulnera,
Oculiſque fletus aruit;
Ades, & cruenta rurſus inſultans manu
Sævis Nepotem in alterum!
Reſtabat unus Proavus, Avus idem & Pater,
Sortis levamen aſperæ;
Dum blanda avitæ gentis & ſpes ultima
Parvus adoleſcit Abnepos.
Tanti eſt dediſſe perbreves inducias,
Ut ſurgat ætas plenior,
Francique diſcat Patriis virtutibus
Moderari habenas Imperi?
Lugete Galli; nam quibus mage flebilis
LODOICUS ingens occidit?
Verſate priſcos ſedula Annales manu,
Fumoſa tot volumina:
Queis exarata Gallici laus nominis,
Et facta Regnantum inclyta.
Quiſquam-ne major LUDOVICO ſiſtitur?
Par-ve aut ſecundus extitit?
Non ille vacuum geſſit ad pompam decus,
Magni vel umbram nominis.
Adeſte teſtes, quotquot armis terruit,
Regnis & adjecit plagas.
Senſit Moſella Magnum, & Iſter ſanguine
Toties ſuorum decolor.

Senſit

Senſit ſubactis Rhenus admiſſum intuens,
Et imperantem fluctibus.
An ille viſus pace, quàm bello minor?
Timendus, an amandus magis;
Seu liberalis munerator Artium
Aulam Camœnis panderet;
Seu juris æqui cultor ac vindex, bonis
Scelus vetaret legibus?
Fugere regnis longiùs peſtes malæ,
Et dira vitiorum agmina.
Linguam inſolentem preſſit & ſilentio
Agnovit Impietas Deum.
Aſſerta Themidi jura, pulſa fraus Foro,
Vicitque nuda Veritas.
Et quæ caleno perimit inſanabili,
Nocere Furia deſiit,
Neque poſt duellis fas fuit nocentibus
Rixas dirimere civicas;
Quibus & perire decuit hoſtes, Patriæ
In funus enſes vertere.
Lugete, Gentes; nec pias pudeat dare
Jam LUDOVICO lacrymas.
Fulgore quamvis ille, dum vixit, ſuo
Vos prægravatit æmulos;
Meritum-ne amorem mortuo negabitis,
Quem ferre vivus debuit?
Fallor: nec hoſtes paſſus eſt, clementia
Quos facere amicos noverat.
Non ille rerum dominus, Europæ arbiter,
Utriuſque fortunæ potens,
Deſpexit hoſtem; lege vel iniqua obtulit
Redimenda pacis otia.
Felix! quieti publicæ dum devovet
Partam triumphis gloriam!
Vos, Africæ deſerta, vos, Indi, & Sinæ
Orbem colentes ultimum,
Lugete! veſtris, nocte depulſa, plagis
Amica ſi fulſit dies:
Si victus Error abdidit Stygium caput,
Si lapſa Cœlo Veritas:
Accipite, vobis unde parta ſit ſalus,
Lacrymaſque memores pendite.
Tu, ſancta Pietas, tu, veranda Numinis
Relligio, quæ Polo ſata,
Æterna ſoboles, generis unicum indyti
Agnoſcis auctorem Deum;
An erubeſcas flere, dum mortem oppetit
Tua cura, LODOIX, maxima?

Nam te ille regnis colere potiorem ſuis;
  Vindexque Sacrorum impiger
Paratus ultro, quidquid ingrueret, tuum
  Subire diſcrimen ſuo.
Veręnda læto templa quòd cultu nitent;
  Suus quòd aris eſt honos;
Quòd dira ſcelerum peſtis, Errorum cohors,
  Pietatis hoſtes exulant;
Hoc LUDOVICI munus eſt: vixit tuus;
  Et qui Abnepotem parvulum
Pietatis eſſe voluit hæredem ſuæ,
  Tuus nec eſſe deſinit.
At quanta nobis, quàm ferax luctus ſeges
  In omne tempus incidit!
O amor, medullis oſſium altis inſitus,
  Præſcribe lugendi modum!
Doloris eſſe ſi tamen poſſit modus,
  Ubi modum excedit dolor!
Qualis triſulco ſi quis ictus fulmine
  Metu repenti ſternitur:
Vis nulla membris, nullus eſt vultu color,
  Hæretque lingua faucibus.
Nos fata verſant talia, ex quo te abſtulit,
  LODOICE, lethi dura vis!
Paſtorem, amicum, quodque deflendum eſt magis,
  In te requirimus patrem!
Nam dulce nobis quando præſidium abfuit?
  Conſtanſve non patuit fides?
Quàm certa pietas! levibus ut nunquam ſtetit
  Paternus indiciis amor!
Noſtras Camœnas bonus & exiguos Lares
  Tuo beaſti nomine.
Animi receſſus intimi, & cordis pios
  Nobis recludebas ſinus.
Ac ne qua amori finis, ut vitæ foret;
  Tu Cor dediſti prodigus.
Pignus verendum! mentis auguſtæ domus,
  Animique magni Regia!
Hìc invicem fixere ſedem propriam
  Fœcunda virtutum cohors.
Hìc ſemper æqua lance verum ponderans
  Auſtera regnavit Themis.
Hìc comes Honoris grata Majeſtas, Fides
  Et cana, Sacrorum metus,
Sortiſque patiens arduæ, haud ſecus ac benæ
  Conſtantia elegit locum.
Regale munus, Principis pars optima,
  Totique Regi pœnè par!

At

At quid viciſſim dabimus? aut dare quid decet
Tanto ſuperbos munere?
Tu fons bonorum prime, qui ſolus potes
Æquare meritis præmia,
Deus ò, repende, quas memor pietas velit
Referre, nec poſſit vices!
Tamen an feremus debitam marceſcere
Sub corde facti gratiam?
Sunt vota nobis, ſunt preces. Si quid valent,
Qui jura Gallis dat Puer,
Lodoice tua per ſe feret veſtigia,
Dignus tot Heroum Nepos.
Sed quid vovere non licet, dum te vadem,
Philippe, votorum exhibes?
Nam tu Puelli Regis erudies manus:
Regnique habenas Gallici
Dum diſcat habiles, Te Magiſtro, flectere,
Exempla ſufficies tua.
Hinc creſcet ingens pectore in tenero vigor,
Magnæque laudis æmulus.
Hinc & ſalutis publicæ, populorum amor,
Et cura creſcet provida;
Rectique cultus atque ſementis bonæ
Vim promovebunt inſitam;
Rex ò Puelle, ſorte felicem tua!
Feliciorem Galliam!
Tibi juventæ contigit Tutor ſagax;
Sibi illa gratatur Patrem.

PHILIPPO AURELIANENSIUM DUCI

Tutori Regis, & Regni Moderatori.

ODE.

INſigne Francis præſidium ac decus,
Blandum & levamen rebus in aſperis;
Audi precantes, & benignam
Quam potis es, fer opem, Philippe.

Sacrum fideles Depoſitum in manus,
Auctoribus Diis, Gallia credidit;
Spes unde Regni certa pendet,
Statque ſalus populi quieſque.

Tutor Puelli Regis, & Imperi
Rector, ſupremis charus & infimis,
Nil jam relictum eſt, quò ferantur
Latiùs ambitioſa vota.

Aſt hæc avito debita ſanguini;
Hæc nota virtus præmia vindicat;
Nulluſque delatos honores
Invideat meritamque laudem.

Ergo receptas Principis & Patris
Imple ſecundis ominibus vices;
Et concitatam vince famam,
Speſque bonas meliore fato.

Errore luſus Gallus amabili
Fletus amaros, quos Lodoix ciet,
Compeſcat ultro, Patruumque
Vivere adhuc putet in Nepote.

Regis tenellas erudias manus;
Orbiſque habenas flectere Gallici
Diſcant; & artem, Te Magiſtro,
Perficiant operoſiorem.

Tu prima ſolers divitis ingeni
Rectique cultus ſemina promove:
Exempla quòd ſi fors requirat,
Tu Proavum Patruumque ſiſte.

Quò vota tendant ulteriùs? Fera
Pac bella Francis finibus exulent.
Nec empta per tot Pax labores
Pulſa iterum procul in remotas

Pertæſa noſtri deficiat plagas.
Da fœneratam viſere copiam,
Terraque defoſſas avara
In manibus rutilare gazas.

SERENISSIMO PRINCIPI LUDOVICO CARNUTENSIUM DUCI

Ducis Aurelianenſis Filio, pro recuperata feliciter valetudine, dum ſedulam vocatus è Clario monte Medicus curam impertiit.

O D E.

AN nulla gravibus adſit ærumnis quies?
Nulluſve lamentis modus!
Vix tergere oculos licuit, exſurgit nova
Repente lugendi ſeges!
Heu! dum Camœnis vertice in toto facit
Dulces Apollo ferias;

Dum læta paſſim per dies ſolidos vacat
Bonis Juventus otiis!
Pindo ſiniſter ecce rumor diditur,
Et blanda turbat gaudia.
Prolem Philippi, grande Borbonidum decus,
Et ſpem parentis unicam
Invaſit atra tale nil meritam lues,
Artuſque per teneros furit!
Vos Dii ſaluti præſides! vos Gallicis
Amica rebus Numina,
Arcete dirum facinus, & noſtras opes,
Veſtraſque ſoſpites date.
Auguſta nam quòd gratia & decens pudor
In ore fulget Principis;
Quòd ſpirat oculis ardor & vis martia,
Virtutis index inſitæ:
Olli benignà quòd ſalit vena ingeni,
Doctarum & artium capax;
Segnes quòd annos anteit Prudentia,
Tardas & incuſat moras;
Et quòd paternæ laudis & avitæ æmulus
Æquare Majores amat;
Veſtra illa, Superi, dona ſunt; unum eſt ſuper,
Diuturna ſint hæc, addite.
Audimur! Ipſo veniet è Pindo ſalus,
Confide, Princeps inclyte.
Uſquam ne tellus ulla, quæ plantas alat
Succoſque vitales magis?
Hîc mite Amomum ſpirat; hic feliciùs
Odora ſudant Balſama.
Quin ipſe medicas Phœbus accingit manus,
Dulcemque famulatum invidet.
Nam Te ille colere Principem ante alios Deus,
Tibi mancipatus & Patri.
Nihil morarum eſt; ægra peſtis aufugit;
Phœbique reveretur manum.
Faceſſe luctus: cedat immitis dolor,
Triſteſque ceſſent næniæ.
Sat uſque curis gravibus, & præpoſtero
Parnaſſus indulſit metu.
Adeſte, adeſte fida Muſarum cohors;
Clariique montis incolæ;
Proles Philippi providis Phœbi artibus
Servata vivit, & valet.
Reſumite ergo plectra, planctus flebiles
Mutate lætis cantibus.
Io, Triumphe, Pindus omnis conſonet,
Et cuncta reſponſent loca,

Pro-

Proles Philippi providis Phœbi artibus
Servata vivit, & valet.

VOTUM PRO INCOLUMITATE PUERI REGIS LUDOVICI XV.

O D E.

AT ò Deorum quiſquis imperio regis,
Et res tueris Gallicas;
Seu qui ſonantes regna per currus agis,
Gradive, bellorum Pater;
Seu Pacis arbor cui ſuum refert decus,
Magni Tonantis filia;
Seu qui perenni luce colluſtras polum,
Vitamque das mortalibus;
Audi ſub alto corde conceptas preces,
Ac, ſi quid indulges, fave!
Nil hic iniquum poſcimus, nil quod pios
Dediſſe pœniteat Deos.
Nos unus angit Rege pro Puero labor;
Hic dulce votorum eſt caput.
Vivat! Salutis nactus in te ſedulum
Fidumque cuſtodem ſuæ,
Duris ſolutos ſoſpes annos exigat
Periculorum caſibus.
Bene eſt. Rogare plura quid Divos juvet?
Vel unde plus veniat boni?
Rex ò Puelle, nil ope aliena indigus,
Tibi ipſe ſufficies ſatis.
Ah! vive tantùm! qui tibi in venas iit
Sanguis tot Heroum ferax,
Munuſque Cœli grande, quo melius nihil
Dedere Superi, nec dabunt.
Hic læta ſpondet fata ſanguis, publicæ
Felicitatis artifex.
Sperate, Galli! ſurget hinc læto agmine
Fœcunda virtutum cohors,
Magnæque mentis hoſpites, cùm ætas ferret,
Regale adornabunt decus.
Hinc ſancta Pietas, hinc Fides, rerum & ſagax
Prudentia adſiſtet comes.
Hinc bellicoſæ laudis ardor æmulus,
Virtuſque vinci neſcia,
Stimulis virile pectus acrioribus
Ad facta pellent fortia.
Jam ſanguis ille corpore in parvo micat,
Segnes & incuſat moras.

Jam

Digitized by Google

Jam vis ocellis martia, & vultu coli
    Jam digna majeſtas ſedet.
Timete, gentes; Regis & primos licèt
    Annos vereri diſcite.
Quos fecit orbi Proavus attonito metus,
    Faciet eoſdem & Abnepos.
Ergo tenelli fata quiſquis Principis
    Moderaris è Cœlo, Deus;
Docilem PHILIPPUS dum juventutem erudit,
    Artemque regnandi docet,
Ades, & fideli creditum pignus manu
    Orbi tuere Gallico.

RELIGIO AD CHRISTIANISSIMUM REGEM LUDOVICUM XV.

Regni Habenas capeſſentem.

PRoles Tonantis, alma Cœlicolum parens,
    Orbi verenda Gallico,
Adſum Polo delapſa: dum feſtis ſonat
    Regalis aula plauſibus;
Dum quiſquis ambit junioris Principis
    Mollem aucupari gratiam,
Ades; meaſque, ſi quid indulges, precor,
    LODOICE, voces excipe.
Regnas, graveſque magni habenas Imperî
    Jam flectis haud rudi manu.
Animum virilem ſcilicet curam & geris
    Puer, nec annis indiges.
Servare lingua didicit arcani fidem,
    Ars magna regnandi bene.
Quin & decora fronte Majeſtas ſedet
    Tam digna amari, quàm coli.
His fruere: fauſtum lætor omen te dare
    Felicitatis publicæ.
At dum ſub æquis legibus populos reges,
    Utr uſque fortis arbiter;
Dum blanda Pacis commoda & amicam bonus
    Tranquillitatem divides,
Et nos tuere propiùs: en Tibi ſe & ſuas
    Religio commendat vices.
Heu! quot labores, quas & ærumnas tuli;
    Cùm fureret Error impius;
Cùm fas & æquum, mihimet inſultans, pede
    Injurioſo verteret!
Quanquam quid ultra verear? aut ego cur vetem
    Prodire, quas ſpes injicis?

Vidi,

Digitized by Google

Vidi, quod omnes deinde compeſcat metus,
    Quod vota tranſcendat mea.
Vidi ſuperbos, Magne Rex, vidi; tuos
    Dicam triumphos, an meos?
Gemmis micabas Tu quidem atque auro gravis,
    Et ſolis inſtar lucidus.
Velabat humeros Trabea, longo defluens
    Humumque lambens ſyrmate.
Impoſta teneræ regium fronti decus
    Corona cingebat comas:
Aurata dextram ſceptra decorabant manum,
    Fulgebat in læva Themis.
Circumvolutans inde ſacros ad pedes
    Numeroſa famulantum cohors
Certabat animis paribus, obſequio pari
    Ad aſtra Regem tollere.
Hæc inter: unum pompa dum Te reſpicit,
    Tuumque nomen perſonat;
Affuſus aris ipſe ſuppliciter meis,
    Et dignitatis immemor,
Humili colebas præpotens Numen prece,
    Tanto minorem Te gerens,
Quanto præire cæteris mortalibus
    Et imperare dignior.
Plauſere ab alto Cælites, feſtum & novis
    Diem extulere plauſibus.
Nunc ire demum vertice elato licet,
    Et eſſe ſecuram metus.
Quid noceat Error? Fremuit, &, vel regium
    Indocilis aſpectum pati,
Ad Stygia fugit oſtia, & natalibus
    Se ſe tenebris abdidit;
Abſolve: tetri magna pars monſtri jacet;
    Leve eſt, quod inſtat; imperas.
Ignem doloſo cinere ſuppoſitum time;
    Reſtingue fomitem ocyùs.
Flammas favilla tenuis immenſas fovet,
    Et magna parit incendia.
Sic Proavus olim, dulce præſidium & decus,
    Animæque pars melior meæ,
Fatalis Hydræ ſemen extinxit malum,
    Sibi tam timendum, quàm mihi.
Hunc ſequere: magnum habes & auctorem & ducem,
    Quo res tot annos Gallicæ
Stetere: Pronepos grande miretur decus,
    Et æmulari geſtiat.
Abſcedo; repeto Cœlitum æthereas domos:
    Tu, ſis memor noſtri, & vale.

PAU-

PAUPERIBUS IMPRIMIS

Aditum ad Chriſti Cunas patere.

DUro in ſtramine dum tenellus Infans
Jacet multa gemens, & undequaque
Certatim ruit ad ſacros Penates,
Paſtorum manus innocens, ſuiſque,
Qua fas eſt, opibus levamen affert:
Dumque partibus ultimis Eoi,
Novi ſyderis ad jubar vocati
Reges approperant, pioque cultu,
Et gazis Arabum atque olente Thure,
Tellus quod gremio Sabæa fundit,
Agnoſcuntque Deum, & fatentur ultro.
Quæ te ſegnities moratur, aut quid
Ceſſas, ocyùs advolare Chriſto?
Illuc me rapit impetus volentem?
Nil ego magis ambiam, ſed eheu!
Cuncta Pauperies tulit, puderque
Ad Chriſti vacuum acccidiſſe Cunas.
Ne ſit Pauperies tibi pudori.
Talem te decet accidiſſe Chriſto.
Tales Chriſtus amat; ſeveriorem
Ipſe Pauperiem colit fovetque.
En præſepia cernis obſoleta,
Et ſtratum palea torum rigenti,
Et pannos, quibus induuntur artus,
Clamant omnia Pauperes beatos.
Ergo pone metus moraſque rumpe.
Advola citò, neve ſit pudori
Ad Chriſti vacuum accidiſſe Cunas.

AD CHARITES ET JOCOS, &c.

Pro Regio Infante.

VOs ò deliciæ ſuaviores,
Formoſæ Charites, Joci, Camœnæ,
Riſus, blanditiæ, elegantiæque:
Et vos, omne genus facetiarum:
Et vos omne, precor, genus leporum,
Lætis agminibus venite, adeſte,
Læto carmine Pupulum fovete.
Namque floſculus ille Pupullorum,
Non horum modò, ſed quot, aut fuerunt,
Aut deinceps aliis erunt in annis,

In veſtras datur educandus ulnas.
Cantus dulciſoni placent Puello,
Ludos molliculos amat Puellus;
Ergo dulciſonos parate cantus,
Molles ocyùs apparate ludos.
Vos hinc eſte procul mali dolores,
Vos hinc ſolliciti migrare luctus,
Puppi incommoda delicatioris.
Ah! ne turgidulis amariores,
Ah! ne lachrymulæ fluant ocellis.
Tota mellea, quid venuſta tota,
(Ut mellita magis nec ipſa mella,
Nec venuſtior ipſa ſit venuſtas)
Tota mellea quid venuſta tota,
Ora commeruiſſe, vel patraſſe
Poſſint, lachrymulis ut immadeſcant,
Et fletu crucientur acriore?
Quas diras tibi, Tuſſis inquieta,
Quas diras, mala Febris, imprecabor!
Si tu candidulos tenelluloſque
Artus lacteolos & immerentes
Audebis rabido appetiſſe morſu!
Quas optabo tibi beatitates,
Favoni optime, blande, mollicelle,
Humores nocuos, maligna morbi
Irritamina, ſi levis flabelli
Humores nocuos fugabis aura.
At tu ſomne, veni, beate ſomne;
Affer quidquid habes bonæ quietis;
Mollem ſi quis habet dolor Puellum,
Somne, inter placidos Deos colende,
Da ſoporifera manu levamen,
Et fove tenerum quiete corpus.

AD AMICUM POETAM

Suaviſſimi hoſpitis Deſiderium verſibus explicantem.

Ruris delicias amœnioris,
Et mores Domini elegantiores,
Dilecte ante alios mihi ſodalis,
Dum paras lepido beare verſu;
Dum longas agis anxius querelas;
Ocyùs tibi rure tam beato,
Tam blando hoſpite quod fuit carendum.
Et meam quoque ſuſcitas Camœnam;
Pertinaxque mei indices doloris
Poſtulas lachrymabiles Phaleucos.

Quid

Quid luctus acuis? rogare ceſſa;
Tibi ludere ſi vacat, dolori
Hoc unum licuit meo, dolere.

AD AMICUM IPSO NUPTIARUM DIE.

Ergo lætus Hymen tibi jugales
Et tædas parat, & parat corollas?
Nec eſt, ut ſolet eſſe fama mendax?
O lætam nimis! ò diem beatam!
Huc vos undique, quotquot eſtis omnes,
Blandi, molliculi, venite, adeſte,
Citi ferte pedem, mei Phaleuci.
Eraſtum ad veterem meum ſodalem,
Quò nullus mage candidus, bonuſve
Amicus fuit, aut fuit ſodalis,
Ite, ferte, precor, bonam ſalutem.
Nec vos dedeceat diem beatam,
Et dignam niveo diem lapillo
Ad cœlum lepido vocare verſu.
Quanquam nec ſatis eſt, mei Phaleuci;
Qualem, dicite, tam bono Marito
Qualem, dicite, conjugem precabor?
Olli virgineo natans in ore
Mixtus ingenuo pudore candor,
Index fallere neſcius, latentis
Dotes explicet indolis beatas,
Sint mores nivei, prioribuſque
Virtus fulgeat invidenda ſeclis.
Sponſum plus oculis amet, nec uſquam
Poſſe vivere ſe putet beatam
Ni plus ſponſam oculis amet Maritus.
Sed quid vos moror, ò mei Phaleuci?
Ite, ite ocyùs ad meum ſodalem,
Et quæ vota ſuus facit ſodalis,
Quò nullus mage candidus bonuſve
Amicus fuit, aut fuit ſodalis,
Verbo dicere jam poteſtis uno.
Sponſa ſit ſimilis tibi; precari
Plura deſino, jam ſat es beatus.

SPECULUM AMICITIÆ SYMBOLUM.

Terris dic quibus eſt, quibuſve in oris
Amicis magis obſequens Amicus.
Si tuis dolor intimus medullis
Vultum contrahit, aſperatque frontem,
Effuſoſve ciet per ora fletus;
Dolores Speculum tuos dolebit,
Nec ſiccis poterit videre ocellis.

Fletu turgidulos tuos ocellos.
Vultus lætior induis ſerenos?
Et laxas tenero labella riſu?
Vultus & ſpeculum induit ſerenos,
Et laxat tenero labella riſu.
Is, accedis, abis, modo huc, modo illuc?
It, accedit, abit modo huc, modo illuc.
Si fugis, fugiet; manes? manebit.
Terris dic quibus eſt, quibuſve in oris,
Amicis magis obſequens Amicus?
Placet ſimplicitas? amicus olli
Mixtus ingenuo pudore candor.
Nitent aureoli tibi capilli,
Et vultu igneoli micant ocelli?
Nitebit Speculum aureis capillis,
Micabit Speculum igneis ocellis.
Non ſunt aureoli tibi capilli,
Nec vultu igneoli micant ocelli?
Non dabit Speculum aureos capillos,
Non dabit Speculum igneos ocellos.
Adſtas barbifero nigellus ore,
Et pexis malè ſordidus capillis?
Te reddet Speculum hiſpidum, nigellum,
Et pexis malè ſordidum capillis.
Sincerus magis, aut magis fidelis,
Dic, quæſo, quibus eſt amicus oris?

AU ROY.

Sur la Medaille d'Or, qui repréſente ſon Sacre, & dont il a fait préſent à la Bibliotheque du College de LOUIS LE GRAND.

QUel charme! D'où nous vient cette riche Medaille,
Où l'Or & l'Art ſe diſputent le prix?
J'y vois tous les traits de LOUIS.
Son viſage, ſon front, ſes yeux, ſon air, ſa taille,
Tel qu'il parut à Rheims au milieu de ſa Cour,
Dont il eſt la gloire & l'amour.
N'en doutons point: ô faveur ſans égale!
C'eſt de LOUIS que part un don ſi précieux.
Luy-meſme, de ſa main royale,
Se marque une place en ces lieux.
Il veut que ſon Portrait, du Temple de Mémoire,
Anime les Ecrits conſacrez à ſa gloire:
Et qu'un docte avenir ſoit inſtruit à jamais,
Que, dés le plus tendre âge,
LOUIS, pour un heureux préſage,
Nous honora de ſes bienfaits.

Digitized by Google

LIBER FABULARUM.

ADMONITIO.

NON fuit hæc conſilii noſtri ratio in ſcribendis illis Fabulis, quas edimus, ut aucuparemur Inventionis laudem, & in novo prorſus intactoque argumento verſaremur. Nam ſi perpaucas exceperis Fabulas, quæ auctorem neminem aut ducem agnoſcunt, reliquas ultro fatemur inventas ab Æſopo, eaſdemque ab eleganti ſcriptore, cui à Fonte nomen fuit, Gallicis concinniſque omnino verſibus fuiſſe pertractatas. Verùm quia inſtitutum à nobis opus poſtulabat, nullum eſſe Latini Carminis genus, in quo opella qualiſcumque noſtra deſiderari poſſet; Ipſum Auguſti Libertum in narrandis Fabulis imitandum nobis propoſuimus, & nativam ejuſdem ſimplicitatem ac gratiam pro modulo noſtro conati ſumus æmulari. Cæterùm ne commiſſus cum Gigante Pygmæus videretur, abſtinendum conſultò duximus ab iis Fabellis, quas Phædrus ipſe exornandas ſuſcepit.

LIBER FABULARUM.

LEO ET EQUUS.

CONFECTUS annis & longa preſſus fame
Equum in patenti vidit paſcentem Leo.
Hic ſenium incuſans; ô ſi vires priſtinæ
Adeſſent, inquit, iſta jejunum bene
Placaret ſtomachum præda! ſed agamus dolo,
Ubi nullus eſſe poſſit virtuti locus.
Hæc fatus, lento propiùs accedit gradu,
Equumque blandis ſic compellat vocibus.
A capite ad calcem tu quidem ſanus mihi
Prorſùm videris, & Deos omnes precor,
Amice, præſtent ſoſpitem & ſanum diu.
At ſi quis ægrum fortè tentaret dolor,
Novi ſalubres ſuccos, ut quiſquam, optimè.
Nec morbus ullus, tam deſperatus fiet,
Qui non medentis protinus admittat manum.
Næ fortunato te mihi advectum alite,
Subjecit ſonipes, qui fraudem ſenſit malam.
Nam nuper hæſit ſpina fatalis pedi,
Quæ miſerum mittet orco, ni feras opem;
Pedemque Medico porrigit. Quem callidus
Dum curioſis oculis inſpectat Leo,
Simul & rimatur parte qua prædam occupet,
Impacta calce fortiter in feri caput,
Evertit hoſtem ſonipes, & capiens fugam,
Medico relinquit artem exercendi locum.

Dulce implicare eſt in ſuis hoſtem plagis.

LUPUS PASTORIS HABITU DISSIMULATUS,

IMpaſtus ovium fruſtra luſtrabat greges,
Et ſpem captandæ prædæ perdebat Lupus.
Paſtores adeo, & vigiles excubiæ canum
Secura latè præſtabant ovilia!
Quid faciat? acuit ingenium neceſſitas;
Et, quod vi nequeat aſſequi, tentat dolo.
Placet Paſtoris habitum & larvam ſumere:
Nec inſtitutæ defuit fraudi modus.
Sagum aptat humeris, ornat pileolo caput,

Peram-

Peramque lateri, & collo appendit fiſtulam;
Baculoque nitens, qui vices ſupplet pedi,
Sic perſonatus tacitum pergit ad gregem.
Cœptis favebant cuncta, namque altus ſopor
Cuſtodes ovium, & ipſos urgebat canes.
Quid multa? Solus defuit vocis ſonus,
Quem dum æmulari nititur, horrendum rudit.
Excutitur ſomno Paſtor, accurrunt canes.
Fruſtra obluctari, capere vel fugam Lupus.
Suis implexus phaleris occumbit neci.

Nequit diu latere qui nectit dolos;
Se prodit ipſa, vel ſerò, fallacia.

LIGNATOR ET MORS.

Fractus labore Ruſticus atque annis gravis
Sub nocte ſera ſe ſe referebat domum:
Exſportans humeris magnam lignorum ſtruem.
At mox ſuccumbens oneri faſciculum abjicit;
Superque ſidens, & graves moleſtias
Animo revolvens, eheu me! infelix ait,
Quid longiorem vitam in ærumnis traho,
Æger, rebuſque deſtitutus omnibus?
O Mors, ò bona Mors, huc ades, & longo modum
Tandem labori pone. Quæ dum diceret,
Vocata ſe Mors obtulit, qualis ſolet
Videri, faciem lurida & dextram horrida
Armata falce; quæ compellans Ruſticum;
En, inquit, adſum; quid vis? nil ego te morer;
Eloquere. Amicam, Mors bona, reſpondit ſenex,
Si commodare velles tantiſper manum,
Et hujus aliquam ferre partem ſarcinæ
Non te labor hic gravabit, nec longa eſt via.

Multi mortem optant, pauci, cum advenit, ferunt.

VULPES ET FELIS.

Maligna Felis & ſubdola Vulpecula
Certabant, utra melior verſandis dolis;
Et fertilioris laudem ferret ingeni.
Mihi fœcundo ſunt mille artes in ſinu,
Vulpes ajebat, mille ſunt fallaciæ.
Tibi mille, retulit Felis, eſſe artes ais?
Ego unam novi, mille quæ vincat tuas.
Super his, inter ſe dum contendunt acrius
Crebro latratu pulſus aer perſonat;

Canumque numerus ingens accelerat gradum.
Tum Felis: age dum; pectus fœcundum excute,
Amica Vulpes, teque hinc, ſi potes, expedi.
Ego ſalutis unicum hunc novi modum:
Levique ſaltu celſam ſcandit arborem.
Tuum curſitare Vulpes hinc & hinc; vias
Relegere eaſdem ſæpius; perque ſalebras
Cuniculoſque ludere inſtantes canes.
Laſſatur illa denique; & vi cedere
Coacta nullum reperit effugio locum.
Sua quam Felis deſpectans ab arbore,

Hoc diſce moriens, inquit: artes plurimæ
Sæpe obſunt; una ſufficit, ſi ſit bona.

LEO PODAGRA LABORANS.

Confectus annis & gravi Leo æſtuans
Podagræ dolore, juſſit acciri feras;
Fors ſi qua longo ferret medicinam malo,
Aut mitigare poſſet ægritudinem.
Studio obſequendi turba convenit frequens.
Aſtuta vulpes, ſubolens neſcio quid mali,
Domi remanſit, cui dudum infenſus Lupus
Occaſionem captat maledicentiæ;
Vulpiſque vocat in invidiam abſentis fidem.
Continuo ut adſit Vulpes edicit Leo.
Quæ cùm adſtitiſſet, & malum ingenium Lupi
Senſiſſet; equidem, ò Rex, ne me incuſes, ait:
Namque inde in oras peregrinata diſſitas,
Concepta pro te vota reddebam Deis.
Quin ſciſcitanti quæ morbo foret tuo
Salubrior medela, reſponſum hoc fuit.
Nativus in Leone defecit calor,
Quem ſuſcitare ſi volet, pellem Lupo
Vivo revellat, & adhuc fumantem induat.
Nil contra humores frigidos præſentius.
Applauſit cœtus omnis, in Lupum involant;
Et reclamanti fruſtra diripiunt cutem.
Detracta pellis endromis algenti fuit;
Nudata impaſto membra ſtruxerunt dapes.

Sic improbis plerumque ſua improbitas nocet.

LIGNATOR ET MERCURIUS.

Dum ligna cædit pauper Lignator; ſuas
Opes, ſecurim, ſpemque vitæ perdidit.

Nam-

Namque hac parabat natis & victum ſibi.
Quid agat infelix iſto rerum in cardine;
Aut unde quærat gravibus ærumnis modum?
Fruſtra querelas integrat, fruſtra gemit.
Ergo, quod unum miſeris eſt ſolatium,
Multa fatigat Superos & Jovem prece.
O Rex Deorum, ſi nec inſanas opes,
Nec inanes unquam, ſorte contentus mea,
Ambivi titulos, da malo ereptam dolo
Reddat ſecurim prædo, quiſquis abſtulit:
Vitamque, per te qua fruor, rurſum dabis.
Audiit orantem Jupiter, & mittens Polo
Mercurium, facere compotem voti jubet.
Tum Maja genitus blandè compellans virum:
Omitte fletus, inquit; non eſt perdita,
Ut reris, & adhuc te tua ſecuris manet.
Agnoſcis illam? ſimul & auream porrigit.
At ille: non eſt hæc mea, ò Divum optime.
Cui ſuperum Interpres porrigens argenteam,
Et iſta, dixit? Hanc negat pariter ſuam.
Monſtrata demum eſt lignea. Hæc porro mea eſt,
Lignator inquit, quam tu ſi dederis bonus?
Nil reſtat ultra, quod te, vel Superos rogem.
Tuam ergo recipe, retulit Arhlantis Nepos.
Sed auream inſuper atque argenteam feres,
Sinceritatis dignam mercedem tuæ.
Vulgata res eſt; ſecurim mox ſuam
Lignator quiſque perdit: & iniquis Jovem
Votis fatigat. Rurſum in terras mittitur
Mercurius, qui ſecurim cunctis auream
Dum monſtrat, illam nemo non repetit ſuam:
Hac dignus ultor in caput mendacium
Impacta, medios findit, & abſolvit Jovem.

Parto Beatus quiſquis eſt, verum colit;
Mendacium una parturit cupiditas.

QUERCUS ET ARUNDO.

DEpreſſus ſæpe præſtat excelſo locus.

Quercus ſuperbum cœlo condens verticem,
Terræque fixà penitus, Eurorum minas,
Boreæque rabiem, & furias ridebat Noti.
Arundo contra Zephirorum ludibrium,
Leves ad auras humile ponebat caput.
Vidit procera Quercus, & amaros ſales
Jactans; Arundo, me tui miſeret, ait.

Quam

Digitized by Google

Quam flatus uſque tenuis huc illuc rotat.
Nullam quietis vel brevem indulgens moram.
Ego procellas inter Auſtrorum graves,
Iraſque fulminantis ultrices Poli,
Immota ſtare didici, nec, periculi
Securam, turbat ulla tempeſtas metu.
Tu ſaltem nobis propior ſi conſiſteres,
Ramorum in umbra tuta ſentires opem.
Aſt innatantem limoſis paludibus
Præſtare quis te ſalvam & incolumem queat?
Ad hæc Arundo ſubrigens paullùm caput,
Næ grates, inquit, refero permultas tibi,
Quam tanta noſtri cepit commiſeratio.
Tamen depone quam pro me curam geris:
Neque me procellis ſic natam iratis putes.
Equidem tempeſtas quoties veſana ingruit,
Cedo, & modeſtum patiens ſubmitto caput.
At cedere ultro malim quam frangi: Deos
Precor, tuas ut vires fortunent tibi.
Super his, ab Arcto Boreas immanis fremit;
Eoa pariter Eurus exſurgit plaga;
Bacchatur Auſter, & tremendas invicem
Luctati toto ſuſcitant rixas Polo.
Tum cedere Arundo ſolita eludit impetum:
Inflecti Quercus neſcia, & frontem arduam
Contra procellam obnixa, miſerè frangitur.
Quæ cùm jaceret, hæc Arundo ſubjicit.

Nil prodeſt robur ſi deſit prudentia.

LUPUS, ET PASTORES.

FErocitatis olim pœnituit Lupum;
Et cogitaſſe dicitur frugem bonam.
An illa vita eſt, inquit, quam nos vivimus;
Exoſi, abominandi, deteſtabiles?
Hinc mihi perennes Paſtor inſidias ſtruit;
Ferox Moloſſus inde venientem allatrat.
Nec ipſe, vix à lacte depulſus puer,
Diris novere parcit immeritum Lupum.
Tamen quid egi? vel quod plector ob ſcelus?
Agnellus magno ſcilicet ereptus gregi,
Jejuno vel ovis macra quæ paſtum dedit,
Aut miſſus Orco fortè ſcabioſus canis,
Tot in me turbas, tot tumultus excitant.
Et iſta me me tam gravem in invidiam vocent?
Si tanto redimi debuit factum malo;
Præſtat deinceps abſtinere carnibus;

Mihi

Digitized by Google

Mihi mollis herba facilem ſufficiet cibum,
Veſana vel ſi fuerit pereundum fame,
Eſto, moriamur: adeone eſt miſerum mori,
Vita ut ſit miſera potior letho nobili?
Dum verſat iſta corde ſub tacito Lupus;
Vidit Paſtores eminus; queis commodè
Toſtus parabat agnus egregias dapes.
Ad ſe reverſus oh! oh, indignans ait,
Cuſtodes ovium nec ſuo parcunt gregi:
Religio memet interim & inanis metus
Servare longa ſuadeant jejunia?
Non patiar, cœlum teſtor atque omnes Deos.
Grex ille totus mihi debetur victima;
Ovis nec ulla dentes effugiet meos.

Ferocitatis arguunt multi Lupum;
Ferociores eſſe quos Lupo haud piget.

VULPES CAUDA SUA MUTILA.

VUlpes opertis intercepta caſſibus
Periculoſam ſic evaſerat aleam,
Ut triſtem faceret caudæ jacturam ſuæ.
Quam cùm puderet decurtatam incedere,
Suæque gentis metueret ludibrium;
Celare, qua fas, probrum prudens nititur,
Dum quis modus medendi ſuccurrat malo.
Verſanti ſecum multa nil viſum eſt prius,
Quàm proprium in omnes dedecus refundere.
Quare ſuorum nacta concilium frequens,
Quid inane, dixit, caudæ nos pondus juvat
Poſt tergum trahere? nempe ut verramus ſolum,
Et demus hoſti facilem lædendi locum.
Hoc ipſa ſenſi damno tantùm non meo;
Moleſta mortem cauda cui pœne intulit.
Si ſapimus ergo, caudam ſibi quiſque amputet.
Hæc illa. Cauſam cùm peroraſſet ſuam,
Næ bellè ſentis, una, quæ rem noverat,
Reſpondit; at tu verte terga, ni grave eſt,
Et quàm, quòd ſuades, deceat, exemplo doce.
Quæ dum ſe prodit decurtatam turpiter,
Ridendum de ſe contulit ſpectaculum.
Nec morem induxit vulpinam in gentem novum.

Communia eſſe cupimus, quæ patimur mala.

ANI-

ANIMALIA PESTE LABORANTIA.

FUrens per agros perque ſylvarum abdita
Contagioſa Peſtis urgebat Feras.
Non avida quemquam prædæ ſuadebat fames
Prodire nemorum latebris. Crudeli lue
Pereſa paſſim corpora jacebant ſolo,
Triſtique cuncta planctu reſonabant loca.
Timuit extremam populis perniciem ſuis,
Malique arcendi cupidus regnator Leo,
Cœtum ferarum conſili in partem vocat.
Venere, morbi quos ſivit vis efferа
Languentes artus trahere. Queis fauſta omnia
Leo apprecatus; noſtræ quo res ſunt loco,
Videtis, inquit: patimur iratos Deos.
Debetur illis pro peccato victima;
Ergo litetur anima, quæ magis nocens
Veſtro fuiſſe calculo cenſebitur.
Nil ipſe dubitem primus ante alios palam
Fateri, quæ mens conſcia feciſſe arguit.
Memini mactatas non ſemel immeritas oves,
Nec ipſis eſſe parcitum paſtoribus.
Pro quo ſi videor vobis promeritus necem,
Offenſi noſtro ſanguine placentur Dei.
At nemo veſtrum, ſi quod admiſit, ſcelus,
Ultro accuſare dubitet. Nam quis te malus,
Rex magne, vexat ſcrupulus? vulpes ait;
Næ fortunatas forte oves illas ſua,
Quotquot palato ſapere meruerunt tuo.
Nec tibi Paſtorum gravior religio incidat:
Sua illi meriti fata, qui noſtrum genus
Odere, totque nobis procudunt mala.
Applauſit omnis Aulicorum natio;
Suoque Regem calculo culpa eximunt.
Tygris abſolutus pariter, Urſus & Lupus,
Acres Moloſſi, nobiliumque quidquid eſt
Ferarum, quibus ignovit aſſentatio.
Venit & Aſellus, cujus in vultu pudor,
Index doloris, vox & flebiliter ſonans:
Heu memini, dixit, olim dum eſſem junior,
Urgente rabida jam diu impaſtum fame,
Aut, quod lubenter ſuſpicor infelix, malo
Me, me inſtigante Dæmone, paulum graminis
Prato ex virenti carpere; hoc furtum quidem
Leve, ut videtis, ſed tamen furtum fuit.
Continuò facinus omnes execrabile
Conclamant, & cruenta plectendum nece:

Sic

Sic aſperatos poſſe placari Deos.
Nec plura in unum facto inſurgunt impete;
Et immerentem pro cunctis Aſinum enecant.

Plectuntur fures, parcitur Latronibus.

LUPOS INTER ET OVES INITA PAX.

OVes inter Lupoſque certis legibus
Ceſſatum ab armis, pax & inita dicitur,
Utramque gentem nempe belli tædium
Cepit, turbiſque viſa potior eſt quies.
Nam gregibus ovium ſi Lupi inferrent necem,
Acres Moloſſi multos mactabant Lupos.
At ne libido belli mala reſurgeret;
Utrinque placuit obſides pacis dare:
Oves Moloſſos, Catulos miſerunt Lupi.
Exin iræ quierunt, & pacis bonæ
Uterque populus placidæ ſenſit gaudia.
Verùm ubi Luporum catuli creverunt ſemel,
Terribileſque eſſe timido cœperunt gregi;
Lupi Moloſſos obſides furtim enecant.
Tum ſuſcitari denuo bellum acriùs
Ovium cruenta huc uſque funeſtum nece.

Pax nulla fieri certa cum improbis poteſt.

ASINUS ET CATELLUS.

DUm blandientis inter amplexus heri
Ludit Catellus; Aſino livor æmulus
Duros ſub ægro corde ſtimulos ſuſcitat,
Fortuna quod non ipſe gauderet pari.
Nempe inquiebat, ſolus ſecum murmurans,
Beatus ille Domini dormit in ſinu;
Herili menſæ dulcis conviva aſſidet,
Mille inſuper cum placuit captat oſcula.
Ego dum olentis ſtabuli vilis incola,
Miſeriſque paſtus nec ſatur unquam carduis,
Obſcuram latebris abditus vitam traho.
Aut duriorem dorſo ferre ſarcinam
Coactus, crebris ad piſtrinum fuſtibus
Agor, infelicem ſcilicet ut verſem molam.
At unde meruit ille blanditias heri?
An quòd viciſſim Domino blanditias refert?
Quòd amica reddit oſcula? quòd dulce allatrat?
Quòd imperantis tendit ad vocem manum?
His gratioſis ſi Catellus artibus

Po-

Potuit videri, eandem tentemus viam;
Fors nobis ea res haud minùs bellè cadet.
Dum quærit igitur aptum conſiliis locum,
Occurrit Dominus, quàm ſolebat, lætior;
Occaſionem commodam Aſellus occupat;
Et blandiendi cupidus, ſurgens in pedes
Utraque calce Domini pectus impetit,
Mentumque & ipſas duriter fricat genas.
Ac ne quis deſit blandis illecebris modus,
Intempeſtivo rudere non dubitat ſono.
Pecudis protervæ Dominus impudentiam
Miratus, dextra fuſtem extemplo corripit,
Simul & dolatum lumbos liberaliter,
Olentes agit ad latebras Arcadicum pecus.

Paucorum eſt garrire & blandiri comiter.

EQUUS, VULPES, AC LUPUS.

Paſcebat phaleris liber excuſſis Equus.
Vidit doloſa Vulpes, & Lupum admonens,
Ades huc, & iſtam, dixit, cerne belluam.
Pol illa ventrem placet iratum bene,
Tam tereti tota corpore & pingui nitet!
Noſtra eſt, ſolerti ſi modò ingenio vales.
Cui retulit alter, qui ſimus, noris brevi.
Dum curis ambo paribus accelerant gradum,
Senſit malignas artes, quas ſtruerent, Equus:
Cœpitque retro cedere, ad quem ſic Lupus:
Subſiſte paulùm, Amice, nam cur nos fugis?
Dic unde in iſtas hoſpes acceſti plagas?
Et ede nomen. Patria & nomen latent,
Subjecit Sonipes, ſi tamen noſſe id placet,
Utrumque calci mater inſcripſit probè;
Perlegite, ſimul & porrigit dextrum pedem.
Hìc ſe ſe incuſans Vulpes callida; Dii malè,
Exclamat! nullas quòd ego novi Literas.
Tunc eruditi famam captans ingenii,
Accedit, iſtud, quidquid eſt, Lupus ut legat.
Quem Sonipes, calce fortiter impacta in caput,
Conſperſum ſanie plurima affigit ſolo.
Cui Vulpes; næ quid feciſſes conſultiùs,
Si ſapere tu, quàm legere, didiciſſes priùs.

Stultitia gravius hoc ferunt ſtulti malum
Plerumque, quòd videri ſapientes volunt.

FELIS SENIOR ET JUNIOR MUS.

IMpaſtum in Felem Muſculus quondam incidit,
Qui nullum cùm videret effugio locum,
Hoſtem timendum ſic eſt aggreſſus prece.
Heu me! quid egi, dixit, ò Felum optime,
Vel unde merui, quam mihi paras, necem?
Tantillus an nocere quid poſſum tibi?
Aut perdere iſtam, quam vigil ſervas domum;
Cui modica vitam grana ſuſtentent bene;
Quem nux rotundum reddere ac teretem queat?
Saltem ſi dignum haberes in me ferculum.
At cerne; tenuis oſſa vix operit cutis.
Jejuna cui tum Felis, hæc aliis canes,
Iratam verba, Muſcule, haud ſatiant famem.

Quiſquis nocere ſtatuit, non audit preces.

AMICI DUO.

VIxiſſe narrant par Amicorum inclytum;
Qualis nec ætas tulerat in terris prior,
Quales nec ætas, credo, poſterior feret.
Communia utrique fecerat amor omnia;
Divitias, luctus, gaudia, & ſpes & metus.
Ac lætum ſi quid, triſte ſi quid alteri
Sors contuliſſet, idem fiebat, invicem
Communicando, gratius, vel mitius.
Dum nocte quadam terras per cunctas ſopor
Regnaret, ſtratis alter amborum exilit;
Suaque tacitus ſe ſe proripiens domo,
Amici ad ædes celeri divertit gradu.
Ictuque crebro fortiter pulſans fores,
Merſam ſopore ſuſcitat totam domum.
Loculos & enſem protinus alter corripit,
Foribuſque, qua fit ſtrepitus, accenſa face
Accedens, quid rei ſit, quærit anxius.
Videns Amicum, nam cur hac hora, precor,
Tamque intempeſta nocte, dixit? an tibi
Iniqua cecidit alea? En loculos cape:
Tui ſunt. Numne vel probrum quiſquam intulit?
Hic enſis crimen expiabit, aut mihi
Sceleſtus ille, quiquis eſt, vitam auferet.
Ten' vacua ſolum vivere tædet in domo?
Hìc gratus hoſpes habita, quàm voles, diu,
Et me meiſque ſodes utere pro tuis.
Cui retulit alter, nil velim rerum omnium.

At

At triſtior tu viſus in ſomnis mihi:
Ingrata ſpecies movit ſollicitos metus;
Id viſo, numquid ars mea efficiat tibi.

Uter videri debuit Amicus magis?
Amicus, res ò blanda, gaziſque omnibus
Potior! Amicus quiſquis eſt, ſentit ſatis,
Levatque Amici non laceſſitus malum.

DIVES ET SUTOR PAUPER.

PRope ſuperbas ædes hominis Divitis
Pauper locarat Sutor anguſtos lares.
Illa beatus ſorte quam dederant Dei,
Noctem trahebat ſomno, quàm longa eſt, gravi,
Laborioſam cantu fallebat diem.
Inſomnis contra Dives noctes integras;
Molli nequicquam membra verſabat toro:
Aut mane ſummo ſi fors obrepens ſopor
Clauſiſſet oculos, Pauperis cantu excitus
Nullum quieti norat tranquillæ locum.
Is evocatum quadam Sutorem die,
Sic allocutus fertur: dic precor; ò bone;
Quæ te beatum cauſa tamque hilarem facit?
An ampla tibi res & tuis nitet domi?
Ars illa, quam tu tractas, an quæſtum parit?
Cui retulit alter; parce; nil rerum omnium,
Quas ſuſpicaris; tam malè nunquam viximus;
Res hodie pejor, olim quàm fuit; lucrum
Ceſſavit omne, vix & aſſiduus labor,
Quo victitare liceat, fructum ſufficit.
Quid facias? nihilo vivimus læti minùs;
Et quoniam nobis eſſe meliùs non poteſt,
Quodcumque cecidit, illo contenti ſumus.
Dives miratus hominis mores candidos,
Atqui beatis unus è mortalibus
Mox fies, inquit, en cape hos centum aureos,
Et fauſtis avibus repete quos habitas lares.
Reverſus ille, ſortem & gratatus bonam,
Defodere partas ſedulò imprudens opes,
Et tanquam ſacris parcere. At curæ ſimul
Crevere; crevit mentis anxietas, pavor,
Defoſſum ne quis fortè theſaurum auferat.
Ire & redire centies noctu & diu,
Repoſtos quo latere norat aureos.
Mox exulare gaudia, atque altum domi
Regnare ſolidos per dies ſilentium.
Agnovit ille cauſam turbarum ac caput;

Ma-

Malum nec ultra paſſus ingraveſcere,
Divitis in ædes revolat, & centum aureos
Reſtituens, reddo, dixit, quas dederas, opes;
Tu noſtra pariter redde nobis gaudia.

Ingentes curas pariunt ingentes opes.

CANIS ET ASINUS.

CArpebant pariter Aſinus & Canis viam,
Agente utrumque proximam in urbem Ruſtico.
Hic dum labore feſſus & vino gravis
Obdormit, Aſinus herbam nactus roſcidam,
Bellè prandebat, ad quem converſus Canis,
Latrante multùm ſtomacho, ni grave eſt, ait,
Amice, dorſum deprime, inflexo genu,
Meum è caniſtris ipſe ut ſumam prandium.
Cui retulit alter, rebus attentus ſuis,
Et otiari metuens, ne te macera;
Paulùm opperire, mox ſomnum excutiens herus
Te portione non defraudabit tua.
Hæc inter denſo properat è ſaltu Lupus;
Quem conſpicatus Aſinus, occidimus, ait;
Amice, utrique præſens ni avertas malum.
Cui viciſſim placidè reſpondens Canis,
Confide ſodes, mox ſomnum abrumpens herus;
Procul hinc inviſum nobis arcebit Lupum.
Si quid vereris interim, mecum fuge;
Aut ſi te curſu melior valeat aſſequi,
Impinge calces fortiter in feri caput.
Recens paratis ut es inſtructus calcibus,
Diffindes medium, teque ſic ſalvum dabis.
Plenum ſalutis conſilium: hic porro labor
Perficere factis dicta; nam Lupus interim
Deliberantem fruſtra mactat belluam.

Hujus Fabellæ, quiſquis es, fructum hunc cape;
Officiis quiſque mutuis, ut ſe adjuvet.

MEMBRORUM IN STOMACHUM CONJURATIO.

QUod machinantur Regibus Populi malum,
Ipſos idem plerumque in auctores cadit.

Exarſit olim, Vatibus ſi qua eſt fides,
Membrorum gravis in Stomachum conjuratio.
Cur ille ceſſet, & fruatur otio,
Ajunt, aſſiduus dum nos exercet labor?

Nimirum vigilent oculi, diſcurrant pedes,
Avidam latrantis Stomachi ut exſatient famem?
Sit illa cura manibus, ut parent cibos;
Dentes molant eoſdem, lingua molliat,
Ne crudiores veniant delicatulo;
Quieſcat unus corpore in toto interim
Laboris expers atque ſollicitudinis?
Bellè; otiemur pariter, & curæ exulent;
Mox ille diſcet eſſe laborandum ſibi,
Jejunio niſi longo delectabitur.
Quid multa? ſtultum cunctis conſilium placet;
Et feriari dulce eſt. At dum cibo
Vacuus inopſque Stomachus ſenſim deficit:
En languor idem corpus in totum meat,
Et membra tentat omnia; gravatur caput;
Hebeſcunt oculi, languidæ torpent manus,
Pedeſque molem corporis ferre abnuunt.
Tum conjurati damnant errorem ſuum,
Et ſolitas operum ſinguli repetunt vices;
Tam viſus ille deſidis expers otii,
Suus unde cunctis advenit membris vigor!

Negotioſa qui carpunt Regum otia
Hinc illi capiant grande documentum ſibi.

VILLICUS, CANIS, ET VULPES.

Refertam Altilibus ditis chortem Villici
Jejuna Vulpes fruſtra perluſtraverat;
Nec, qua ſubiret, ſe ſe monſtrabat via.
Tum queſta graviter & ſortem incuſans ſuam;
Men' uſque ludat, inquit, hominum peſſimus?
Nimirum pullos hic alat multos ſibi;
Mihi nulla præda veniat? adjuro Stygis
Superis verendum Numen, ulciſcar probrum.
Nondum exhauſtæ artes penitus, aut nullus ſuper
Reſtat malignus corde ſub tacito dolus.
Hæc dum ſilenti nocte ſecum diceret,
Mentemque dubiam varias in partes trahunt
Conſilia, vidit fortè poſticum patens.
Continuò, quà ſit aditus, illac inſilit,
Et ſomnolentum hinc inde repperiens gregem
Miſeras ubique dentibus ſtrages facit.
Non tam cruentus ſævit in miſeras oves,
Olim cùm fureret Ajax, & Ulyſſem neci
Proceresque Grajos poſceret. Agnovit malum
Exſuſcitatus dulci ſomno Villicus;
Servoſque & ipſum graviter increpat Canem,

Sævum Latronem qui non allatraverat.
Ad quem Latrator retulit, ignoſces, Here;
Ego dormiebam. Dormiebas furcifer,
Reponit ille? Tene his paſco legibus,
Ut comedas per diem, & per noctem dormias?
Ades huc, & quas mereris pœnas accipe.
Cur vapulem inſons, placidus adjecit Canis?
Tu cujus hæc ſunt, ſi tam cuſtodis malè,
Foribus apertis ut ſecurus dormias;
An me privari ſomno mancipium interim,
Tuaque tueri, quàm tu diligentiùs?

PARASITUS DIVITIS AD MENSAM SEDENS.

MEnſæ aſſidebat Divitis non ſordidi
Ex illis unus, quos Paraſitos nuncupant,
Dabatque lepidos de ſe Convivis jocos.
Is placidos nactus mores & bonam indolem,
Anguſta quam perfecerat neceſſitas,
Turbæ procacis ultro ſpernebat ſales,
Et delicatis ſe ſe paſcebat cibis,
Quidam inſolentem miratus patientiam;
Non ſentis, inquit, quibus hi te ſtimulis petant?
Subridens alter hanc narravit Fabulam.
Paſcens Aſellus dum voraret carduos,
Riſu procaci ſtupidum illudebant ferum,
Quæ paſtum eodem Belluæ convenerant.
Quas inter Simia inſultans maligniùs;
O te palati felicem inprimis, ait,
Amice; qui tot non ſentis aculeos.
Riſit viciſſim Belluæ faſtidium
Aſinus, & aures quatiens, ac jactans caput;
Nulla mora eſt, pungant, inquit, dum ſaturent famem.
Conviciantes tum Paraſitus intuens
Hac lege veſtros, dixit ego ludos feram.

Dicacitatis ille culmen attigit,
Quiſquis jocum retundit meliori joco.

MORS MEDICI HABITU DISSIMULATA.

NUllum eſt ſalubre contra Mortem Pharmacum.
Dum terras habitat ſociis cum fidelibus,
Suas & artes impendit feliciter
Satus Phœbeo ſanguine Æſculapius;
Mors numerum minui vidit Umbrarum in dies,
Et eſſe vacuas Ditis inferni domos.

Ergone, dixit, vile, mortales, genus
Mihi meiſque regnis illudant palam?
Devota nempe, jam depontani ſenes,
Dudum Orco capita noſtras effugiant manus?
Tamen quis eſſe poſſit vindictæ modus?
Nam dira febrium atque morborum cohors,
Comitatus Mortis lætifer, ſalubribus
Exacta ſuccis ferre jam nequeunt opem.
Ergo verſare fraudes, &, quod publicæ
Prodeſt ſaluti, vertere exitio parat.
Quid multa? ſtatuit ipſa Medicum fingere,
Habituſque & ora ferre quæ Medici ſolent.
Mora nulla, falcem ponit infeſtam manu,
Nudumque fictis ornat calvitium comis.
Dein pulchra maciem lividam larva tegens
Diſſimulat pulla veſte compagem oſſeam,
Et currum denique in mulum levis inſilit.
Hoc perſonata pacto per vicos ſubit,
Per & plateas, febricitantium & domos.
Et apertis ultro dum portis admittitur,
Contagioſos afflat cunctis ſpiritus,
Et præda potitur. Placuit hoc fraudis genus;
Hinc mors eandem retinens hodieque indolem,
Aut Medicum ſimulat, aut poſt equitantem ſedet.

RIVULUS.

PAuperculorum non eſt liberalitas.

Rivulus ab alto montis lapſus vertice
Celeres agebat terris è patriis aquas.
Urgebat illum ſcilicet ſtudium haud leve,
Ut vectigales ferret Oceano patri,
Quas ſe debere norat acceptas opes.
Dum tentat ergo varios per flexus iter,
Et circum abrupta ſaxis decurrit loca,
Molli ſuſurro lentas increpitans moras,
Quas feſtinanti mille nectunt objices.
Ecce è propinquo Naias aſſurgens ſtetit,
Et ſic amicè compellavit Rivulum.
Nam te quis urget patrio extorrem ſolo?
Vel quò deferş anhelus præcipites aquas?
Sic illa; pauca Rivulus contra refert.
Quodcumque aquarum tenuis volvit alveus,
O Diva, totum dedit hoc Oceanus pater.
Nos ergo ferimur illuc, quo pietas, amor,
Quo gratus animus haud reluctantes rapit.
Obſequii ſi ſors noſtri vectigal leve

Oce-

Oceanus ultro genitor delatum probet.
Bene eſt: hunc animum laudo, ſubjecit Dea,
Qui neſcit in re tenui parſimoniam.
At crede nobis; ſit magnorum fluminum
Ingentem aquarum multo faſtu copiam
Oceano ferre, tantulus tu quid juves?

Modulo ſe quemque oportet metiri ſuo.

PSITTACUS LAUDATOR.

Dies redibat avibus ex longo ſacer
Cultu per ſylvas annuo ſuetus coli,
Hoc nempè Faſti volucrum memorabant die,
Grandi ſervatum clade pennatum genus.
Ergo ſolenni dum fiunt ritu Sacra,
Et inter omnes ſtudio certatur pari,
De more grates Divis Immortalibus
Oratione quis rependat publica;
Mandare viſum eſt Pſittaco hanc provinciam.
Ille obſecutus ultro frondoſam inſilit
Protinus in ulmum; multaque in honorem Deum
Præfatus gentis labitur in laudem ſuæ;
Et quas in unum quemque, non parca manu,
Natura dotes fuderat, ſolers canit.
Luſcinia palmam vocis ante alias aves
Tuliſſe fertur. Candidi laudem ingeni
Habuit Columbus; Turturis blandam indolem,
Studium inquietum Paſſeris, Prognès fidem
Meritis Orator prædicavit cantibus.
Nec pigris avibus certa pernicies Meropi;
Nec qui morantem Gallus Auroram ſolet
Cantu increpare, laude caruerunt ſua.
Quin & ſenectæ, qua præibat cæteris,
Inſigne Corvus rettulit præconium.
Tibique, Bubo, virtutis loco datum eſt,
Quòd vitæ cum ſis & rerum commercio
Cuilibet ineptus, te prudenter ſubtrahas,
Soluſque cæcis vivere in latebris ames.
Sic demum ad omnes pars laudis venit ſuæ,
Ut eſſe quivis ſorte contentus queat.
Tamen malignus Corvum livor exedit;
Sibique mœrens vocis ereptum decus,
Diras precatus immerenti Pſitacco.
Dum multa ſecum crocitat, occurrit ferox,
Criſtam ſuperbo faſtu Gallus arrigens;
Ergo canendi, Pſittaco ſi creditur,
Jus ſolam, dixit, omne Luſciniam eſt penes,

Longumque nobis dicitur ſilentium,
Tales ab antro Bubo voces audiit;
Secum & revolvens tacitus, num pariter ſibi
Sit aliquid, unde Pſittaco ſuccenſeat;
Non digna ſolitudo laus viſa eſt ſatis;
Et vindicandum credit inuſtum dedecus.
At ne qua ſanis deſit conſiliis mora,
Tacito volatu repit vicinam in ſpecum,
Ubi fidus hoſpes habitat Veſpertilio.
Is improbato facinore iras concipit:
Et jam pericli factus ex illo comes
Ad vindicandum ſemet accingit probrum.
Ergo animis paribus illa conjurat cohors,
Et immerenti Pſittaco inſidias ſtruit.
At non aperto marte hoſtem laceſſere,
Sed per latebras quærere nocendi locum.
Nil tamen inanis profuit prudentia.
Nam reliquis avibus tota fraus innotuit:
Quæ tam impudentem deteſtatæ audaciam,
Malam hanc catervam ſtatuunt conjurantium
Arcere deinceps avium honeſtis cœtibus.
Gallus jubetur ſolus annos exigat.
Corvuſque pariter; Bubo cum fido hoſpite,
Non invidendo gaudeat conſortio.

Alienis non eſt invidendum laudibus.

UNDE APES REFUGIUNT A LOCIS RESONANTIBUS.

FABULA.

FUſus per herbam fortè dum roſas legit,
    Et mixta violis lilia,
Miteſque ſuccos exprimit blandus puer
    Meliſſus in dapes Deum:
Iniqua mollem ſpina lancinat manum,
    Et acre vulnus incutit.
Dolore victus flebile ingemuit puer:
    Lectoſque flores abjicit;
Opemque matris invocans, totum ſuis
    Implet querelis æthera.
At ecce queſtus matris & nomen refert
    Echo propinqui litoris.
Stupet Meliſſus, ſeque deriſum ratus
    Rurſus querelas integrat;
Scurramque diris devovet: diras quoque
    Remittit Echo pertinax.

Cru-

Crudeſcit ardor; & furoris impotens
    Ad ultionem convolat.
Et litus, hoſtem quo latere credidit,
    Petit citatis paſſibus.
At quo Meliſſus litori accedit magis,
    Et clamitans valentiùs
Hoſtem probris laceſſit; hoc valentiùs
    Echo remittit & probra.
Fremit puer, minatur, hæc pariter fremit,
    Eaſdem & intentat minas.
Quid multa? litori puer jam advenerat;
    Et vidit eſſe neminem.
Putat latere; corpus inclinat; ſed heu!
    Meliſſus in flumen cadit.
Flevit cadendo; flevit Echo ſimiliter,
    Puerique luſit in vices.
Motus Meliſſi forte Jupiter, jubet
    Apem puellus induat.
Et quod Meliſſus ante, nunc Apis facit;
    Et, cura quæ fuit, manet.
Per prata flores carpit in dapes Deum;
    Fugitque reſonantes locos.

LIBER EPIGRAMMATUM.

AD AMICUM,

Cùm in die ipſius Feſto Flores acu pictos illi mitteret.

DUm fertis latè redolent fragrantibus horti,
Atque ſuas tellus prodiga fundit opes:
Cur pictos dederim ſerum ſub tegmine Flores,
Mirari ſubeat forſan, Ariſte, tibi.
Anne meum Flores referant bene, credit, amorem,
Quos videt una dies vivere, & una mori?
Non ego crediderim. Quos bruma nec æſtus aduret;
Queis aderit vivus, qui micat, uſque color.
Eſte mei ſpecimen, Flores, & pignus amoris.
Cui nec finis erit, nec modus eſſe queat.

Imitation de la meſme Epigramme en François.

Tandis que la brillante Flore,
Dans ſes Jardins délicieux,
Offre mille fleurs à nos yeux,
Que ſous ſes pas on voit éclore.

Pourquoy vous préſenter des Fleurs,
Qui doivent à la main habile,
Sçavante à manier l'eguille,
Le parfait accord des couleurs.

Des Fleurs, helas! que la nature
Fait naiſtre & mourir en un jour,
De la conſtance de l'amour
Sont une infidelle peinture.

Celles-cy, par un heureux ſort,
D'une beauté toûjours nouvelle,
Diront mieux qu'un amour fidelle
Eſt à l'épreuve de la mort.

In Statuam Beatæ Virginis Studiorum in Paleſtra collocatam.

Præſidium Studiorum ingens, pignuſque ſalutis
En iſto erigitur Diva Maria Tholo.

Digitized by Google

Hæc duo quiſquis amas, ad Numina fida Mariæ
Confuge, doctus eris, confuge, ſalvus eris.

In iſtas voces. *Miſeremini, miſeremini ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.*

Carcere ab obſcuro ſemperque flagrantibus antris,
Si quod apud Superos vox mea rumpit iter;
Si quis & in vivis noſtri memor, auribus æquis
Exaudi gemitus, quiſquis es ille, meos.
Exaudi gemitus, miſeroque impende ſodali,
Quam te de mediis ignibus orat, opem.
Me cruciat flammis ultor Deus! ò dolor ingens!
O pœna! ultorem ſuſtinuiſſe Deum!

In Effigiem ceream Dominici Buhurſi è Societate JESU *in Bibliotheca Collegii Pariſienſis appoſitam.*

Cum morbi ſenſim excederet mora longa BUHURSUM,
Hi vultus olli, cum moreretur, erant.
Vis oculis ſi nulla ſuper, ſi gratia fronte,
Si non ore nitet, qui fuit ante, lepos.
Compoſitos hinc inde Viri pervolve libellos,
Gratia in his meliùs, viſque lepoſque nitent.

In Bacchi Statuam medio in Fonte poſitam.

Aſſurgit media ſublimis Bacchus in unda;
At Deus, ut credo, ſaxeus ille fuit.
Namque illic Bacchi effiges ſi vera fuiſſet,
Ingratas fugeret non rediturus aquas.

In Verrem inſignem furem & helluonem.

Privatis laribus fertur bona multa rapaci,
Et ſacris Verres eripuiſſe manu.
At fures veritus raperent ne rapta viciſſim;
Maluit hæc ventri credere cuncta ſuo.

In eundem cùm Ciceronem in ipſum orantem arguiſſet, quod latraret.

Unde latras, Tulli? Verres dicebat, amaris
Cùm Verrem impe eret Tullius uſque probris.
Cur, latro, retulit; vigilantem affare moloſſum;
Et pete, cùm furem perſpicit, unde latret?

In Filiam quæ Patrem in carcere detentum proprio lacte quotidie alebat.

Parcite, cuſtodes, ſi quid fero filia patri;
Deprehendi hoc veſtra ſedulitate nequit.
Parcite, cuſtodes, noſtro ſi munere vivit,
Non nutrit patrem filia, mater alit

In Avarum morti proximum & recuſantem accipere pharmacum, quòd pretio vel levi redimendum illud proponeretur.

Affixus lecto vicina in morte jacebat,
Quo non in toto ditior orbe ſenex.
Fidus adeſt medicus; medico præſentior omni
Porrigitur longo certa medela malo.
At nummis redimenda tribus: ſecedite, dixit;
Deterior letho tanta medela foret.

Digitized by Google

Diis inimice ſenex! Proſerpina non eget auro;
Neſcit &, oblato munere, Pluto capi.

In Hominem deformem qui ſpeculo delectabatur.

Quid tibi cum ſpeculo? Speculum fuge; Nævole, numquid
Triſtia Narciſſi nil tibi fata times?
Namque ſui quondam ut periit Narciſſus amore;
Ni caveas, odio ſic moriere Tui.

In Potorem egregium aquis ſepultum.

Quam bene conveniant cum primis ultima vitæ
Tempora, Bebriaci triſtia fata docent.
Exoſus liquidas ſemper, dum viveret, undas,
Nulla bibit præter pocula plena mero.
Par in morte fuit; nam flumine prehenſus in alto,
Ne potaret aquas, maluit ille mori.

Inſcriptio Horologio ſolari apponenda.

Felix, ſi tibi ſunt, quales ſtylus indicat, horæ;
Tempora ſunt vitæ nubila nulla tuæ.

A L I A.

Quam tibi præſentem cuſpis denunciat horam;
Ultima quid vitæ ſi foret illa tuæ?

A L I A.

Dum fugit umbra, tuæ metitur tempora vitæ;
Quot fugiendo notat, tot rapit illa dies.

A L I A.

Non omnes qui manè micant, ſub veſpere lucent.

In Herculem tractantem Colum.

Monſtrorum, Alcide, domitor, cur otia quæris;
Monſtra quaſi tertis omnia pulſa forent?
Non ſunt, crede mihi; licet Hydra Angueſque Giganteſque
Innumeri telis ſuccubuere tuis.
Tetrius eſt monſtrum; qui te nunc victor inermem
Molli fila manu capere cogit, Amor.

In Puros Beatæ Virginis Deiparæ Conceptus.

Primæva immunis peccati labe, parentis
Fingitur in caſto Virgo MARIA ſinu.
Ne tu mireris factum; caruiſſe tenebris
Debuerat, ſolem quæ paritura fuit.

A L I U D.

Proh! quàm bellè oculum refert MARIA!
Proh! quàm bellè oculus refert MARIAM:
Si quas fors oculo tuliſſe ſordes,
Auram contigerit malè auſpicatam;
Sentias oculum illico dolere,
Sentias oculum madere fletu.
Ut ſordes oculus fugit timetque;
Sic quaſvis refugit MARIA ſordes.

In Lothi Conjugem in ſtatuam ſalis converſam.

Quam bene compoſitam miraris ſtare columnam;

Quod

Quod mirere magis, vixerat illa priùs.
At ſpirare licet ceſſarit fœmina fallax,
Non mordere tamen deſiit illa, cave.

ALIUD.

Cum Deus inviſam vellet diſperdere gentem
Cedere polluta juſſit ab urbe Lothum.
Juſſa ſequi, retro ſed cernere ſponſa vetatur
Mœnia in ardentes mox abitura rogos.
Non tulit impatiens tam duræ incommoda ſortis;
Reſpicit, inque ſalem verſa repente fuit.
Si ſal mox fierent vitio hoc quæcumque laborant,
Nil ſale jam toto vilius orbe foret.

In Thalem Mileſium, qui dum cœlum attentiùs contemplatur, in puteum cecidit.

Aſtrologus quondam tacito labentia cœlo
Dum fixis oculis ſydera cuncta notat:
Decidit in puteum; factum bene! noſcis Olympum
Imprudens, patrium noſcere diſce ſolum.

In Paraſitum inter Convivarum jocos ac ſales modeſtum ac patientem.

Quid tam crebra in me convicia, Pontice, jactas?
Invenio, noceam qua ratione tibi.
Non in te iraſcar, non verbis verba refellam.
Sed veniam ad menſas, Pontice, ſæpe tuas.

In Eundem.

Cœnes, Pontice, cum foris libenter,
Et famem dapibus tibi haud paratis
Ames paſcere, ſi proterva Te, te
Probris turba petat jociſque mille.
Deponas animos truces, monemus,
Liber non potes, & guloſus eſſe.

In Chriſti Circumciſionem.

Dive Puer, quantos dabis olim ſanguinis imbres!
Vitæ aurora tuæ ſi modò prima rubet.

In ſacrum JESU *Nomen in Circumciſione Chriſto impoſitum.*

Quiſque ſuum à factis Nomen ſortitur; JESUS
Diceris; & populi vita ſaluſque tui es.

In Munera à Regibus Magis Chriſto oblata.

Aurum, Chriſte, ferunt, Thus, Myrrham munera Reges;
Ni ſimul offerrent cor tibi, plura darem.

ALIUD.

I. REX.

Adſumus, excitos patriis quos ſydus ab oris
Impulit huc Cunas quærere, Chriſte, tuas.
Aurea dona fero; debetur Regibus aurum:
Te Regem tellus ſi neget, aſtra probant.

II. REX.

Ipſe etiam ambroſios Panchæi thuris odores
Ecce fero; obſequii ſint monimenta mei.

En erit ut ſtatuam tibi quondam altaria, ſummum
Scilicet ara Deum, ſacraque thura decent.

III. REX.

Et tu muneribus pariter celebrabere noſtris;
Myrrhea dona fero, Myrrhea dona cape.
Myrrha quidem non digna Deo, ſed Myrrha puello;
Myrrha tibi quondam qui moriere, datur.

In Fluvium Secium, qui, dum ferveret Bellum in Italia, exundans Germanorum caſtra Gallici exercitus in præſentia ſubmerſit.

Omine plaude tibi, felix Germania, tanto.
Tu vero, infelix Gallia, fata dole.
Tutonicis viſa eſt rebus Fortuna favere:
Vina nocent populis, provida mittit aquas.

In Artemiſiam Mauſoli Conjugis cineres haurientem Panegiricum.

Mors animam rapuit, rapuerunt corpora flammæ;
Nil præter cineres conjugis eſtque ſuper.
Hæc quoque ſola mihi ne pignora tollat amoris
Invida ſors, imo condita corde geram.

SATIRICUM.

Mauſoli cineres alto dum pectore condit
Artemis, occultos diſce, doloſque cave.
Nempe quod Aonii quondam cecinere Poetæ,
Cecidit huc Manes ſæpe redire pios.
Ergo ne redeat poſt triſtia fata maritus,
Ipſa ſui cineres ebibit ore viri.

In erectam LUDOVICO MAGNO *Equeſtrem Statuam in Platea, quæ Vindocienſis olim dicta eſt, nunc à partis felici marte rebus nuncupatur vulgò* LA PLACE DES CONQUESTES.

Ecce tuis ſervit nomen, LODOICE, trophæis,
Vindocinenſe domi, Vindocinenſe foris.
Vindocinenſis habet Statuam Area, Dux quoque victor
Signa tua in Latio Vindocinenſis agit.

In eandem Statuam & in eam quæ poſita cernitur in Platea a Victoriis nuncupata LA PLACE DES VICTOIRES.

Hinc Eques, inde pedes LODOICUS ſpirat in ære;
Idem cur Heros hinc ſtat & inde ſedet?
Stat pedes, ut meliùs poſſit Victoria Regem
Uſque ſequi, & lauro cingere juſta comas.
Inſidet acer equò? rapido ſic impete vincit;
Vincentemque valet fama nec ipſa ſequi.

In Midam aſininis auribus inſtructum.

Utra ſonat melius Phœbi teſtudo Lycæi,
Panos an agreſtis fiſtula? Fare, Mida.
Infandum mihi parce, precor, renovare dolorem:
Judicium at tacitus reſpice in aure meum.

ALIUD.

O qui cuncta vales, quæ vis, Mida, tangere, in aurum
Vertere! Quin tangis protinus auriculas?

Si

Digitized by Google

Si tangas, ſtolidæ de te ludibria plebi
    Nulla dabunt aures, has ſibi quiſque volet.

In Domitianum muſcas capientem & captas acu aurea figentem.

Hic Princeps, tibi quem notare vellem,
Neſcit Carminis in locum venire.
Hunc ſi noſcere vis, tamen docebo,
Et certis hominem notabo ſignis.
Illum Flavia gens dedit Tyrannum,
Sævum, terrificum, ferum, cruentum.
Verùm quid queror; aut voce cruentum?
Solis bella ferebat ille muſcis.

ALIUD.

Arma movet Cæſar, muſcamque in prælia poſcit.
    Eſt hæc, eſt armis victima digna ſuis.
Scilicet imperium bellis vacat, otia ne quis
    Objiciat, Cæſar ludicra bella gerit.

In Diogenem cum media de luce hominem accenſa face quæreret.

Unde facem præfers dum ſol altiſſimus? aut quid
    Diogenes, certas quærere? Quæro hominem.
Nempe tui ſimilem? Scrutari deſine; ſolus
    Tu vacuum, reliqui Dolia plena colunt.

ALIUD.

Urbem dum peragras nullus ſapit, inquis in urbe:
    Erras, Diogenes; unus in urbe ſapit.
Sed cum diſcedis prudens, ſtrepitumque peroſus
    Turbam hominum vitas, nullus in urbe ſapit.

In Fulviam Antonii uxorem Ciceronis perempti linguam acu pungentem.

Cuſpide tranſadigis Ciceronis, Fulvia, linguam;
    Ne ſolitis meritam te petat uſque probris?
Parce metu; non illa feret maledicta, ſed omnes
    Te meritis lædent pro Cicerone probris.

ALIUD.

Cæſum vidit ubi Tulli caput, ultra meritum
    Ultrici linguam Fulvia pungit acu.
Rarum eſt exemplar; nam perfida, ſæpe maritum
    Qui petat, huic ultro fœmina præbet acum.

In varios Terræ motus quibus concuſſa Roma eſt anno 1703.

Succuſſo dum Roma ſolo tremit omnis, & ingens
    Inſoliti motus pectora terror habet.
Hæc inter Clemens ſtat vultu immotus eodem;
    Clementem firmam quis neget eſſe Petram?

ALIUD.

Itala multiplici tellus diſcedit hiatu;
    Ipſa etiam motu concita Roma tremit.
Quanquam, ò Roma! licèt juſtum, depone timorem:
    Certa tibi, Clemens perſtat in urbe, ſalus.
Nam ſi Romanos vellet punire nocentes,
    Cedere Clementem juſſerit Urbe Deus.

In

In inconſultos aurifici lapidis indagatores.

O pretioſam artem! ò noſtri miracula ſecli?
Protinus eſt Irus, qui modo Crœſus erat.

A L I U D.

Heu! quid agis, delire ſenex? ne perde laborem;
Infelix ſtudiis immoriere tuis.
Aurificum quæris lapidem noctesque dieſque!
Nil præter lapidem, qui tegat oſſa, feres.

In Laudatores acti Temporis.

Laudas quæ juvenis vidiſti tempora, damnas
Noſtro quæ ſenior more vigere vides.
Si maneant priſcæ juvenili in corpore vires;
Quæ toties carpis, tempora grata forent.

A L I U D.

Quòd malè præteritis ætas nova congruat annis,
Culpas, nec mores temporis hujus amas.
Fac veteres mores, fac tempora priſca reducat
Jupiter, & terris aurea ſecla ferat.
Uno congruerent: non poſſet, Nævole, mores
Præteritum, aut, præſens tempus amare tuos.

In Tabulam, in qua Virtus & Fortuna amicas invicem manus jungebant.

Hoſtem quam pingunt alii, Virtutis amicam
Fortunam hæc meliùs picta Tabella docet.
Fortunam incuſas, tibi quòd minùs æqua negarit
Munera, Virtutem ſi colis, illa dabit.

A L I U D.

Nam cur Fortunam ſocias tibi, candida Virtus?
Crede mihi, mores dedecet illa tuos.
Vertitur inconſtans Fortunæ vultus, & illa,
Quæ tibi nunc dextram, mox tibi terga dabit.

In invidum obtrectatorem Picti Fœderis.

Fortuna & Virtus concinno in Dramate * concors
Viſa eſt, & cunctis Fabula grata fuit.
Quin etiam in Tabula depingitur utraque concors;
Grata etiam multis rara Tabella fuit.
Si cui fors faveant ſtudiis communibus ambæ,
Nam cur ſincerum fœdus id eſſe neges?

* *Quod Tabula, idem fuerat exhibiti eodem tempore Dramatis argumentum.*

R E S P O N S I O.

Fortuna & Virtus concinno in Dramate concors:
Viſa quidem, & cunctis Fabula grata fuit.
Quin etiam in Tabula depingitur utraque concors;
Grata etiam, fateor, rara Tabella fuit.
Cætera, ſi quæras, reprobem cur fœdera, dicam:
Nempe hæc pictura eſt, Fabula & illa fuit.

Aliud omnia concilians.

Fortuna & Virtus Tabula cernuntur eadem
Mutua per placidas conſociare manus.

Incon-

Digitized by Google

Inconſtans Fortuna tamen, mox perfida fœdus
Rumpet, & à nexu retrahet illa manum.
Concordem potis es, Lodoice, utramque tenere:
Vive diu, longum, te vade, fœdus erit.

In Galliæ Deſiderium Philippo in Hiſpaniam abeunte.

Dum parat Heſperiam ſua regna intrare Philippus,
Cur velut amiſſo Gallia mœſta dolet?
Tres etenim claro Lodoïci è ſanguine natos
Almo ſervat adhuc Gallia læta ſinu.
Tanti eſt Borbonii pars ſanguinis, ut malè tanto
Gallica gens regnum pignore credat emi.

In communes Galliæ & Hiſpaniæ Plauſus, cùm Philippus in Hiſpaniam pergeret.

Plaude tuo, felix Hiſpania, plaude Philippo:
Tu, tibi, dum rapitur, Gallia, fata dole.
Fallor, utramque docent communia gaudia gentem,
Tu gaude, accepto Principe, Tuque dato.

In Pias Principum Fratrum lacrymas cùm ab invicem divellerentur.

Nec lacrymas damnaſſe velim, quas fundere fratres
Fratrum in diſceſſu mutuus urget amor.
Quanquam, ò Borbonidæ, juſtos compeſcite fletus,
Nec dolor ingenuas deterat imbre genas.
Borbonidum eſt totus, quam latè extenditur, orbis:
Seque velit veſtris legibus ille regi.
Vos hæc fata manent; mundo date jura volenti:
Veſtra tripartitus ſub juga mundus eat.
Ergo à fraterno divelli aſſueſcite collo,
Et dulci amplexu poſſe carere diu.

ALIUD.

Parcite, Borbonidæ, lacrymis: conſulta reſiſtunt
Fata; tot Heros terra nec una capit.

Ludovicus Burgundiorum Dux ad Philippum Fratrem Regem Hiſpaniarum.

Frater abis, regnare paras; perge omine læto;
Fataque, quam pandunt proſpera, carpe viam.
Quò res cumque cadant, nil me ceſſiſſe minori
Pœniteat, Fratrem ſi modo ſemper amas.

Reſponſio Philippi Hiſpaniarum Regis.

O Frater, ſi regna feram, poſſitque videri,
Qui te pene ſequi debuit, ire prior:
Ne doleas: olim patrio regnabis in orbe:
Et te tarda quidem, ſed meliora manent.

Idem Ludovicus Burgundionum Dux ad Philippum Fratrem Regem Hiſpaniarum.

Ergo vale, Frater: veniunt tibi Sceptra minori:
Majorem obſequii laus manet una ſui.
Non equidem invideo; felicibus utere regnis:
Dum parere diu me bona fata ſinant.

Digitized by Google

Reſponſio Philippi Hiſpaniarum Regis.

Majorem regnare decet, parere minorem;
    Hoc natura docet, jus ratioque probant.
At dulce eſt parere tamen, parere decorum eſt,
    Frater, Avus regnum dum tenet atque Pater.

LUDOVICO MAGNO *quod rerum Hiſpaniarum Rector ab ipſis Hiſpanis ſit expetitus.*

Quam bene conveniunt LODOIX & Phœbus! uterque
    Pluribus haud impar lucet utrique Polo.
In varias Phœbus diffundit lumina terras;
    Et nitet Eois, & nitet Heſperiis.
Lumine dum luſtrat LODOIX ſuâ regna benigno,
    Heſperiam radiis luſtrat & ipſe ſuis.

In præpoſterum Matrum in Filios amorem.

Simia dum teneros ſtringit complexibus arctis,
    Imprudens natos ſtrangulat ipſa ſuos:
Parce ah! blanditiis quæcumque es mater, amori
    Parce, odium proſit forſan & ira magis.

In Simiam natos amplexu ſuffocantem.

Prolis in amplexu dum ſe probat eſſe parentem
    Simia; quis credat? deſinit eſſe parens.

ALIUD.

Dulces dum natos collo nimis arctiùs urget,
    Prolem infelici Simia morte necat.
Quis matrem ſævire putet, dum diligit? idem
    Qui genuit, verſa dat vice funus, amor.

In Pandoræ Pixydem.

Pixyde dicuntur Pandoræ incluſa fuiſſe
    Morbi, bella, fames, & genus omne mali.
Credere quis poſſit? nam Pixyde clauſa teneri
    Fœmina præ reliquis debuit una malis.

In Caſſium qui propriis ſcriptis combuſtus eſt.

Centum errant circum Cocyti litora Vates,
    Queis mala Pauperies buſta rogumque negat.
Scripſiſti hoc metuens, Caſſi, tot carmina vivus,
    Ut vita functo ſint tibi ſcripta rogus.

In Statuam Mercurii quæ inſcriptum ferebat: Furum ac vatum Deus.

Mercurius Furumque Deus Vatumque vocatur:
    Hæc duo Numen idem quâ bene juncta decent!
Utraque gens pariter rapto ſcit vivere; Furum
    Cùm Deus eſt, Vatum dicitur inde Deus.

ALIUD.

Vidit Mercurium ſtantem de marmore Vates;
    Fur vidit, viſum poſcit uterque ſibi.
Parcite, Sculptor ait, contendere, dignus utroque
    Eſt Deus, inſcriptum nomen utrumque feret.
Quam bene jure pari gaudent Fur atque Poeta,
    Quos par ingenium fecerat ante pares.

Utra-

Digitized by Google

Utraque gens rapto vivit; ſed diſpare fato.
Hæc mortem furtis invenit, illa decus.

In interceptas à Gallis Ficus, quas Batavi refertas auro in Delphinatum mittebant ad fovendam Fanaticorum Rebellionem.

Impia quo foveat ſociorum bella Batavus,
Submittit Ficus callidus ære graves.
At non eluſit vigiles ars ſubdola Gallos:
In quorum cupidas incidit arca manus.
Arte nova Batavus ſic miſcuit utile dulci;
At Gallus punctum providus omne tulit.

ALIUD.

Hortis Heſperidum præſtas Hollandia dives,
Ficubus & cedunt aurea poma tuis;
Pingebat tantùm color aureus aurea mala;
Incluſum aſt aurum Ficubus intus ineſt.

ALIUD.

Ad populos Batavi ſcelerato marte rebelles
Nectareas Ficus munera læta ferunt:
Aſt aliquis Gallus verſutior exſecat unam;
Aurum pro nucleo, res nova, Ficus habet.
Felices, inquit, Batavi, queis terra profundit
Poma, quibus ſucco dulcior eſt nucleus.

ALIUD.

Dum ſperant Batavi Ficu deludere Gallos;
Callida gens capitur fraudibus ipſa ſuis.
Quando volent Batavi Ficu nos ludere; Ficus
Sit matura magis, ſit pretioſa minùs.

In Muſcam in lacte Naufragam.

Dum niveos demens avido bibit ore liquores,
Heu! lacte in medio naufraga Muſca perit.
Hinc mala quanta ferat nimiùm mellita voluptas,
Diſcite; blanditiis enecat illa ſuis.

In Larvas.

Qui Bacchum ſimulat, ne ſit pater ipſe Lyæus;
Quæ Venerem, vereor ne ſit & ipſa Venus.

Ad Gellium Deformem utentem larva.

Non opus eſt, Gelli, externam tibi ſumere larvam:
Nativam proprio ſemper in ore geris.

In Venerem Cupidinis oculos Faſcia velantem.

Lumina velavit nati Venus ipſa; caveto;
Quanquam incerti ictus, vulnera certa tamen.

In Mortem Medici habitu diſſimulatam.

Mortem ajunt nigra Medici ſub veſte latere.
Ægrotas? Medicum tu fuge, ſalvus eris.

ALIUD.

Ut genus incautum meliùs Mors perfida fallat,
Mors habitu Medici diſſimulata latet.
Quiſquis es inviſæ capiunt quem tædia vitæ,

Certa tibi medica fertur ab arte ſalus.

In aquam mutatam à Chriſto in vinum, dum adeſſet Nuptiis in Cana Galilea.

Mirum! ſi Chriſtus vino mutaverit undam!
An poterat vinum non dare? Vitis erat.

Ad Puellam Catellæ mortem acerbiùs lugentem.

Pone modum lachrymis; è cœlo Jupiter alto
Excepit querulas ore favente preces.
Quæ vixiſſe modò tibi viſa Canicula, vivit
Aſtra inter, Dominæ parcet & illa ſuæ.

In Janum bifrontem.

Veridicum Veteres Janum dixere bifrontem:
Non ego: Si bifrons, Jane, Bilinguis eris.

Pauperculus ad Virum Divitem Xenia.

Sunt tibi divitiæ, ſunt, quæ des munera: at ipſe
Nil niſi vota habeo, nil niſi vota feram.
Divitias tibi mitto meas, vota omnia mitto:
Divitias pariter tu mihi mitte tuas.

In Puerum, qui, Novercæ tumulum dum floribus ſpargeret, ejuſdem ruentis mole oppreſſus eſt.

Dum Puer exornat ſertis monumenta Novercæ,
Ecce ruit moles, opprimiturque Puer.
Quis neget ingenium poſt hac crudele Novercæ?
Viva nocet, moritur, mortua ſævit adhuc.

In Pygmæos Herculi dormienti illudentes.

Proſtratum ſomno Alcidem Pygmæa propago
Ridet, & ingeminat turba proterva jocos.
Cur non evigilas, tua ſi tibi gloria cordi,
Ulturus valida probra jocoſque manu?
Sed fallor, cordi eſt; dum vili gloria turbæ
Non datur, Herculea poſſe perire manu.

In Tabulam, in qua pingitur Dementia cæcum Amorem ducens.

Pontice, quid rides? an quòd Dementia Amoris
Dirigit incertos officioſa pedes?
Ridendi cauſa eſt. Verum quò callida cæcum
Illa velit puerum ducere, fortè latet.
Limina picta vides extrema in parte Tabellæ;
Stultitiæ domus eſt, hanc regit illa Deum.

ALIUD.

Quàm bene ſortitur Fratrem Dementia Amorem;
Captus hic eſt oculis, captaque mente ſoror eſt.

ALIUD.

Uſque eſt fida comes cæci Dementia Amoris;
Cæca hinc ſtultitia eſt, hinc quoque ſtultus Amor.

ALIUD.

Cœcus Amor certos ut poſſit figere greſſus,
Ultro Stultitia ſub duce carpit iter.
Fortè ducem quæris cur tam ſelegit iniquam?
In promptu cauſam eſt dicere: cœcus erat.

ALIUD.

ALIUD.

Diſcite, mortales, Amens quid diſtet Amanti;
    Perleve diſcrimen littera parva facit.

Viro diſertiſſimo in Patroni ſui Feſtivitate.

Exoptata diu revoluto ſydere venit
    Tandem feſta dies, quod tibi munus erit?
Ver quoties ſerum increpitans Zephyroſque morantes,
    Dicebam, ſegnes præcipitate moras.
Eja agite, & dulci terram mulcere flabello,
    Ut flores largo det mihi terra ſinu.
Det violam; auratas frondes Tulippa recludat.
    Dotibus hæ fuerant apta corona tuis.
Illa modeſti animi ſpeciem feret, illa benignas
    Divitis ingenii ſignificabit opes.
Vana loquor; Boreas namque improbus omnia circum
    Vaſtavit; flores pigra recuſat humus,
Quanquam ego quid ſteriles tibi quæro ſerta per hortos;
    Quid Floræ imprudens dona caduca moror?
Ipſe fremat cœlo Boreas, fremat horridus auſter;
    Tu loquere, en flores fundis ab ore novos.

A une Perſonne de pieté accablée de longues maladies, en luy envoyant un Tableau de JESUS-CHRIST *ſouffrant.*

    Vous qu'un invincible courage
    Souſtient au milieu de l'orage
    Des durs & violents retours,
Qui depuis ſi long-temps troublent vos plus beaux jours.
Reprenez deſormais une force nouvelle;
Vos maux que juſqu'icy rien n'a pù ſoulager;
De la vive douleur le plus parfait modele;
    Veut avec vous les partager.

Plainte d'un Roſſignol nouvellement pris au filet, & qu'on s'efforçoit en vain de faire chanter.

    Vous vous plaignez de mon ſilence,
    Cruel & perfide Oyſeleur;
    Vous qui par un apas trompeur
    Avez ſurpris ma prévoyance,
    Et me privez de mon bonheur.
    Il faudroit chanter pour vous plaire:
    Mais pendant ma captivité.
    Helas! tout ce que je puis faire,
    C'eſt de pleurer ma liberté,

LIBER DE SYMBOLIS.

PRÆFATIO.

QUod de rerum Principiis ac ſeminibus Ariſtoteles, quod Plinius de Gemmis, quod de Apibus Virgilius prædicant, id ipſum de Symbolis jure merito pronuncies. Sunt enim Symbola, uti Principia, *Minimum quid quantitate, maximum quiddam virtute*. Deprehendas in illis ſicut in Gemmis, *contractam in arctum rerum naturæ majeſtatem*, & quod inditum eſt Apibus, *ingentes animos anguſto in corpore verſant*.

Exhibent illa gratiſſimum oculis ſpectaculum; erudiunt aures doctiſſimis præceptionibus, &c, quæ inſtillant documenta; eadem in penitiſſimas animæ partes inſinuant. Uno verbo delectant & proſunt. Has ego Symboli dotes tam eximias repræſentari poſſe putem non infeliciter ingenioſo Symbolo, quod olim Romæ celeberrimi Rhetoris in laudem inventum eſt. Subjecta Soli pingebatur Areola, in qua tam ſolerter deſcriptum erat Solarium, ut flos elatior faceret umbram, & horas monſtraret. Additum erat verbum Hiſpanicum, DELEYTANDO ENSEÑA, *Delectando docet*.

Quid adjiciam aliud ad Symbolorum commendationem? Dicam ne genus eſſe operis mirabile plenumque myſteriis, quod, ſi quid eſt cæteris in diſciplinis pulchrum ac perfectum, complectitur; id omne, quod videri poſſit imperfectum, excludit? In quo, novo prorſus & inſolenti prodigio, cum obſcuritate claritas, ſimplicitas cum ſubtilitate, eruditio cum vulgari communique ſenſu, vis cum lepore mirificè conveniunt, & amicè conjurant? Habet hoc Symbolorum ſcientia, ut cum voluptate diſcatur; abſunt ab ea ſentes ac ſalebræ, nihil ubique præter flores offendas; oblectamentum potius, quàm laborem, ludum magis, quàm ſtudium dixeris; adeo ut in hoc amœniſſimo concertationis genere Platonicum illud præceptum obſervetur, *Philoſophando nugari, & nugando philoſophari*.

Concurrit enimvero ad ſuaviſſimam Symboli amœnitatem quidquid Symbolum ipſum informat. Figurarum colorumque varietas, quæ Symbolo corpus ſuppeditat, recreat oculos, quorum ſenſus eſt acerrimus. Carminis numerus & harmonia, ex quibus conſtat Symboli Anima, blandiuntur auribus, mentem ipſam percellunt, exſtimulant, in admirationem rapiunt; ita Symbolorum ſcientia ſuam à Pictura dignitatem, ſuas à Poeſi illecebras mutuatur. Jam ſi quid eſt curioſum in Emblematis, ſi quid in Ænigmatis arcanum ac reconditum, ſi quid in Oraculis divinum occurrit, totum hoc ſibi Symbola vindicant; ambiguitatem ac tenebras, quibus laborant illa plerumque, nec affectant, nec patiuntur.

Sed quid ego hæc? Ne proferamus ulteriùs Præfationem Opuſculi quod molimur. Faciet rerum varietas ac gratia, quæ tractandæ nobis incumbunt, ne commendatione ulla egere videatur.

LIBER DE SYMBOLIS.

CAPUT PRIMUM.

De Origine, Natura & partibus Symboli.

ARTICULUS PRIMUS.

De Origine Symboli.

VEtuſtiſſimus eſt Symbolorum uſus. Nam figuræ Hieroglyphicæ, Ænigmata, Emblemata cum ipſo mundo nata quodammodo videri poſſunt. Quin & ipſa Symboli natura tam antiqua eſt, quàm ipſa Metaphora. Hinc Antiſthenes quando Cephiſodotum comparabat Thuri, quod, dum conſumitur, voluptatem parit, Symbolum inſcius faciebat; cujus Corpus erat Thus incenſum, Anima, vox hæc Græca, Ἀπολλύμενος εὐφραίνει, *Delectat pereundo.*

Quod Symbolum nobilis Italus ſibi vindicavit, mutando voces Græcas in Italas, DELEYTA CONSUMMANDÒ SI.

Verùm quo demonum tempore ars illa rudis primùm & imperfecta perpoliri ac perfici cœperit, non eſt tam in promptu dicere. Videtur tamen Res Symbolica non habuiſſe ſuum incrementum ac decus niſi à Caroli VIII. Francorum Regis temporibus; quo duce, cùm in Italia bellum Galli geſſiſſent, Symbolicam Artem apud Italos natam in Galliam invexere. Hinc Symbolum, militare inventum eſt, & bellicis præſertim expeditionibus repræſentandis inſtitutum. Non ita multo poſt Paulus Jovius Italus Rem Symbolicam ſcribendo aggreſſus eſt, & omnium primus Symbolorum Artem ac leges tradidiſſe deprehenditur.

ARTICULUS II.

De Natura ac Definitione Symboli.

Sympolum ad regulas Artis exactum rectè definiri poteſt, Pictura certorum corporum paucis vocibus conſtans, quæ rem aliquam ſingularem, cum qua habet ſimilitudinem, repræſentat.

Primò. Dicitur Pictura, quia fuit hæc prima Symboli inſtitutio, ut in ſcutis Heroum pingeretur, & figurarum ac colorum varietate diſcurrentes in Palæſtris Equeſtribus alios ab aliis ſecerneret. Jam invaluit uſus, ut Symbola cùm incidantur metallo, tum in lapide ſculpantur.

Secundò. Dicitur Pictura certorum corporum, quia non omnia promiſcuè corpora locum habent in Symbolis, cùm ab iis humanum corpus, truncata membra, & viliorum artium inſtrumenta, uti poſtea dicemus, excludantur.

Tertiò. Conſtans paucis vocibus: nam ſententia, quæ Picturæ additur, debet eſſe brevis, & tribus aut quinque ad ſummum vocibus contineri. Hinc *Verbi* ſimplicem appellationem habet.

Quartò. Dicitur Pictura, quæ rem aliquam ſingularem repræſentat. Hic enim Symboli finis proprius, ut vel illuſtre quoddam facinus, vel vividum aliquem affectum animi, vel nobilem mentis partum ſignificet. Neque ob aliam rationem novum illud & tacitum, ut ſic loquar, cogitationis exprimendæ genus inventum fuit.

Addidi. Quæ rem aliquam ſingularem ſignificet; nam brevibus rei unius ſignificandæ anguſtiis Symbolum continetur: in quo differt ab Emblemate, quod latiùs extenditur, & ad res communes atque univerſas adumbrandas comparatum eſt.

Denique. Quod præcipuum eſt in Symbolo, dicitur habere ſimilitudinem cum ea re, quam repræſentat; quia Symbolum ex natura ſua Metaphora eſt, & quidem Metaphora proportionis atque habitudinis, quæ rem per aliam exhibet, quacum habet ſimilitudinem. Exempli gratia. Qui ſignificare velit per Symbolum, tantam fuiſſe Ludovico Magno ſapientiam, ut par eſſet unus regendis totius orbis populis, mutuabitur exteram aliquam imaginem, quæ id ipſum oculis exhibeat, & legitimæ comparationi dare locum poſſit, puta Solem pinget, cui Verbum ſubjiciet. *Sufficit orbi.*

Simplicem quidem ac proprium ſenſum efficit, qui dicit, tam ſapientem fuiſſe Regem noſtrum, ut regere unus orbem univerſum poſſet. Loquitur verò ex Metaphora, qui Regem appellat Solem, cui tanta eſſet vis luminis, ut illuſtrando toti mundo ſufficeret. Ubi Rex cum Sole, ejuſdem ſapientia cum lumine, ita conferuntur, ut collatio nitatur ſimilitudine, quæ res inter iſtas reperitur.

Hujus generis Metaphora cùm Symboli naturam conſtituit, tum legitimum ſecernit ab adulterino. Ubi enim Metaphora eſt ejuſmodi, quam ſimilitudo pariat, & quæ poſſit ad comparationem revocari, tunc probatum Symbolum, eadem cum defuerit, vitioſum reputa. Eſt enim Metaphora, Cicerone teſte, *ſimilitudinis ad Verbum unum contracta brevitas. Lib. 1. de Orat.* Quamobrem neque Globi gemini quos Franciſcus II. aſſumpſit cum hoc Verbo UNUS NON SUFFICIT ORBIS. Neque tres Coronæ Henrici III., quarum duæ humi poſitæ, tertia in aere ſuſpenſa pingebatur, cum iſta voce MANET ULTIMA COELO. Neque Columnæ Herculeæ, quas accommodavit ſibi Carolus V. cum hoc Lemmate PLUS ULTRA, non ſunt Symbola ad leges exacta: quia tàm Globi Franciſci II. quàm Coronæ Henrici III. nullam aut Metaphoram aut ſimilitudinem continent; uti nec ipſæ Caroli V. Columnæ, quæ non in ſimilitudine, ſed ſolis ludunt in oppoſitis.

Hæc porro Metaphora, quam Symbolum requirit, non eſt in verbis tantùm, quales eſſe ſolent vel Oratorum, vel Poetarum Metaphoræ, quæ ſolis auribus blandiuntur, ſed in figuris pictis poſita, quæ percellant oculos, quales ſunt illæ, quas Ariſtoteles picturas & imagines appellat. Picturæ tamen illæ atque imagines, quia varios in ſenſus trahi poſſunt, & ambiguas explicationes patiuntur, verbis egent, quibus ad rem unam potiùs, quàm ad alteram ſignificandam determinentur. Hinc Symbolum natura ſua Figura conſtat & Verbo, ut jam dicturi ſumus.

An-

Articulus III.

Quænam ſint Partes Symboli.

Fuit hæc Italorum quorundam opinio, Figuram ſolam ad Symbolum efficiendum requiri, quamvis iidem non negarent, minùs perfectum Symbolum illud videri, quod Verbis deſtitutum ſit. Itaque inter legitima Symbola numerabant aut Aquilam, quam Romana vexilla præferebant, aut Sphingem, quam inciſam annulo Auguſtus Cæſar geſtabat.

Voluerunt contra Nonnulli ſolis Verbis conſtare poſſe Symbolum, qualia fuerunt illa Joannis de Medicis, Che non puote Amore? *Quid amor non poteſt*, aut iſta Verba Cæſaris Borgiæ, Aut Cæsar, aut Nihil.

Verum multo æquior eſt cæterorum pœne omnium Sententia, qui ad legitimam Symboli rationem tam Figuram, quàm Verba exigunt, quorum alterum Symboli *Corpus*, alterum ejuſdem *Anima* nuncupatur. Eſt enim Figura ſola Typus quidam Hieroglyficus potiùs, quàm Symbolum: Verbum verò ſine Figura ſententiæ vim non excedit. Quam in rem lepidus eſt Itali cujuſdam jocus, qui ſententiolas illas, quibus Symboli nomen quidam affingunt, Lemuribus comparabat, quorum audiuntur voces, ipſa corpora non videntur.

Neceſſe eſt igitur Figuram pariter ac Verba concurrere ad perfectam Symboli rationem, quemadmodum ex corpore atque anima ſimul unitis homo exurgit.

CAPUT II.

De Corpore Symboli.

Articulus Primus.

An Commentitia aut Fabuloſa Corpora Symbolum admittat.

Commentitia illa dicuntur Corpora, quæ contra naturam & opinionem hominum vel finguntur tota, vel ex rebus pugnantibus & minimè ſibi invicem natis componuntur. Tale eſt monſtrum illud, quod ab Horatio depingitur in ſua Poetica, cujus humanum caput eſſet, Equina cervix, pars reliqua corporis in atrum Piſcem deſineret. Hæc corpora rejiciuntur à Symbolo, quæ fingi ad unius cujuſque arbitrium poſſint. Hinc meritò reprobatur Symbolum Salernitani cujuſdam Principis, qui Teſtudinem alatam depinxerat cum hoc verbulo, Amor addidit.

Neque legitima magis cenſeri poteſt Aquila ad Columnas Herculis alligata, cum hac Epigraphe Non ultra metas, qua receptus Caroli V. ab urbe Metis perſtringebatur. Nam cum Symbolum omne Metaphora ſit ex ſe ſe, & imago quædam naturalis, neceſſe eſt certum eſſe quidpiam ac verum, quo nitatur, & quod mentis unius figmentum videri non poſſit.

Neque tamen eodem ponenda ſunt in loco ea Corpora tam ſimplicia quàm compoſita, quæ vel Fabula vel uſus invexit. Nam etſi neque extitere, neque exiſtunt ulla ejuſmodi, jus tamen quoddam acceperunt à Poëtis, ut tanquam vera ac certa haberentur. Hinc Meduſæ caput cum hoc Lemmate Vincit quem respicit hostem, aſſumptum bellè in Symbolum, quo felices Ludovici Juſti armorum exitus adumbrarentur. Sic im-

plexum anguibus Caducæum, Fulmini inſidens Aquila, recepta ſunt apud omnes, ac inter germana Symbola numerantur.

ARTICULUS II.

An Humanam Figuram Symbolum patiatur.

Placuit Italis quibuſdam dare locum in Symbolis humano corpori, ſi ſitu aliquo ſingulari mirabilique habitu repræſentaretur. Verùm natura ipſa Symboli figuram humanam, quocumque tandem modo poſſit exhiberi, penitus excludit. Nam cùm Symbolum poſitum ſit in ſimilitudine, natumque totum ex ſe ſe ad demonſtrandam habitudinem, quam habet homo cum Figura, quæ ſimilitudinis fundamentum eſt; ſi corpus humanum inſtituendæ ſimilitudini deſerviat, huc demum recidet Symboli gratia, ut homo homini ipſi comparetur.

Jam verò ſimilitudo Symbolica perfecta eſſe non poteſt, niſi ſit cum Metaphora conjuncta: adeoque, quamvis humana figura comparationis egregiæ fundamentum efficeret, non tamem aſſumi debet in Symbolum, quia fundamentum Metaphoræ eſſe non poteſt. Eſt enim Metaphora translatio unius rei à propria ſignificatione ad ſignificationem alienam; quam translationem non patitur actio unius hominis cum actione alterius hominis comparata, cùm utraque ſit ejuſdem omnino rationis atque ordinis.

Quare in promptu eſt intelligere, quo haberi loco debeant illa Symbola, quæ exiſtimationem olim aliquam in vulgus habuere; vel Æthiops ille ante Solem proſtratus ADORO QUIEN ME QUEMA, *adoro qui me urit*, pro Hiſpano nobili qui fœminam Principem ardebat; vel Herculem cœlum ferentem, UT QUIESCAT ATLAS, pro Philippo II. poſt abdicationem Caroli V. Vel Apollo Daphnem perſequens in laurum mutatam, QUI ME FUGGIA, ME CORONA, *qui me fugiebat, me coronat*, pro Ludovico Juſto Rebellium victore. Iſtæ enim aut hominum aut fabuloſorum Numinum figuræ, egregium quidem inter Emblemata habere locum poſſunt, verùm receuſeri inter Symbola non debent, quia nulla eſt hujuſmodi, quæ legitimum Metaphoræ fundamentum præbere poſſit.

Secus porro ſentiendum de ſtatuis ac ſimulacris, quæ Symbolis bellè accommodantur, ſi modò non referantur ad eos, quos repræſentant, ſed ut mera Sculpturæ opera, aut ejuſdem proprietates ſpectentur. Quare qui ſignificare volet per adverſos caſus hominis ſanctitatem promoveri, rectè Cæſaris, vel Alexandri Statuam adhibeat, quam Sculptoris manus cædendo ac minuendo perficiat, cum hac Epigraphe, PERFICITUR, DUM CÆDITUR.

ARTICULUS III.

An humana membra locum habere Corporis poſſint in Symbolis.

Rejiciunt omnes à Symbolo humanum quodcumque membrum, quod tanquam pars Symboli eidem deſerviat. Cui opinioni non militant modò rationes omnes quæ figuram humanam excludunt, ſed ipſa figuræ deformitas, quæ reciſum à reliquo corpore membrum exhiberet. Apage ergo vel Aurem in aere libratam, vel Oculum ſceptro, vel Cor pyramidi præfixum, vel abſciſſam Manum libro impoſitam; quæ figuræ offendunt oculos, & ingratam offerunt imaginem.

Ar

At iidem ad unum omnes excipiunt humanam manum, ſi non ſeparata à corpore, ſed cum eodem, quod ipſum lateat, juncta prodeat è nebulis, & ad ornamentum Symboli vel poſita ſit, vel ad ipſam Symboli, quod repræſentatur actionem complendam, puta manum quæ ſtatuam cædit ac perficit; quæ Bilancem ſuſtinet; quæ elaborat Adamantem; quæ Gordianum nodum ſolvit. In iis & aliis ejuſmodi figuris receptus apud omnes uſus Manum admittit.

Facies etiam & buccas inflatas, quæ Ventos repræſentent, idem uſus recepit. Quare non eſt ignobile Symbolum, in quo perflantes mare Venti depinguntur cum hac voce, TURBANT SED EXTOLLUNT.

ARTICULUS IV.

An ſola Corpora Naturalia & Arte facta Symbolo ſint Idonea.

Ex iis quæ diximus rectè colliges, ſola Corpora Naturalia, aut quæ pro talibus habentur, & Arte facta ingredi Symbolum poſſe. Naturalia ſunt, quæ Natura menti exhibet ſuis affecta proprietatibus, qualia ſunt Aſtra, Meteora, Flores, Arbores, Animalia. Artefacta; qualia ſunt omnia Artis opera & inſtrumenta, Speculum, Horologium, Circinus, Libella, Cythara, &c. Priora poſterioribus nobiliora ſunt, quia Natura præcellit Arti.

Addidi, aut quæ pro Naturalibus habentur, quia mutuari licet a Fabulis Symbolica Corpora, quæ licet mera ſint Poetarum figmenta, tamen eam ſibi apud hominum opinionem conciliarunt veriſimilitudinis gratiam, ut pro Naturalibus ac veris Corporibus habeantur. Unde non excluduntur à Symbolo Monſtra Zodiaci, vel cætera Animalia, ex quibus cœleſtes conſtellationes conflantur: adeoque non eſt improbandum illud Symbolum, quod olim Ludovicum Juſtum adumbrabat Rebelles & Hæreticos perſequentem, Sol medius Scorpionem inter & Leonem, cum hac Epigraphe, NEC MONSTRA MORANTUR.

Imò contingit aliquando, ut Natura cum Fabula in Symbolo amicè conjuret. Hoc Naturæ eſt nimirum, ut lumen à Sole Luna ſuum accipiat, eodemque privetur, ubi reſpicere Solem deſierit; Id verò fabuloſum, quòd Sol & Luna, frater ac ſoror nuncupentur. Idipſum tamen legitimi Symboli fundamentum eſt. Nec ignobile fuit illud Gaſtonis Franciæ Aurelianenſis Ducis Symbolum, Luna creſcens cum hoc Lemmate, FRATERNA LUCE CORUSCAT.

Quin etiam Proprietates illæ, quas ipſis Corporibus naturalibus Fabula affinxit, fundare poſſunt probatiſſimum Symbolum. Sic Phœnix renaſcens ſuis è cineribus, Heliotropium ſe ſe convertens ad Solem, Cygnus canens in funere, Salamandra vivens inter ignes, quæ nullam habeant niſi à Fabulis fidem, legitima ſunt Symbolorum Corpora.

ARTICULUS V.

Quæ pertineant ad Corporis Naturalis, ſeu Arte facti perfectionem, quando locum habent in Symbolo.

Prima. Naturale Corpus in Symbolo ſemper ſumi debet ſecundùm nativam, quam habet, ſignificandi vim; nam quæ ſumuntur per Allegoriam, & quibus aliud verbis, aliud ſenſu intelligitur, rejicienda ſunt. Alioquin una Metaphora ſignum eſſet ulterioris Metaphoræ. Ita Palma, quæ pro Victoria nonnunquam, Cupreſſus quæ pro morte accipitur, hoc intellectæ ſen-

ſenſu metaphorico non idonea: ſunt Symbolo Corpora. Quare vitioſum fuit illud M. Antonii Colonnæ Symbolum, qui ſignificare cùm vellet, ſe reverſurum è prælio victorem, aut in eodem ſibi eſſe pereundum, Palmam & Cupreſſum in Decuſſim junxerat cum his vocibus, ERIT ALTERA MERCES. Neque enim optabat ſibi contingere, aut Palmam ipſam, aut Cupreſſum, ſed vel Victoriam per Palmam, vel mortem per Cupreſſum expreſſam.

Secundò. Pertinet ad Symbolici Corporis perfectionem, ut nobile ſit, & aſpectu jucundum. Nam cum Symbolum ad eam rem ſit inſtitutum, ut heroicum quid ſignificet, abeſſe ab eo debet figura turpis & abjecta. Id ipſum exigit ratio Metaphoræ, de qua ita loquitur Tullius. *Quoniam*, inquit, *hæc ſumma laus verbi transferendi, ut ſenſum feriat id quod translatum ſit, fugienda eſt omnis turpitudo earum rerum, ad quas, eorum animos qui audiunt, trahit ſimilitudo. Lib. 1. de Orat.*

Tertiò. Hoc illuſtriora ſunt, & gratiora Corpora, quo vividiora ſunt & actuoſa magis. Hinc Aquila inter fulgura ac fulmina volitans ſpecioſum quid magis exhibet, quàm ſi immota pingatur. Furens Leo & ſternens Tigrim plus delectat, quàm placidus ac tranquillus. Sol diſſipans nubes, aut vapores evehens percellit oculos magis, quàm ſi nativa tantum luce reſplendeat. Hæc porro ratio eſt; quòd Metaphora, cùm ſignandis rebus & ſub oculos ſubjiciendis reperta ſit, nihil parit ad eaſdem ſub aſpectum ponendas tam aptum, quàm motus eſſe ſoleat.

Denique notum ſit corpus oportet, quod pro Symbolo apponitur; imò cùm exponitur, ſtatim ſe prodat; minùs enim movent quæ ignota ſunt, neque delectat Metaphora, ſi obſcura ſit. Hinc rejicienda ſunt illa animalia, quorum genus & nomen ignorantur, peregrini flores, vel plantæ quæ nihil præſeferunt, per quod agnoſcantur. Hoc peccabat Mariæ Suartæ Symbolum, quæ mortuo Franciſco II. marito ſuo Glycyrrhizam pro corpore ſumpſerat hac ſignatam Epigraphe, DULCE MEUM TERRA TEGIT.

Improbantur pariter illa Corpora, quæ colore egent ut diſcernantur, quia jam uſus poſtulat, ut Symbolum inſculpi poſſit in lapide, ac in metallo cœlari.

Neque carent vitio, qui tabulam albam, aut ſcutum figura vacuum pro Symbolo propoſuerunt cum his vocibus, NI CON PLUMA, NI CON PINZEL, *Neque cum calamo, neque cum Penicillo*. NULLA ÆQUAT IMAGO. MELIOR FORTUNA NOTABIT. SECRETUM MEUM MIHI. NON EST MORTALE. MULTA DESCRIBAM.

Illi enim dici non debent accuratum feciſſe Symbolum, tum quia Symbolicum corpus deeſt, tum quia nulla ſimilitudo invenitur. Negari tamen non poteſt quin illa Symbola plurimum ingenii ac leporis arguant, etſi ad ſeveras Artis leges non ſunt exacta.

ARTICULUS VI.

An certus Figurarum numerus in Symbolo requiratur.

Legitimum eſt illud Symbolum, quod ex uno tantùm Corpore ſeu Figura componitur. At quidam exiſtimant, figuras plures, ſi non ad ipſam Symboli rationem, ſaltem ad ejuſdem abſolutionem requiri.

Ut ut eſt: cùm certus determinatuſque nullus eſt Figurarum numerus, ex quibus Symbolum inſtitui debeat, tum

tum communis eſt opinio numerum ultra tres aut quatuor Figuras non excedere. Niſi fortè Stellas in Cœlo, Flores in areola, Nummos ſuper menſam, Apes circum alvearia, ſine numero depinxeris. Hæc enim Corporum multitudo, cùm ſit ejuſdem generis atque ordinis, & ad unum referatur, nullam aut oculis aut animo rerum confuſionem parit.

Quod ſi multas diverſaſque Figuras in Symbolo componere placuerit, cavendum eſt, ut ad unam eandemque actionem omnes pertineant; aut potiùs una ſit Figura primaria à qua reliquæ dependeant. Ita Rupes in Mari ventis ac fluctibus quaſſata: Ferrum incudi impoſitum cum cæteris ferrariæ artis inſtrumentis, quia Figurarum multiplicitas ac diverſitas eodem ſpectant, nihil vitioſum aut contra præſcriptas Symbolorum leges admiſſum præſeferunt.

Quòd autem Scuti aream, in qua pingitur Symbolum, attinet, nihil pingi in ea debet præter ipſum Corpus, ne ſit quidquam, quod aliò rapiat oculos vel animum. Tamen uſus invaluit, ut ſub eo aſpectu, quo cerni Corpora ſolent, ſub eodem in Symbolo ſubjiciantur. Ut ſi aut Flumen, aut Volucrem, aut Florem exhibueris, liceat cœlum & terram tanquam adjuncta neceſſaria depingere, ſin verò Speculum, vel Horologium, vel aliud Arte factum repræſentes, id intra domus penetralia cernendum proponas. Scutum verò, in quo Symbolum pingitur, variis decorare ornamentis poteris, ſi modò Figuram ipſam Symbolicam illa nec deterant, nec obſcurent.

CAPUT III.

De anima Symboli, ſeu de Verbo. Quæ ſint Verbi Symbolici leges.

Articulus Primus.

Lex prima.

Anima convenire Corpori debet & ſoli.

Lex illa Symbolici Verbi prima, ut Figuræ accommodari poſſit. Nam cùm ambo ſint nata, ut ea properatione, qua materia & forma, ad unum quiddam efficiendum concurrant; neceſſe eſt eam eſſe inter utramque habitudinem, quæ materiam inter & formam reperitur. Hæc autem habitudo prætereà poſtulat, ut Verbum Symbolico Corpori, cujus Anima eſt, ita conveniat, ut alteri pariter rei in eodem ſenſu attribui non poſſit. Sit exemplum illius convenientiæ, Mare Lunæ ſubjectum, Ut variat, moveor.

Ferrum candens impoſitum incudi, Se non arde, non si piega, *Si non ardet non flectitur.*

Hæc enim Verba ſuorum Corporum ita propria ſunt, ut ad alia tranſlata ſenſum eundem efficere non poſſint. Scilicet Mare variis agitari motibus pro vario Lunæ incumbentis aſpectu. Ferrum molliri non poſſe, niſi candens è fornace prodeat.

Hujus legis vitio, Verba illa ſerpenti addita Loco et tempore, pro Eduardo Rege Luſitaniæ, & illa Accipitri ſubjecta, Natura dictante, vitioſa ſunt, quia aliis animalibus in eodem ſenſu accommodari poſſent.

Ar-

Articulus II.

Lex ſecunda.

Verba exprimere non debent quod in Figura cernitur.

Lex hæc ſecunda, ut Verbum non exprimat quod in ipſa Figura cernitur, & quod ſine illius ope pronum eſt intelligere. Nam propterea Figura Verbo inſcribitur, ut innuat, quod Figura non ſignificat, aut certè non tam obvium eſt ſine Verbo cognoſcere. Quare vitium eſt in Anima, cùm Figuram appellat quæ fingitur. Hinc meritò reprehenſum eſt Verbum illud Juncis in agitato ſtagno poſitis ſubſcriptum, FLECTIMUR, NON FRANGIMUR UNDIS.

Redundat enim extrema vocula, *undis*, quia pinguntur in ipſo Corpore. Hoc ſibi ſumpſerant Symbolum Colonnæ, cùm ſub Alexandro VI. coacti Romam linquere, ſignificare vellent, ſe difficillimis temporibus cedere, non iiſdem opprimi.

Idem ſentiendum de Symbolo Ludovici Luxemburgi, qui ut ſignificaret, depulſurum ſe cum laude inſidiam, quam in ipſum malevoli conflaverant, poſtquam ejus pater Comes Stabuli truncatus capite fuiſſet, Solem inter nubila depinxerat, his additis vocibus, OBSTANTIA NUBILA SOLVET.

Superflua enim eſt vox iſta, *nubila*, quæ pariter in corpore depinguntur.

Quanquam ſi Verbum cadat tantùm in partem Corporis, pars illa debet appellari; alioquin Symbolum obſcuritate laboraret, ut obſervari poteſt in hoc Verbo, FERT NEC MATURAM CORONAM.

Pro Malo Granato adhuc viridi nec maturo, quo Puella Princeps deſignabatur ante rationis uſum regnum adepta.

Articulus III.

Lex tertia.

Verba efficere non debent ſenſum completum ac perfectum.

Lex illa Symbolici Verbi Tertia, ut ſenſum completum ac perfectum non efficiat, hoc eſt id dicere totum non debet, quod in Figura cernitur. Nam cùm Verbum pars ſit Symboli imperfecta ex ſe ſe, non debet ſeorſim ſumptum tantum ſignificare, quantùm Figuræ junctum ſignificat, quod idem de Figura ſeorſim ſumpta pronunciandum eſt, ſed plena ac perfecta ſignificatio ex utriuſque unione exurgit, quam Verbum ſolum habere ſine vitio non poteſt.

Hoc planum facient Verba ſequentia Serpenti ſe ſe in orbem plicanti ſubjecta, AD ME REDEO. Nativus Symboli ſenſus eſt, redire ſerpentem ad ſe ſe, dum ſe colligit in gyrum, caudamque capiti jungit. At perfectum illum ſenſum Verba ſola non habent, niſi Figuræ aſpectu adjuventur. In quo Symbolum diſtinguitur ab Emblemate, quod totum nihilo plus, quàm appoſita Figuræ Verba ſeorſim ſumpta, aut Figura ipſa ſine Verbis ſignificat: ut facilè intelligere eſt ex gemino iſto Emblemate; altero, in quo Virtus Fortunam vinciens depingitur cum iſto Lemmate, VIRTUS FORTUNAM PREMIT. Altero, quod Scævolam repræſentat manum dexteram exurentem cum hac Epigraphe, AGERE ET PATI FORTIA ROMANUM EST.

Ergo ſuſpenſum habeant ſenſum oportet Verba Symboli, & aliquid ſupplendum legentibus relinquant, ut ad regulas exacta cenſeantur. Verbi gra-

gratia, SI TANGAR, pro Sclopeto, cujus rota ſit ad vibrandam glandem circumacta, UT VIVAM, pro Phœnice jam ſemiuſto, NE FA FEDE IL PIANTO, *fidem faciunt lachrymæ*, pro Cucumella ad diſtillandum comparata. Hinc Animæ verbum ſubticetur nonnunquam, ut in Symbolo Ludovici XII. Hiſtricem præferente, COMINUS ET EMINUS, ubi Verbum *feris*, ſupprimitur. Iſtæ enim ſententiolæ ſic abruptæ majorem habent gratiam, non ſolùm quia ſunt breviores, ſed quia, quod inprimis jucundum eſt, ſuppeditant ingenio locum ſupplendi ex ſuo aliquid, quod deeſſe videatur.

ARTICULUS VI.

Lex quarta.

Verbum tam Figuræ, quàm Perſonæ per Figuram adumbratæ convenire debet.

Symbolici Verbi dos hæc præcipua, nihil ut enunciet quod de Figura verum non probetur. Quare vitioſa eſt iſthæc Anima Triremi ſubjecta, COELUM NON ANIMUM MUTAT; neque enim de Triremi, qualis ſumi debet in Corpore Symbolico, verum iſtud invenitur, NON ANIMUM MUTAT. Improbabis pariter quod inſcriptum fuit Lunæ Solis Eclypſim efficienti, ADIMIT QUO INGRATA REFULGET; neque enim poteſt dici de Luna, quod ingrata ſit. Hoc Symbolo expoſtulabat Cardinalis Aſcanius, quod Rodericium Borgiam, quem ad ſummum Pontificatum evexerat, inimicum pateretur. Hoc porro vitium toties in Verbo deprehenderis, quoties aut ſenſum moratum efficiet, aut ſoli Perſonæ per Figuram expreſſæ conveniet. Sint in exemplum quæ ſequuntur.

DOMINE PROBASTI ME, ſubſcriptum Auro per ignem probato. ARDO, Y ADORO, *Uror & adoro*, Thuri in Thuribulo, ET LACHRYMIS MEA VITA VIRET, Amarantho aquis immerſo. Neque enim aut Aurum loquitur, aut Thus adorat, aut Amaranthus lachrymatur.

Neque verò ferendum minùs Verbi vitium eſt, ſi Figuræ ſoli conveniat, & Perſonæ, quæ per Figuram deſignatur, accommodari non poſſit. Fuit ejuſmodi Symbolum Annæ Auſtriacæ, quæ, proficiſcente ad bellum contra Rebelles Ludovico Juſto, Solarium adoptaverat ſubjectum Soli Nubibus cooperto, cum hac Epigraphe, MIHI TOLLUNT NUBILA SOLEM. Quæ Verba Solario quidem conveniunt, ut obvius Verborum ſenſus ſatis declarat; eadem non exprimebant privandam eſſe Reginam præſentia Regis, niſi priùs attenderes Reginam Solario, turbas ac tumultus Nubibus, Regem Sole deſignari.

Eadem eſt ratio cur Mareſcalli de Baſſompiere Symbolum reprehendas, qui ſignificare cum vellet præſtare ſe vel clariſſimis quibuſque temporis ſui viris, Pharum in litore poſitum & radiantibus ſtellis ſubjectum aſſumpſerat cum hoc Lemmate, QUOD NEQUEUNT TOT SYDERA, PRÆSTAT. Neque enim vox illa, *Sydera*, conveniebat in proprio ſenſu viris illis, quibus Mareſcallus ſe præferebat.

Hanc porro legem non infirmant quædam Symbola, quæ univerſim placuere, quamvis Anima uni Corpori eſſet mancipata. Eo de genere ſunt Aquila fulmen portans, QUO JUSSA JOVIS, pro Duce de Sully ſupremo Rei Tormentariæ Præfecto. Imber aureus è nube decidens FULMINIBUS DUM PARCIT JUPI-

Digitized by Google

TER, pro Rege cùm ab Anglis Dunkercam auro coemeret. Sol vapores evehens. IN ROREM AC FULMINA pro eodem Rege utente vectigalibus, cùm ad remunerandas res à ſuis præclarè geſtas, tum ad bellum hoſtibus inferendum. Examen apum, SPONTE FAVOS, ÆGRE SPICULA, pro Urbano VIII. ſummo Pontifice, quo ſignificabatur, ipſum bene mereri ultro de omnibus, neminem, niſi coactus eſſet, anathemate percellere. Malus Punica flores ferens ac fructus, MISCENS AUTUMNI ET VERIS HONORES, pro Præſide Memmio cujus ſenectus plena maturitate ac gratia laudabatur. Sunt enim illi felices quidam ingenii partus, qui ſuperiores regulis ac præceptis, fulgore ſuo vel ab invitis admirationem extorquent.

Solem unum à communi regula poſſis excipere, quando per eum Ludovicus Magnus adumbrabatur. Nam cùm ſydus illud pro ſymbolo jampridem ſibi quodammodo mancipatum Rex invictiſſimus haberet, nemo eſt, qui ad Solis appellationem Ludovicum deſignari non ſentiat. Hinc vitioſa deinceps videri non debeat appellatio Solis, modò, cùm locum habet in verbo, non in ipſa figura pingatur. Hinc legitimum eſt illud ſymbolum, Serpens varios in orbes replicatus, UT SE SOLI EXPLICET UNI, pro fideli Miniſtro, qui Regi ſe uni aperiret.

Item, UNO SOLE MINOR, Lunæ ſubſcriptum, pro Fratre Regis Unico.

Ergo ut accuratum ſit Symbolum, requiritur, ut ambiguis & æquivocis vocibus Anima concepta ſit, quæ tam Corpori, quàm Perſonæ per Corpus ſignificatæ conveniant. Eſt enim Anima veluti utriuſque nexus, qua fit, ut, prolatis vocibus, tam obvius, quàm occultus ſenſus ſtatim menti ſe offerat. Obvium dico ſenſum, qui in Corpus cadit; occultum, qui in Perſonam. Hoc licebit in ſequenti ſymbolo animadvertere. Flamma pingitur, cui ſubjicitur hæc Anima, NUNQUAM DEORSUM. Senſus obvius is eſt, Flammam ferri ſurſum ſemper, nunquam deorſum. Senſus occultus, Perſonam illam, quam deſignat Flamma, non teneri rebus terrenis, ſed ad cœleſtes ſemper aſſurgere. Adeoque quoties Anima, ſeu Verbum tam Figuræ quàm Perſonæ convenit, toties mens, intellecta Metaphora, utrumque ſenſum pervidet, cùm Figuræ, tum Perſonæ ſubjectum.

Idem ſentiendum de verſibus, qui ad explicationem ſymboli nonnunquam adhibentur, in quibus nihil eſſe debet, quod Figuræ pariter ac Perſonæ accommodari non poſſit. Exemplo ſit iſtud ſymbolum Regem beneficum adumbrans, Sol, cum hoc Lemmate, NON MIHI, SED MUNDO. Ut Verbum Soli pariter ac Regi, ſic & ſequentes verſus utrique pariter conveniunt.

Solus ego populos æquali tempero lege;
Uſque meos ſequitur pompa ſuperba gradus.
At quocumque ferar, quæ circumfulget euntem,
NON MIHI SED MUNDO pompa ſuperba micat.

Aliud ſymbolum ſubjicio Hominem adumbrans, qui ſe Principum obſequio devovet. Bombix ſtamen ordiens cum hac Epigraphe. MIHI VINCULA NECTO.

Vivere dum poſſim curæque experſque laboris,
Quem Procerum ſibi gens ambitioſa petit,
Omne meum tempus, Magniſque impendo laborem:
Nec ſatis eſt, ultro VINCULA NECTO MIHI.

Hæc autem ambiguitas verborum non eſt ſic accipienda, ut in unam vocem cadat, quæ geminum ſenſum pa-

patiatur. Quale fuit Henrici II. Symbolum, Luna creſcens cum hoc Lemmate, DONEC TOTUM IMPLEAT ORBEM, quod dictum de Luna, intelligebatur ille circulus, quem Luna creſcendo implet lumine; de Henrico pronunciatum, ſignificabat mundum ipſum, quem rerum ſuarum gloria implere Henricus cogitabat.

Aut illud Philippi II. Hiſpaniarum Regis, acer Equus vallum tranſiliens, NON SUFFICIT ORBIS, ubi vox, *Orbis*, æquivocè pariter de Equo & de Philippo dicitur. Aut pubeſcens Laurus inter alias jam adultas, cui Marchio de Lauriere de Pompadour, cùm ad primam expeditionem bellicam pergeret, ſubſcripſerat, MAJORES DONEC SUPEREM, nam vox, *Majores*, hinc Lauros, inde Juvenis nobiliſſimi avos ſignificabat.

Hæc enim ambiguitas etſi non eſt damnanda ſemper in Symbolis, quibus ſuam aliquando affert gratiam, alia eſt tamen ab ea, de qua loquimur, per quam verba eadem Figuræ ac Perſonæ communia utrique eodem tempore conveniunt, ut DEORSUM NUNQUAM, COMINUS ET EMINUS.

Hoc etiam diligenter obſervandum, ut expreſſum in *Verbo*, genus perſonæ, de qua dicitur, conveniat; quare NON INFERIORA SECUTUS, ſubſcriptum Heliotropio Verbum, pro Margarita Valeſia, vitioſum eſt; vox enim illa *ſecutus*, quæ maſculini generis eſt, fœminæ non congruit. Quemadmodum vitio non caret, INCLINATA RESURGO, ſubſcriptum Palmæ; quia vox *inclinata*, quæ fœminini generis eſt, non congruebat viro, de quo illa dicebatur.

Cavendum etiam inprimis ne verbum ſit Metaphoricum, neque enim in ſenſu proprio Figuræ conveniret; quæ, cùm ex natura ſua ſit Metaphora, tunc Metaphoram per aliam Metaphoram explicares, quod obſcuritatem pareret. Tale eſt Verbum illud Roſæ additum, TUTTA FIAMMA, TUTTA STRALI, *Tota flamma, tota ſpicula*. Neque enim flamma in ſenſu proprio Roſæ convenit.

Quòd ſi Verbum metaphoricum ex ſe ſe, per uſum evaſerit proprium, qualia ſunt in unoquoque idiomate non pauca, tunc eo licebit uti. Quare rectè dixeris de acu Nautica, quod cæteras inter ſtellas unam aſpiciat, *Aſpicit unam*, uſus enim invaluit, ut verbum *Aſpicio*, ſignificationem propriam ſortiretur.

ARTICULUS V.

Lex Quinta.

Verbum debet eſſe breve.

Laus illa Verbi non minima, ſi breve ſit, hoc eſt pauculis vocibus contentum. Atque hinc voces illæ, ex quibus Symboli Anima conflatur, ſimplicis Verbi appellationem traxere.

Hæc tamen brevitas non eſt ſic intelligenda, quaſi perfectiſſima illa Anima ſit, quæ voculam unicam non excedat, qualis eſt illa *laceſſitus*, Cygno Aquilam ſternenti adjecta, pro Hercule Gonzaga; vel altera *reſurgam*, depreſſæ Arundini appoſita, pro viro forti rebus adverſis conflictato. Etſi enim virtus eſt, grande aliquid vocabulo poſſe complecti; tamen numeroſa eſſe Oratio non poteſt, quæ plures voces excludat. Igitur Symbolici verbi brevitas duabus aut tribus voculis vulgò circumſcribitur; qualia ſunt iſta, MORIENDO CORUSCAT, extremæ Facei, COELESTES SEQUITUR MOTUS, Heliotropio, PER VULNERA CRESCAM deciſæ Salici ſubjecta.

Imò non peccatur contra Verbi bre-

brevitatem, ſi Verbum quatuor ac quinque voces non excedat, aut etiam verſus magnitudinem, modo Italico verſu conceptum ſit.

Articulus VI.

An verbum formam Verſus habere debeat, & ex vetere Poeta eſſe depromptum.

Multam quidem habet gratiam Latinum Hemiſtichium, ſive primum ſit, ſive ultimum; ut *Cœleſtes ſequitur motus*, aut, *Per vulnera creſcam*. At Verbum, quod Proſaicum eſt, ſuo lepore non caret, quale eſt illud, quod laudatum eſt, *cominus & eminus*.

Verùm ſi verſus eſt, perfectum eum eſſe oportet, nihil enim tam ingratum accidit auribus, quàm numerus hians & inconcinnus, qualis ille pro Luna, quæ corporis ſui interjectu ſolem obſcurat, ADIMIT QUO IPSA REFULGET, vel ille, pro Muſcis ſpeculo inſidentibus, SCABRIS TENACIUS HÆRENT. Quare ut non infringi verſus debet, unde Verbum componitur, ſic nec obvius numerus negligi. Adeoque quod Bocharti ſupremi Ærarii Præfecti Symbolum fuit, Canis auceps deprehenſis perdicibus incubans, nec in eaſdem inſiliens cum hac Anima, INVENTIS FIDUS ABSTINET, accuratiùs dictum videretur ad ſervandum numerum, ABSTINET INVENTIS FIDUS, aut ſimpliciùs, ABSTINET INVENTIS. Ita pariter verbum iſtud, IN TENEBRIS CLARIOR, Lunæ ſubjectum, non tam bene ſonat, quàm ſi, ſectando numerum, diceres, CLARIOR IN TENEBRIS.

An verò Verbum, quod à priſcis ſcriptoribus mutuatus fueris plus habeat amœnitatis ac gratiæ, quàm quod ipſe proprio marte confinxeris, meritò dubites. Pariunt quidem admirationem iſthæc antiquitatis monumenta, maximè cùm in alio ſenſu, quàm ſunt ab ipſis auctoribus uſurpata, Symbolo applicantur. Ut ſi verbi gratia, quod de Fama pronuntiat Virgilius *Mobilitate viget vireſque acquirit eundo*, pars prior illius verſiculi, MOBILITATE VIGET, ad Horologium transferatur; pars poſterior, VIRES ACQUIRIT EUNDO, dicatur de Flumine.

Tamen quod ipſe cuderis feliciter & ingenioſè, non minoris faciendum videri poſſit: neque video, cur ſibi non tam placeat, qui igniario globo in aere diſſilienti ſubſcripſit, ALTER POST FULMINA TERROR, quàm ſi voces illas veteri Poetæ debuiſſet.

Articulus VII.

Qua Lingua Verbum Symboli efferri debeat.

Reſtare videtur id unum de Verbo Symboli excutiendum, qua exprimi Lingua debeat.

Primò. Excluduntur Germanica, Polonica, Anglica, Hebræa, & aliæ Orientales Linguæ, tanquam aut duriores aut minùs notæ.

Secundò. Vernacula Lingua non eſt tam in uſu etiam apud nos, etſi ſuo lepore non caret, & Symbola occurrunt non pauca Gallico idiomate feliciter expreſſa. Exemplo ſit iſtud Symbolum, quod par amicorum nobile, qui ab invicem avulſi ſibi vivere non poſſe videbantur, aſſumpſerant Serpentem in duas partes diviſum, cum hoc Lemmate, SE REJOINDRE OU MOURIR. Teſtatur enim Plinius ſectum Serpentem, ſi partes ſtatim conjungantur, illis denuo coeuntibus, poſſe vivere; ſecus non multò poſt emori.

Cau-

Cauſa verò propter quam Galli ipſi patriam Linguam neglexerint, afferri hæc poteſt, vel quòd peregrinis in Linguis plus ſalis ac gratiæ ad felices illos ingenii partus exprimendos eſſe putaverint; vel quòd rem Symbolicam, opus ingenioſorum hominum ſenſerint non eſſe vulgari ſermone populo communicandam.

Tertiò. Receptus apud omnes uſus eſt, ut vel Latinè, vel Italicè, vel Hiſpanicè Symbola efferantur. Tamen invenias quædam Symbola quibus Græca ſententia appoſita ſit. Teſtis Neapolitana Academia, quæ Parthenii nomen ferebat, cui fuit hoc Symbolum, planta, quæ Caſtus Agnus dicitur, cum iſto Lemmate Βλαψιφοώτερον διώκει, *nocitura fugat*. Quod æquiùs feras à doctiſſimis viris fuiſſe uſurpatum, quàm à fœmina. Hoc enim fuit Catharinæ Medicææ Symbolum, quo ſignificabat, ſe quocumque ferre tranquillitatem ac lucem. Iris, cui ſubjecta erat Græca hæc Epigraphe: Φῶς φέρει ἠδὲ γαλήνην. *Lumen fert & tranquillitatem*. Neque enim credibile tantam eſſe in fœmina Principe eruditionem, ut Lingua Græca uti poſſit; nam licet quæ vulgantur Fœminarum in laudem Symbola, hæc ab ipſis inventa non cenſeantur; tamen quæ ſibi vindicant tanquam ſua, ſic enunciari convenit, ut eorum auctores extitiſſe videri poſſint.

Denique quacumque Lingua Verba Symboli efferantur, de Figura enunciari debent in tertia perſona, aut in prima à Perſona pronunciari, quaſi ipſa loqueretur. Ergo qui fartæ nitrato pulvere Bolidi Animam Italica Lingua conceptam voluerit ſubjicere, dicat, oportet. ARDENDO M'INALZO, vel, ARDENDO S'INALZA. *Cùm uror elevor*, vel, *cùm uritur, erigitur*.

CAPUT III.

De varia Symbolorum ſpecie.

Varia Symbolorum ſpecies petitur ab argumenti varietate, circa quod Symbola verſantur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Symbolis Heroicis.

Primum inter cætera locum obtinent, quæ Heroica vocantur; quia Symbola ab Heroibus inventa ſunt. Unde quidam non ſcitè minùs quàm verè Symbolum appellavit *Linguaggio de gli Eroi*, *Herorum Lingua*, quaſi ad Heroas ſolos pertineret hanc loquendi rationem uſurpare.

Referuntur autem ad Heroica, Militares expeditiones, illuſtria facinora, virtutes doteſque eximiæ Regum ac Principum, & clariſſimorum in unoquoque genere virorum rectè-facta: neque enim Heroica virtus ſola armorum gloriâ continetur. Pauca de multis ſubjiciemus.

Selimus Turcarum Imperator, cùm ad bellicam eamque magni momenti expeditionem ſe accingeret; ſumpſit hoc ſibi Symbolum. Luna creſcens & ad occaſum vergens cum hoc verbo. REDIBO PLENIOR. Innuebat certam ſuſcipiendi operis fiduciam: quo peracto, nova auctus gloria reverteretur.

Joannes Comes Dunenſis, qui reſtitutoris ſalutis publicæ nomen in Gallia meritus eſt, Laurum habuit ſub procelloſo ac fulminante Cœlo poſitum, cum hac Anima. SOLUM NATALE TUETUR. Laurus, quam fulmen nunquam ferire vulgo dicitur, terram illam pariter, in qua ſata eſt, à fulmine defendit: ita Comes Dunenſis perpetua rerum geſtarum glo-

gloria patriam ab Anglorum dominatu defendit.

Pro Simone Comite Monfortio, qui Dei & Eccleſiæ jura contra Albigenſes hæreticos tuendo ad Toloſam interfectus eſt, pictus fuit fumus incenſi thuris prodiens è thuribulo cum hoc Lemmate PEREUNDO NUMEN HONORAT.

Falco fœmina, quæ maribus fortior ac generoſior eſſe dicitur, cum hac Epigraphe. MARES HÆC FOEMINA VINCIT. Pro puella Aurelianenſi, quæ viros ſui temporis fortitudine ſuperavit.

Bolis igniaria in aere diſſiliens cum hac voce. ALTER POST FULMINA TERROR. Pro Philippo unico Regis Fratre, quem Symbolum illud fortiſſimum omnium à Rege deſignabat.

Comes de S. Paul, cùm ad bellum pergeret, hoc aſſumpſerat Legionis illius quam regebat Symbolum. Sol in ortu diſcutiens nubes NECDUM OMNIS SESE EXPLICAT ARDOR. Innuebat ſcilicet deſiderium gloriæ, quo flagrabat, magis ac magis eſſe inflammandum.

Idem in occaſione ſimili ſignificare volebat Comes Pleſſæus, qui pro Symbolo ſumpſerat, Tubulum miſſilem nitrato fartum pulvere, dum in auras aſſurgit cum hoc verbo. ARDOREM LUX MAGNA SEQUETUR.

Quæ ſequuntur, etſi non ſunt ejuſdem omnino generis, tamen inter Heroica recenſentur.

Leo Otioſus cum hoc verbo, ETDUM TENET OTIA, TERRET, ad ſignificandum Regem invictiſſimum tam in pace, quàm in bello eſſe metuendum.

Nubes ex parte fulgurans, unde copioſus imber depluit, cum hac ſententia, DITAT QUOS TERRUIT, ad ſignificandam Regis optimi in Ducem Lotharingium munificentiam poſt expeditionem bellicam Anni 1663.

Malum granatum cum ſententia Hiſpanica MI PRECIO NON ES DE MI CORONA. *Meum pretium non venit ex mea corona*. Quo egregiæ Annæ Auſtriacæ virtutes deſignabantur.

Pax conſecuta Ludovici Magni, & Mariæ Tereſæ nuptias gemino hoc Symbolo adumbrata. Aquila in aere ſereno volitans. NEC JAM SUA FULMINA CURAT. Luna oriens, AFFERT CUM LUCE QUIETEM. Primum ſignificabat Regem in medio victoriarum curſu poſuiſſe arma, ut quieti tantiſper indulgeret, Alterum, Reginam multo cum ſplendore beatam Galliæ pacem attuliſſe.

Columna plano impoſita cum ſubjecto vocabulo. MI DERECHURA ME SUSTENTA. Nulla eſt vox ſubſtantiva aut Latina, aut Gallica, quæ Hiſpanicæ reſpondeat & ſenſum tam proprium quam metaphoricum patiatur. Anchora in litore Maris poſita. IN SOLIDO TANTUM HÆRET. Quo utroque deſignabatur celeberrimi Magiſtratus cùm integritas, tum firmitas.

Serpens Pomis aureis Heſperidum in horto appoſitus. PRÆDONIBUS ASPER. Exhibuit egregium Publicæ rei Adminiſtrum, cujus ſpectata fuit in Publicanos ſeveritas. Quod Symbolum tantò perfectius videri debet, quòd Corpus ex ſcutaria ejus teſſera erat aſſumptum.

Ejuſdem in educanda ſobole ſollicitudinem adumbravit Sol in ſolatio horas indicans cum hoc Lemmate. MEQUE REGIT DUM DIRIGIT ORBEM.

Fuit & hoc eximium pro D. de Bailleul ſupremo Ærarii Regii Præfecto Symbolum, ſol vapores evehens. COLLIGIT UT SPARGAT.

Nec

Nec prætereundum Symbolum Memmii olim infulati Præſidis, quem habet Avum ille, qui nuper Senatus Principis cum omnium laude locum & partes implebat, Luna Creſcens & inſidens mari, quæ in ejuſdem ſcuto gentilitio cernitur. SEDATQUE CIETQUE. Quo demonſtrabatur, quanta eſſet in regendis inclinandiſque animis illius auctoritas atque dexteritas.

Fuit illud quoque Mareſcalli Villaregii, qui juventuti Ludovici Magni moderator exſtitit, inſigne Symbolum, Clavicula rotati horologii cum hoc verbo, QUO REGIMUR, REXIT.

Huc etiam referr illa Symbola quæ Chriſtum Dominum & B. Virginem repreſentant. Sol eclipſim patiens cum his verbis, LANGUET ET URIT. Pro Chriſto in Cruce patiente.

Arbor inciſa ſtillans balſamum pro eodem. VULNEROR UT SANEM.

Pro B. Virgine. Margarita ſolaribus radiis expoſita. PARIO COELESTI E SEMINE.

Pro eadem, Malus Punica floribus & fructibus onuſta, FLOREM NON ADIMUNT FRUCTUS.

Et illuſtrium Fœminarum Symbola Heroicis Symbolis annumeranda. Ita ſpectata Fœminæ Principis pietas per Stellam Firmamenti deſignata cum hac voce. COELO HÆRET, TERRIS LUCET.

Alterius virtus ſingularis per Cometam. APENAS UNA EN UN SIGLO. *Vix una toto in ſeculo.*

Pietas atque charitas alterius, quæ religioſo in ſeceſſu decorandis aris & ſublevandis ægris vacabat, per Apem cui ſubjectum hoc verbum. ARIS ÆGRISQUE LABORO.

Addam & pauca alia eaque illuſtria Symbola, quæ fœminæ cujuſpiam in laudem facta ſunt, quam amœniſſimum ingenium, pudor ingenuus, & virtus inter graviſſimas ægritudines ſpectata apud cordatiſſimos & politioris ingenii viros commendabat. Sol Eclypſim patiens. E PUR LE OSCURA TUTTE. *Vel cum langueo, cunctas obſcuro.* Vividum ejus in languore perpetuo ingenium declarabat. Idem ſignificabat Bilanx, depreſſa altera Lance, altera dum aſſurgeret. HINC DEPRIMOR, ERIGOR ILLINC. Suæ ipſamet voluntatis cum divina conſenſionem exprimebat Fonte, in quem lapis incidens agit circulos cum hac Epigraphe. FERISCA PURCHE CORONI. *Feriat dum coronet.* Eadem ſe ipſam pinxit ad vivum, mutuata à ſuo nomine corpus Symboli. Vitis erat ſcilicet, ſubjecto hoc vocabulo. ARDOR TEMO E GIELO ME OFFENDE. *Calorem metuo, mihi frigus nocet.* Quiſpiam alius ut oſtenderet, quàm invictum eadem præſeferret infractis ac deficientibus corporis viribus animum Navim pinxerat fractam tempeſtate ac laceram, quam ſoli venti regerent, & hanc vocem addiderat. SOLUSQUE REGIT ME SPIRITUS.

ARTICULUS II.

Alia Symbolorum Heroicorum ſpecies.

Alia eſt Symbolorum Heroicorum ſpecies, quæ ad honeſtos animi affectus pertinent, in iiſque exprimendis verſantur. Honeſtos dico, quia nihil Symbolum patitur, quod inhoneſtum ſit & illicitum. Sint in exemplum quæ ſequuntur Symbola.

Nubes ignea ab occidente Sole. cum hac vocula ARDET AB EXTINCTO. Symbolum fuit Felicis ab Urſinis Ducillæ Momorantiæ, quo ſuam in extinctum maritum fidem, ſuum amorem demonſtrabat.

Acerra fumans. DUM PLACEAM

PEREAM. Amici fidelis ac generoſi Symbolum pro amico ſe ſe cuicumque periculo devoventis.

Geminum ſpeculum cum hoc Lemmate. L'UN' NEL ALTRO PIU' CH' IN SE STESSO. *Alter in altero magis quam in ſeipſo*. Par amicorum nobile ſignificat.

Palma mas Palmæ fœminæ proximus. CASU PENDEMUS AB UNO. Pro felici conjugio. Utriuſque enim Palmæ fatum eſſe dicitur, ut altero moriente altera non ita multo poſt intereat.

Flos Heliotropium ad occidentem Solem converſus. BENCHE' ALTROVE SI VOLGA. *Vel ſi aliò ſe vertat*. Quo profitebatur vir primariæ dignitatis conſtantem ſe in amando fore, licet illa, quam amabat, ſe ad alienos amores converteret.

Manus geminæ quæ nodum ſtringunt à duobus extremis. EN S'ELOIGNANT ELLES SE SERRENT. Hoc Symbolo ſuum utrinque deſiderium ſignificabant Margarita & Adelais ſorores à Sabaudia Principes, dum ab invicem avellerentur.

Serpens in geminas partes ſectus. NEC MORS, NEC VITA RELICTA. Symbolum fuit viri Principis extinctam conjugem requirentis.

Heliotropium inclinato capite Soli ſubjectum. HASTA LA MUERTE. *Uſque ad mortem*. Aſſumpſerat hoc ſibi Symbolum vir illuſtriſſimus morti proximus, quo conſtantem ad extremum uſque ſpiritum amorem ſuum fore amico cuipiam ſuo teſtaretur.

ARTICULUS III.

Tertia Symbolorum Heroicorum ſpecies. Morata & Politica.

Tertia illa Symbolorum ſpecies habet aliquam cum Emblematis affinitatem; ſententiis enim quibuſdam ac documentis continentur, quæ neminem ſingillatim, ſed omnes generatim & universè reſpiciunt.

Morata porro dicuntur illa, quæ mores informant, & rectum vivendi modum continent.

Politica regnandi documenta complectuntur, quidquid ad inſtitutionem Principum & legitimam publicæ adminiſtrationis formam pertinent. Pauca utriuſque generis Symbola ſubjicio.

Horologium rotatum cum his vocabulis. EX PONDERE MOTUS. Significat amorem eſſe pondus, quo movetur anima & inclinatur.

Elementum ignis hac ſubſcriptum vocula. ÆTERNO, PERCHE PURO. *Æternus, quia purus*. Demonſtrat ſolis amicitiis, quæ puræ ſunt, contingere, ut perpetuitate gaudeant.

Sol cum hoc verbo, UT PRÆSIT ET PROSIT. Aut cum altero, NON SIBI, SED MUNDO. Admonet viros Principes, ut dominatum ſuum ex populorum utilitate metiantur.

Pyxis nautica cum hoc Lemmate. NON REGO, NI REGAR. Docet Prudentiam ac Religionem eſſe optima moderandi Regni Principia.

Index Horologii cum hac Epigraphe. MOTIBUS ARCANIS. Obſcura quidem eſſe non poſſunt Regnantum facta; at momenta, quibus aguntur, latere debent.

Arx in medio mari poſita; cum hoc verbo. ME COMBATTEN Y ME DEFFIENDEN. *Oppugnant me, & me defendunt*. Significat externa bella Imperiorum incolumitati non parum prodeſſe.

Emiſſa ſagitta, RECTA ET CITO. Demonſtrat in agendis rebus deliberandum non eſſe, ubi maturato eſt opus.

Nihil vetat tamen, quin in tractan-

dis

dis negotiis gravibus ac periculoſis circuitio interdum neceſſaria ſit. Hoc exhibet Fluvius per varios circuitus ad mare profluens cum iſto vocabulo. OBLIQUUS, NON DEVIUS.

ARTICULUS IV.

Quarta Symbolum Heroïcorum ſpecies Symbola Chriſtiana.

Chriſtiana Symbola novam Symbolorum ſpeciem ſufficiunt. Hæc fidei noſtræ myſteria & ſacra Religionis documenta repræſentant.

Sol, ſubjecta hac vocula, NI ASPICIAT NON ASPICITUR, Horologium ſolarium. NONNISI COELESTI RADIO. Significant hæc duo Symbola non perveniri ad cognitionem Dei, niſi per aſpirantem gratiam, nec fieri à nobis quidam poſſe quod bonum ſit, niſi Cœleſti lumine illuſtremur.

Vitis referta fructibus, cui vox illa ſubjicitur. DOPO LE LAGRIME I FRUTTI. *Poſt lacrymas fructus*. Oſtendit Cœleſtes gratiarum ac gloriæ fructus ex lacrymis, quas elicit Pœnitentia, provenire.

Unio concha incluſus. ME DURA JUVANT. Docet ſuſceptas ultrò afflictationes corporis illæſum pudicitiæ ſplendorem præſtare.

Vexillum quà quà lacerum. QUANTO LACERA PIU', TANTO PIU' BELLA. *Quanto lacerum magis, tanto pulcrius*. Paupertatis Evangelicæ pulcritudinem exhibet.

Prælum Typographicum FINGITQUE PREMENDO. Demonſtrat Animam Chriſtianam moleſtiis & anguſtiis informari.

ARTICULUS V.

An Jocularia, & Satirica locum in Symbolis habeant.

Satirica & Jocularia Symbola ſunt ea, quæ vitia exhibent & in eadem vel Satiram vel jocos acuunt. Negant quidam illis inter Symbola locum, putantque infamari artem heroicam, ſi Satiram aut lepidos ſales admittat. Equidem nemini auctor eſſe velim, ut nato cudenda Symbola ingenio vel ad maledicendum, vel ad jocandum abutatur: Neque enim id magis licitum debet videri, quam maledicis Libellis aut plenis ſale atque aceto verſibus quemquam provocare. Hoc etiam dabimus illis, qui tam immiſericorditer ateant à Symbolis ſatiram & jocos; non eſſe ejuſmodi Symbola cum Heroicis confundenda, quæ in alieno prorſus & multùm abhorrente argumento verſantur. Verùm neque etiam tam facilè in eorum ibimus ſententiam, ut arbitremur ejurandum continuò Symbolum, quod ſatiram aut jocum oleat. Nam cum Metaphoræ vitiis pariter ac virtutibus repræſentandis idoneæ ſint, poſſintque cæteris præſtare conditionibus, quas Symboli Leges requirunt, non videtur ratio ſatis legitima, propter quam Satira vel jocus à Symbolis excludantur.

Cæteris invaluit uſus, ut ſin minùs honorato in loco ſatirica jocularia que Symbola reponuntur, ſaltem aliquo hoſpitii jure gaudeant. Licebit è ſubſequentibus Symbolis facere conjecturam, quàm non temere ſeveræ nimis quorundam hominum opinioni reclametur.

Aſinus carduos paſcens cum hac Epigraphe. PUNGANT DUM SATURENT. Pro Paraſito, qui convivantium ſannis ac ſalibus aſpergebatur.

Cum Metas ſolvere obſidione coactus fuiſſet Carolus V. Columnis Herculeis, quas aſſumpſerat in Symbolum cum hac jactantiore vocula. *Non plus ultra*, Quidam maligniùs ſatiricum illud oppoſuit. Cancer Marinus cum hoc verbulo. PLUS CITRA.

Pavo cum hoc Lemmate, UT PLACEAT TACEAT. Hominem corpore præſtantem, ineptum in loquendo carpit.

Bilanx, PIEGA ONDE PIÙ RICEVE. *Inclinatur, unde plus recipit*, Judicem muneribus corruptum deſignat. Idem ſignificat Piſcis hamo captus. DUMQUE CAPIT CAPITUR.

Hirudo brachio adhærens cum his verbis. ET, DUM SATIATUR, ADHÆRET. Amicum notat in amicitia colenda ſuis unius commodis ſervientem.

Arbor Caſtanea referta fructibus. VELANTUR MOLLIA DURIS. Eos perſtringit, qui auſteriore cultu molliorem vitam diſſimulant.

Arbor procera hoc ſubſcripta verbo, A VIRGA CREVIT. Cavillatio in Ludimagiſtrum, qui ab ea conditione in magnam fortunam creverat.

CAPUT V. & ultimum.

Quænam conferant ad perfectam Symboli abſolutionem.

NOn ſatis eſt nullum eſſe in Symbolo vitium, nihil quod ad ſeveras Artis illius leges non exactum videatur, ut perfectum continuò & omni ex parte abſolutum pronunciari poſſit. Igitur operæ pretium eſt, ad hujus Libri complementum, ea ſubjicere breviter, quæ plurimùm conferant ad Symboli perfectionem.

ARTICULUS PRIMUS.

Debet eſſe in Symbolo admirabilitas, & unde illa oriatur.

Ac primùm quidem perfectum illud Symbolum non debet videri, quod admirabilitatem non habet. Nomine autem Admirabilitatis aliquid intelligo, non quod ſtatim perſtringat ſenſus aut animum, id ipſum verò cùm revocaveris ad examen, & diligentiùs excuſſeris, mirari tantopere deſinas; ſed quod percellit magis ac magis, & quo penitùs cogitando, intelligendo ſcrutandoque proceſſeris, eo minùs admirari te pigeat: quia res ipſa, quæ objicitur, mirandi cauſas habet, & vel novitate ſua, vel ſplendore veritatis quam parit, vel ſui totius conformatione extorquet admirationem.

Hanc porto admirabilitatem efficit ipſius Metaphoræ perfectio, quæ, quo fuerit vel intentior vel remiſſior, eo plus aut minùs admirabilitatis conferre Symbolo ſoleat. Eſt enim Metaphoræ duplex genus; aliud obvium & intellectu tam facile, ut fugere neminem poſſit; aliud abſtruſum magis ac reconditum, quod niſi meditando non pervideas quidem, idem verò ut ſuis ſpoliarum involucris nudumque menti refulſerit admirationem excitat, & tacitam delectationem parit. Prior Metaphora probabilitatem Symbolis, poſterior perfectionem conciliat.

Sit illud Metaphoræ prioris exemplum Unio. DAT PRETIUM CANDOR. Vel Luna ſuo in cœlo fulgens. NON VULTUS NON COLOR UNUS. Ubi Symboli utriuſque Metaphora pervium ſtatim omnibus ſenſum objicit.

Habes in ſubſequentibus Symbolis Exemplum Metaphoræ poſterioris, quæ

quæ non tam obvium quidem, ſed excellentiorem ſenſum habet.

Arbuſcula propter proceram arborem perflantibus undique ventis quaſſatam. CEDENDO RESISTIT.

Aqua frigida calci vivæ injecta. E FREDDA M'ACCENDE. *Vel frigida me accendit*. Hic autem obſervabis illam Metaphoræ perfectionem exurgere plerumque ex unione cùm rerum duarum, tum duarum vocum, quæ pugnare invicem & habere inter ſe ſocietatem non poſſe videatur; quale eſt *Cedere & Reſiſtere, Frigidum eſſe & accendere*.

Atque ob eam rationem Antitheſis magnam confert Verbo gratiam, ſi feliciter uſurpetur, ut OMNIBUS UNUS, ſubjectum Soli, quem Ludovicus XIV. habebat pro Symbolo. IMMOBILE MUOVE. *Immotus movet*. Subjectum Lapidi Magnetico. PIÙ SEPOLTA PIÙ VIVA. Subjectum Fonti ſalienti.

Imò cum ſimilitudo conjuncta cum Antitheſi reperitur in Verbo, novum addit ipſi leporem, ut MORIOR, DUM ORIOR, de fulgure, SI DEFERAR, EFFERAR de fonte ſalienti. Tamen vitanda eſt inprimis affectatio.

Cæterum admirabilitas illa, quam in Symbolo requirimus, non tantùm veroſimili, quod unum poſtulat Epicum Poema, ſed vero ipſo niti debet; adeo ut, quidquid admirationem facit, verum quacumque ex parte deprehendatur. Rem planam dabit, quod ſubjicio Symbolum.

Ad prædicandam fidelis Miniſtri probitatem, quem Rex ſupremum Ærarii Præfectum elegerat, pictus fuerat Draco cuſtos appoſitus pomis aureis, quæ Heſperidum in horto ſervabatur, cum hac Anima, SERVAT ET ABSTINET. Egregium Corpus id quidem, & illuſtribus concepta verbis Anima, quæ parere admirationem poſſent. At deeſt aliunde veritas, quæ vitioſum quiddam importat. Conſtat enim vero Draconem ſervandis aureis pomis appoſitum vigilantiſſimum fuiſſe cuſtodem, qui mirificè repræſentabat diligentiam illius atque vigilantiam, cui creditum fuerat Ærarium: ſed non eſt verum pariter, quòd abſtinere pomis aureis Draco dicitur; nam abſtinere nemo ea re dici poteſt, qua uti non valeat. Si pomis aureis veſci Draco potuiſſet, par eſſet in utraque voce veritas, *Servat & abſtinet*; quorum alterum cum falſum revincatur, Symbolum totum, quantumvis magnificum videatur, aliqua ſui parte deficit.

Quod Draconi deeſt, hoc Canis Perdices deprehenſas remorans ſibi vindicat. ABSTINET INVENTIS.

ARTICULUS II.

Unde præterea Symboli admirabilitas repetatur.

Oritur etiam admiratio, quoties in corporibus naturalibus ac notioribus Verbum additum Symbolo retegit proprietatem aliquam aut virtutem novam, quam vulgus hominum non deprehenderet; aut ipſi, qui acutiùs vident in rebus, non adverterent ſatis. Neque enim ſine voluptate aliqua & quadam admiratione id percipitur, quod in re vulgari ac nota non fuerat animadverſum priùs & novum quodammodo videri poſſit. Exemplum eſto illud Symbolum, quod olim Regi attributum eſt, cum in Chorea celebri gemmatus totus ſaltaſſet. Habebat pro Corpore Solem, pro Anima verbum hoc Hiſpanicum MAS VIRTUD QUE LUZ. *Plus virtutis quàm Lucis*.

Soli oculi deprehendunt plus eſſe lucis in Sole, quàm cæteris in ſyderibus. Facilè etiam quivis intelligat magnam

Digitized by Google

in Sole eſſe virtutem. Verùm in eodem plus virtutis quàm luminis agnoſcere, res eſt ſubtilioris ingenii. Atque hoc ipſum eſt, quod Symbolo admirationem parit.

Hæc autem Symboli Corporis proprietas debet ita convenire vel perſonæ vel rei, quam repræſentat, ut alteri vel rei vel perſonæ attribui non poſſit, convenientia vero illa quam habere debet proprietas Symbolici corporis cum Perſona repræſentata, & unde vis ac pretium Symboli æſtimatur, non eſt intelligenda ejuſmodi quam habet ver. grat. vir fortis cum Leone, fœmina caſta cum Muſtela Pontica, quo genere convenientiæ carere Symbolum non poteſt ſine graviſſimo vitio; ſed requiritur alia convenientia ſtrictior, quæ à ſingularibus, vel rei vel perſonæ proprietatibus dependeat, & in iis fundetur.

Operæ igitur pretium eſt in faciendo Symbolo diligenter ſcrutari ſingulares illas rei aut perſonæ Proprietates, ut, quantùm fieri poteſt, per ſingulares ipſius corporis proprietates & idoneum verbum adumbrentur. Ex illa enim ſingulari cùm corporis tum perſonæ proprietatum convenientia oritur ſumma Symboli perfectio.

Articulus III.

Quotuplex eſt Perſona proprietas ſingularis.

Multiplex poteſt eſſe ejuſmodi proprietas.

Prima eſt, quæ à nomine perſonæ petitur, quod ſi ingredi naturaliter Symbolum poſſit, mirificam illi confert venuſtatem.

Nobilis Italus; cui nomen erat, *Il ferma fede*, ut ſignificaret arcanos animi ſui receſſus uni apertos eſſe fœminæ, quam amabat, *Luchettam* nomine, aſſumpſerat pro corpore Symboli quoddam feræ genus, quæ non aperitur, niſi concurrentibus certis literis, quæ *Luchetti* ab Italis vocantur. Hanc adjecerat Animam, *Uni patet*. Literæ autem feræ inſcriptæ nomen illud, *Luchetta*, informabant, ſic perſonæ nomen bis in Symbolo deprehendebatur, in corpore ſcilicet Symboli, & in perſona per Symbolum adumbrata.

Significantiùs verò rei vel perſonæ nomini alluditur, cum nomen ipſum in Anima exprimitur, ut videre eſt in iſtis vocibus monti, qui Gelarda Italis dicitur, ſubjectis *Gelat & ardet*.

Nam cum ille mons ſit perpetuis opertus nivibus, & magna vomat flammarum incendia, aptiſſimus eſt ad exprimendos violentæ cupiditatis contrarios effectus.

Sic & Coſma de Medicis in ſuis cum Maria Magdalena Auſtriaca nuptiis, pro Symboli corpore Solem in medio Zodiaci ſumpſerat cum hac anima, quæ Principis nomen referebat. Οὐδέ μοι, ἀλλὰ κόσμῳ.

Altera Proprietas è ſcuto Gentilitio perſonæ ducitur, quod totum, aut pars ejus aliqua, ſi vel Corpus vel Anima Symboli fuerit, idem accuratius reddit ac perfectius. Talis fuit Hiſtrix Ludovici XII. quem præferebat ſcutum Comitatus Bleſenſis, quo uſurario fundo Ludovicus fruebatur, antequam ad Regnum Gallicum perveniret.

Quòd ſi nomen ipſum cum ſcuto Gentilitio ad efficiendum Symbolum concurrerit, creſcit hinc quoque Symboli pretium. Fuit ejuſmodi Symbolum illud, quod pro Hieronymo Colonna Cardinali, qui Eccleſiæ columen & ornamentum habitus eſt. Præferebat enim columnam pro Corpore, pro

Digitized by Google

pro Anima verbum iſtud. FULCIT ET ORNAT.

Simile fuit Cardinalis Creſcentii Symbolum, cujus è ſcuto Petita Luna creſcens, & Sol è ſcuto Sixti V. aſſumptus Corpus conſtituebant his ſubſcriptis vocibus. ASPICE, CRESCAM.

Res etiam geſtæ novas ſufficiunt propietates, quibus aptari Symbolum poteſt. Ita Carolus V. poſtquam ultra Columnas Herculeas in Africam victricibus armis penetraſſet, ſumpſit ſibi pro Symbolo Columnas Herculeas.

Sic & Petrus è Piſcatore factus Chriſti martyr, & Petra firma nuncupatus, quâ Eccleſia tota nititur, feliciter expreſſus fuit per Corallium cui ſubjectum hoc verbulum. INDURABITUR.

Eſt enim natura Coralli mollior, quandiu fundo maris adhæreſcit, ſed extractum ſemel ex aquis dureſcit, & rubrum induit colorem; quæ mirificè adumbrant Petrum, qui, piſcator dum fuit, timidus & imbellis, mutata ſorte, generoſus ac fortis ſic evaſit, ut pro Chriſto ſanguinem funderet.

Plura de Symbolis, qui volet, eos conſulat, qui Artem iſtam penitiùs ſcrutati ſunt. Inter Italos Paulum Jovium, Ferro in Theatro ſuo, Picinelli in Mundo Symbolico. Inter Gallos P. le Moine Societatis Jeſu, atque imprimis Dominicum Buhurſum ex eadem Societate; qui omnium diſertiùs & elegantiùs ſcripſit de Symbolis, & quem in ſcribendo Ducem ſecuti ſumus.

Nos ſatis multa dixiſſe fortaſſe videbimur; ut pœne religio ſit, quæ fecimus olim Symbola, ea in apertum proferre; ne aut in iis legibus quas poſuimus cenſuram inveniant; aut in tanta tot illuſtrium Symbolorum, quæ laudavimus, luce obſcurentur. Verùm ne quid huic opuſculo deſit ab ea, quam hactenus ſecuti ſumus, ſcribendi forma, noſtram qualemcumque in fingendis Symbolis ſolertiam Lectorum judiciis æſtimandam permittemus.

SYMBOLA HEROICA.

LUDOVICO DUCI BORBONIO
Magni Condæi Nepoti cùm adoleſceret.

LEO PARVUS *Magnum Leonem conſpiciens.*

CRESCUNT VIRES ANIMIQUE VIDENDO.

Convalle in media magnum ſi forte Leonem
Armeniis ludens vidit Leo parvus in agris,
Reſtitit; obtutuque oculos dum fixus in uno,
Arrectas cervice jubas, colla ardua frontem,
Fatalemque feris meditantia Lumina pugnam
Miratur, *Creſcunt vires animique videndo*;
Jamque iras acuit, teneros licet exerit ungues,

Im-

Impatienſque moræ juveniles increpat annos.
Sic tibi, Borbonide, claro ſate ſanguine Regum;
Dum Patris, dum fortis Avi decora alta recurſant
Ante oculos; *Creſcunt vires animique videndo,*
Externos aliis ſtimulos ad grandia facta
Sit labor admoviſſe; exempla domeſtica ſurgunt,
Quo te cumque feras, animiſque audacibus implent.
Nam ſeu Veſaliis ejectum è mœnibus hoſtem,
Seu fuſas Nordlingæ acies, ſeu ſtrage recentes
Lentiaca, nec adhuc reſtinctos ſanguine campos,
Strataque corporibus luſtraveris arva Seneffi;
Occurret Condæus ovans, quem Gloria portat;
Cui viridi de fronde premit victoria frontem.
Quid memorem invictum ut proles invicta parentem
Enguineus referat? Victi meminiſtis Iberi!
Vidiſſes, cum prima inter diſcrimina belli
Fulminis in morem, & ferrum lethale coruſcans
Limburgi rueret lucis contemptor in arces.
Vel cum Scipiade non inferiora ſecurus
Dejectum genitorem, & iniqua mole gravatum
Suffoſſi relevaret equi, capitique verendo?
Corporis oppoſitu æratum defenderet imbrem.
Credo equidem, ſi par animis ingentibus ætas
Jam ſineret, tanti properes pars eſſe trimphi,
Victriceſque tuo mercari ſanguine lauros.
Macte iſtis, Lodoïce, animis, perge omine tanto
Creſcere, ſed plenos ætas dum ſurgat in annos,
Sit tibi ſemper Avus, ſint magni exempla parentis
Ante oculos, CRESCENT VIRES ANIMIQUE VIDENDO.

RELI-

RELIGIONIS TRIUMPHUS SUB LUDOVICO MAGNO, INSCRIPTIONIBUS ET SYMBOLIS ADUMBRATUS.

ADMONITIO.

CUm, pro ſuo in Catholicam Religionem ſtudio, proſcribere è Gallia Calvinianam Hæreſim LUDOVICUS MAGNUS ſtatuiſſet; & abrogato Nannetenſi Edicto, unicum, quo nitebatur illa, præſidium ſpemque deinceps omnem abſtuliſſet; ſolennis in Pariſienſi Collegio Societatis Jeſu habita eſt Religioſiſſimo Principi gratulatio. Atque ut nihil deeſſet ad celebrem feſtivæ diei Apparatum, viſum eſt Aulam ipſam Panegyricæ Orationi deſtinatam variis Inſcriptionibus ac Symbolis ad rem eandem comparatis decorare. Huc enim pertinent Inſcriptiones & Symbola, quæ rationes omnes, quas Rex ſapientiſſimus idem ac religioſiſſimus, cùm ad extirpandam Hæreſim Calvinianam, tum ad avitam Religionem promovendam putavit ineundas, exponunt breviter, & quaſi oculis ſubjiciunt.

Hæc porro ne perirent ſpecioſiſſimæ Pompæ ornamenta; imò ut perpetuum navatæ feliciter à LUDOVICO MAGNO Religionis in gloriam operæ monumentum forent, collecta ſunt in Libellum, qui tunc TRIUMPHUS RELIGIONIS inſcriptus eſt. Additi ſunt ad unius cujuſque Symboli explicationem Latini verſus, quos, cùm ederentur illi primùm, D. De Fontenelle ex Gallica Academia Gallicis reddere & cohoneſtare verſibus pro humanitate ſua dignatus eſt.

IN-

Digitized by Google

INSCRIPTIO I.

LUDOVICO MAGNO, QUOD EJECTAM AULA, FORO, COMMERCIO, SCHOLIS HÆRESIM AD NATALES TENEBRAS, ET PRIMAM IGNOBILITATEM DAMNAVIT.

NAVIS

Projectis in tempeſtate mercibus.

FERET JACTURA SALUTEM.

ECce per adverſas Navis jactata procellas
Fluctuat, & cæcis it peritura vadis.
Rector in incerto eſt; neque opem, miſerabile viſu,
Ferre laboranti, qua valet arte, poteſt.
Pondus obeſt; ergo quando hæc ſpes una ſalutis,
In medias gazæ pondera mittit aquas.
Dii bene! namque *feret* Navi *jactura ſalutem*,
Et cœptum levior per vada curret iter.

ARBORES

Amputatis hinc inde ad verticem ramis.

UT COELO ASSURGANT.

QUæ priùs intactos Arbor jactabat honores,
Latiùs effuſis ambitioſa comis;
Jam nudata latus, deciſis undique ramis,
Vix tenui in ſummo vertice fronde viret.
Fortunata tamen! ne te hæc diſpendia tangant;
Mox damnis fies pulcrior ipſa tuis.
Scilicet in cœlum ramis felicibus ibis
Altior, amiſſas & reparabis opes.

I. IN-

I. INSCRIPTION.

A LA GLOIRE

DE LOUIS LE GRAND

POUR AVOIR FAIT RENTRER L'HERESIE

DANS SA PREMIERE OBSCURITE'.

EN LUY OSTANT LES EMPLOYS QUE'ELLE AVOIT

A LA COUR, AU BARREAU, DANS LA GUERRE,

DANS LE COMMERCE ET LES UNIVERSITEZ.

UN VAISSEAU

Agité de la tempeſte qu'on décharge de ſes marchandiſes.

SON SALUT VIENDRA DE SES PERTES.

LES flots vont engloutir ce Vaiſſeau malheureux,
Que les perils, la crainte & l'horreur environnent;
Les Pilotes vaincus deſormais l'abandonnent,
Et n'ont plus d'eſpoir qu'en leurs vœux.
Malgré la mort de toutes parts offerte,
A le ſauver encore une voye eſt ouverte:
Qu'on jette au fond des eaux les dangereux tréſors,
Dont le poids charge trop ſes bords,
Et ſon ſalut naiſtra de cette perte.

DES ARBRES

Dont on a coupé les branches juſqu'à la cime.

AFIN QUE VERS LE CIEL ILS PUISSENT S'ELEVER.

IL eſtoit reveſtu de toute la verdure,
Dont pouvoient l'embellir les dons de la Nature,
Jeune, rempli de force il étendoit ſes bras,
Cet Arbre dépoüillé, dont une main habile
A jetté les branches à bas,
Et qui ne paroiſt plus qu'une tige ſterile.
Il ne doit pas pourtant ſe plaindre de ces maux;
C'eſt par eux que ſa force à redoubler s'appreſte:
C'eſt par eux que dans peu, plein de charmes nouveaux,
Juſqu'au Ciel meſme il portera ſa teſte.

INSCRIPTIO II.

LUDOVICO MAGNO,

QUOD

EXCISIS TOTA GALLIA FANIS IMPIIS

MILLE SEXCENTIS,

ERECTIS SACRIS ÆDIBUS

SEXAGINTA,

HÆRESIS FUNDAMENTA CONVULSIT,

RELIGIONIS DITIONEM

AMPLIAVIT.

SUBSTRUCTÆ A GIGANTIBUS MOLES DEJECTÆ.

Quod contra Superos extructa.

EXtructa in Superos, Cœlumque laceſſere moles
    Jurata, ultricem ſenſit adeſſe manum.
Ipſe Pater Divum fulmen jaculatus ab alto,
    Vertit in auctores impia ſaxa ſuos.
Hæreſis auſa ſuis Divos detrudere templis,
    Invito extulerat Templa profana polo.
Haud Deus inviſas everteret ab æthere moles:
    Namque manu Lodoix vindice fulmen habet.

SOL RESOLVENS NIVES, ET VAPORES SUSCITANS.

Hinc dejicit, evehit inde.

DUm gravis hinc nivium terriſque incommoda moles
    Solvitur, & nimio victa calore perit:
Parte ex adverſa felices natus in uſus,
    Sublimè erigitur Sole repente vapor.
Haud ſecus, iratum ſibi dum gemit Hereſis hoſtem;
    Relligio ſenſit te, Lodoice, pium.
Quaque nefanda ruis cultus monimenta profani,
    Erigis hac ſuperis debita templa manu.

II. INSCRIPTION.

A LA GLOIRE

DE LOUIS LE GRAND

POUR AVOIR RUINE' LES FONDEMENTS

DE L'HERESIE,

EN DE'TRUISANT DANS LA FRANCE

PLUS DE SEIZE CENS TEMPLES;

ET POUR AVOIR ETENDU LE DOMAINE

DE LA VRAYE RELIGION

EN ERIGEANT PLUS DE SOIXANTE EGLISES.

LES MONTAGNES ENTASSE'ES PAR LES GEANS de la Fable & renversées d'un coup de Foudre.

CONTRE LE CIEL ILS ESTOIENT ELEVEZ.

DE Rochers ſur Rochers cette maſſe entaſſée
A ſenti le pouvoir des Dieux.
L'Univers a tremblé de la voir renversée
Sur les auteurs audacieux
De cette entrepriſe inſensée.
L'Héréſie éleva des Temples odieux,
Qui du Maiſtre du Ciel offenſerent les yeux.
De ſon bras tout-puiſſant il les êuſt mis en poudre,
Mais Loüis n'a-t'il pas un foudre,
Et n'eſt-il pas chargé de l'intereſt des Cieux?

LE SOLEIL FAISANT FONDRE D'UN COSTE' DES montagnes de neiges & de l'autre élevant des vapeurs.

IL ABBAT D'UNE PART, IL ELEVE DE L'AUTRE.

TEL que l'Aſtre du jour du haut de ſa carriere,
De la neige qu'il fond, éléve des vapeurs,
Quand aprés les frimats ſa plus vive lumiére
Raméne les beaux jours; & la ſaiſon des Fleurs:
Lorſque LOUIS *détruit d'une main vengereſſe*
Des Temples que le Ciel a toûjours déteſtez,
De cette meſme main nous le voyons qu'il dreſſe
Des Autels où nos vœux peuvent eſtre écoutez.

IN-

INSCRIPTIO III.

LUDOVICO MAGNO,

QUOD

PULSIS E REGNI FINIBUS

LETHIFERÆ DOCTRINÆ MAGISTRIS,

SUUM HÆRESI PRÆSIDIUM

AC SPEM OMNEM

ERIPUIT.

HYDRA RECISIS CAPITIBUS.

NEQUEUNT ABSCISSA NOCERE.

TRISTIA quæ quondam centeno immanis hiatu
Bellua, per populos funera mille dabat:
Ipſa etiam inſolitum media inter vulnera robur
Senſit, & Herculea concidit icta manu.
Fruſtra illa expirans hortentia ſibila mittit,
Et timidas jactat cæſa per ora minas.
Ne terrere minis; *Nequeunt abſciſſa nocere*,
Inque leves auras murmur inane cadet.

IGNES FATUI AURORÆ ADVENTU DISSIPATI.

FUNESTOS DISSIPAT IGNES.

QUò ruis imprudens? quò te malus abripit error?
Quid dubium cæco lumine carpis iter?
Siſte gradum, ſpecies te lucis fallit euntem,
Illuditque oculis inſidioſa tuis.
Ah! cave, præcipitem ſcopulo te mittet ab alto
Incautum, aut mediis perfida merget aquis.
En tibi, *funeſtos* melior quæ *diſſipat ignes*,
Lux micat; optatæ dux erit illa viæ.

III. IN-

III. INSCRIPTION.

A LA GLOIRE
DE LOUIS LE GRAND
POUR AVOIR OSTE' A L'HE'RE'SIE SON APPUY ET SES ESPERANCES, EN CHASSANT DU ROYAUME LES MINISTRES QUI FOMENTOIENT L'ERREUR.

L'HYDRE DONT TOUTES LES TESTES SONT ABBATUES,

SEPAREZ-LES DU CORPS, LEUR VENIN NE PEUT NUIRE.

UN Héros vient de terraſſer
Ce Monſtre renommé par un cruel ravage.
Formé dans les enfers, nourri dans le carnage,
Par les vains ſifflements qu'il oſe encore pouſſer,
Il cherche à ranimer une impuiſſante rage,
Et de nouveaux malheurs ſemblent nous menacer.
De noſtre ſang ſes Teſtes altérées
Ont aſſez de chaleur encor pour s'agiter.
Mais non; du corps de l'Hydre elles ſont ſéparées;
Nous n'avons rien à redouter.

L'AURORE DISSIPANT CES PETITS FEUX qui pendant la nuit conduiſent dans des Précipices.

LEUR FAUX BRILLANT TROMPOIT, SON ECLAT LES DISSIPE.

OU vas-tu? quelle erreur t'entraiſne?
Tu ſuis des guides dangereux;
Tes yeux ſont éblouis d'une apparence vaine,
Cette fauſſe lueur te méne
Dans des précipices affreux.
Mais l'Aurore paroiſt, ſa lumière plus pure
Chaſſe ces feux trompeurs, que produit l'ombre obſcure,
Et qui ne la quittent jamais.
Ne crains plus, ſui l'Aurore, & marche déſormais
Sous une conduite ſi ſeure.

INSCRIPTIO IV.

LUDOVICO MAGNO,

QUOD

AVULSOS AB HÆRESIS GREMIO PUEROS

IN SINUM

AVITÆ RELIGIONIS

RESTITUIT.

SURCULI IN ALIENAM ARBOREM INSITI.

Illic venient felicius.

PLurimus hinc atque hinc felici inſertus Olivæ,
Qui patula cœpit ſurculus ire coma;
Hic fuit infelix ſylveſtri ex arbore ramus,
De quo ſpes fructus non erat ulla boni.
Deſeruit natale ſolum, patriaque reciſus
Arbore, in externo ſtipite germen habet.
Deſeruiſſe juvat, *Veniet felicius illic*;
Moxque dabit fructus dulcis Oliva ſuos.

CORALLIUM.

Radicato nulla, sradicato tutto vale,

DUm gremio incluſum tenuit me Nereus alto,
Nec patrios licuit deſeruiſſe lacus:
Tunc ego vile fui, deſpectum & inutile germen,
Cui laus, nec pretium, nec decor ullus erat.
Jam ſi qua eſt oculos quæ poſſit forma morari,
Si gemmas inter dicor habere locum:
Illa manus, quæ me natalibus eripit undis,
Quodcumque eſt pretium vel decus, una dedit.

Digitized by Google

IV. INSCRIPTION.

A LA GLOIRE

DE LOUIS LE GRAND

POUR AVOIR TIRE' LES ENFANTS
D'ENTRE LES BRAS DE L'HERESIE,
ET LEUR AVOIR PROCURE'
UNE EDUCATION PLUS HEUREUSE
DANS LE SEIN DE LA VERITABLE
RELIGION.

DE JEUNES SAUVAGEONS ENTEZ SUR
de bons arbres.

ILS SERONT EN CE LIEU BEAUCOUP MIEUX ELEVEZ.

CES Rameaux verdoyants, dont bien-toſt on eſpere
Recueillir d'agréables fruits,
Par un arbre ſterile avoient été produits;
A peine ils promettoient quelque recolte amere.
A leur terre natale ils furent enlevez;
Rejettons adoptifs d'une Tige étrangere,
Ils ne regrettent point celle qui fut leur mere;
Ils ſeront en ce lieu beaucoup mieux élevez.

LE CORAIL.

DE LA MAIN QUI L'ARRACHE IL REÇOIT TOUT SON PRIX.

SI cette Onde où je ſuis formé
Dans ſon liquide ſein m'euſt toujours enfermé,
Je n'eſtois qu'une vile & mépriſable Plante:
Maintenant que plus fortuné
Parmi les Diamans je voy que l'on me vante;
Je dois ce nouveau prix à la main bien-fa ſante,
Qui m'arracha des lieux où je ſuis né.

INSCRIPTIO V.

LUDOVICO MAGNO,

QUOD

IN SINGULAS GALLIÆ PROVINCIAS

MISSIS DIVINI VERBI PRÆCONIBUS,

POPULIS ERRORES MALOS

DEPULIT,

PRISTINAM RELIGIONIS FORMAM

REVOCAVIT.

LUCIFER.

FUGAT TENEBRAS LUCEMQUE REDUCIT.

LATIUS obtenta tegitur caligine Cœlum,
Et lætum terris abſtulit umbra diem.
Fruſtra inter medias micuerunt aſtra tenebras;
Cœleſtes vincit lux inimica faces.
Ecce autem interea claro ſe Lucifer ortu
Tollit, & obſcuro jam ſuper axe micat.
Continuò pulſas toto fugat orbe tenebras:
Et ſecum optatæ tempora lucis agit.

PHARI.

MONSTRANT PORTUMQUE VIAMQUE,

CERNIS ut incertas ignota per æquora naves
Nunc huc, nunc illuc devius error agit.
Involvit nox atra polum; tenebriſque ſepulta
Aſtra negant ſolita pandere luce viam.
Eja agite; en turri lampas modò fulſit ab altæ,
Et placidi vobis ſyderis inſtar adeſt.
Quamprimùm celeres illuc advertite proras;
Dulcem portum aperit fida, viamque docet.

V.IN-

V. INSCRIPTION.

A LA GLOIRE

DE LOUIS LE GRAND

POUR AVOIR ANVOYE' DANS TOUT LE ROYAUME
DES PREDICATEURS DE L' EVANGILE,
ET, PAR LEUR MINISTERE,
DETROMPE' LES PEUPLES DE LEURS ERREURS,
ET RESTABLI LE VRAY CULTE
DE LA RELIGION.

L'ASTRE QUI PRECEDE LE LEVER DU SOLEIL.

IL RAMENE LE JOUR EN CHASSANT LES TENEBRES.

LES voiles de la nuit de toutes parts s' étendent,
Les Etoiles en vain font briler tous leurs feux,
La lumiere qu' elles répandent
Ne percé point ces voiles ténébreux,
Aux bords de l' Horizon cependant on voit naiſtre
L' Aſtre qui du Soleil annonce le retour;
Il ſuffit de le voir poroiſtre,
Seul il chaſſe la nuit, & ramene le jour.

DES PHARES ELEVEZ SUR LES BORDS DE LA MER.

ILS MONTRENT LE CHEMIN, ET CONDUISENT AU PORT.

CES Vaiſſeaux agitez ſur des mers inconnues,
Ignorent le chemin qui doit regler leur cours,
Tous les feux de la nuit, envelopez de nues,
Leuront refusé leur ſecours.
Vous qui ſulvez cette triſte carriere,
Sortez de la terreur d' une prochaine mort;
Voyez ſur une Tour briller cette lumiere,
Qui monsre en meſme-temps le chemin & le port.

INSCRIPTIO V.

LUDOVICO MAGNO,

QUOD

IN SINGULAS GALLIÆ PROVINCIAS

MISSIS DIVINI VERBI PRÆCONIBUS,

POPULIS ERRORES MALOS

DEPULIT,

PRISTINAM RELIGIONIS FORMAM

REVOCAVIT.

LUCIFER.

FUGAT TENEBRAS LUCEMQUE REDUCIT.

LATIUS obtenta tegitur caligine Cœlum,
Et lætum terris abſtulit umbra diem.
Fruſtra inter medias micuerunt aſtra tenebras;
Cœleſtes vincit Iux inimica faces.
Ecce autem interea claro ſe Lucifer ortu
Tollit, & obſcuro jam ſuper axe micat.
Continuò pulſas toto fugat orbe tenebras:
Et ſecum optatæ tempora lucis agit.

PHARI.

MONSTRANT PORTUMQUE VIAMQUE.

CERNIS ut incertas ignota per æquora naves
Nunc huc, nunc illuc devius error agit.
Involvit nox atra polum; tenebriſque ſepulta
Aſtra negant ſolita pandere luce viam.
Eja agite; en turri lampas modò fulſit ab alta,
Et placidi vobis ſyderis inſtar adeſt.
Quamprimùm celeres illuc advertite proras;
Dulcem portum aperit fida, viamque docet.

V. IN-

V. INSCRIPTION.

A LA GLOIRE

DE LOUIS LE GRAND

POUR AVOIR ANVOYE' DANS TOUT LE ROYAUME
DES PREDICATEURS DE L' EVANGILE,
ET, PAR LEUR MINISTERE,
DETROMPE' LES PEUPLES DE LEURS ERREURS,
ET RESTABLI LE VRAY CULTE
DE LA RELIGION.

L'ASTRE QUI PRECEDE LE LEVER DU SOLEIL.

IL RAMENE LE JOUR EN CHASSANT LES TENEBRES.

LES voiles de la nuit de toutes parts s'étendent,
Les Etoiles en vain ſont briller tous leurs feux,
La lumiere qu' elles répandent
Ne percé point ces voiles ténébreux,
Aux bords de l' Horizon cependant on voit naiſtre
L' Aſtre qui du Soleil annonce le retour;
Il ſuffit de le voir paroiſtre,
Seul il chaſſe la nuit, & ramene le jour.

DES PHARES ELEVEZ SUR LES BORDS DE LA MER.

ILS MONTRENT LE CHEMIN, ET CONDUISENT AU PORT.

CES Vaiſſeaux agitez ſur des mers inconnues,
Ignorent le chemin qui doit regler leur cours,
Tous les feux de la nuit, envelopez de nues,
Leuront refuſé leur ſecours.
Vous qui ſuivez cette triſte carriere,
Sortez de la terreur d' une prochaine mort;
Voyez ſur une Tour briller cette lumiere,
Qui monstre en meſme-temps le chemin & le port.

INSCRIPTIO VI.

LUDOVICO MAGNO,

QUOD

REGIA IN DESERENTES HÆRESIM

LIBERALITATE,

CÆTEROS AD EANDEM ABJURANDAM

INVITAVIT.

CONCHA AD SOLIS RADIOS SE APERIENS.

DONA VIAM INVENIUNT.

DUM pretioſa jacet deſerto in litore Concha,
Et tenui clauſas carcere ſervat opes,
Obſtructa incaſſum tentes divellere clauſtra,
Inque latebroſos vi penetrare ſinus.
Aſt ubi Sol tepido Concham perfuderit imbre,
Et radios propiùs ſenſerit illa novos:
Continuò arcanos recludit ſponte receſſus,
Et facilem *inveniunt* aurea *dona viam.*

VAPORES SOLARIBUS RADIIS EVECTI.

ET NOS COELO TUA MUNERA TOLLUNT.

O Pater! immenſi lux ò clariſſima mundi,
Quo nihil eſt melius, majus in orbe nihil!
Te ſine, præcipites variiſque erroribus acti,
Ivimus æquoreis perdere nomen aquis.
Reſpicis immeritos, ſolioque benigniùs alto
Aſpirans, largas fundis amicus opes.
Sic per te evehimur, ſic *nos tua munera Cælo*
Tollunt, & fato dant meliore frui.

VI. IN-

VI. INSCRIPTION.

A LA GLOIRE

DE LOUIS LE GRAND

POUR AVOIR COMBLE' DE FAVEURS CEUX, QUI RENTROIENT DANS L'EGLISE, ET, PAR SES LIBERALITEZ ROYALES ATTIRE' DANS LE MESME PARTY CEUX, QUI ESTOIENT ENCORE ENGAGEZ DANS L'ERREUR.

UNE NACRE DE PERLE

Qui s'ouvre à la rosée du Soleil.

SES PRESENTS LUY FONT UN PASSAGE.

En vain dans cette Nacre on tente une ouverture
Par les plus violents efforts;
On ne penètre point dans la priſon obſcure,
Où ſe renferment ſes tréſors.
Mais ſi ſur elle il tombe une roſée,
Qu'échauffent du Soleil les rayons bienfaiſants,
Cette Nacre au Soleil ouvre une voye aiſée,
Et céde à de ſi doux préſents.

DES VAPEURS

Elevées par la chaleur du Soleil.

VOS BIENFAITS TOUT PUISSANS NOUS ELEVENT AU CIEL.

Pere du jour, brillante ſource.
De tous les biens de l'Univers,
Sans toy nous terminions noſtre incertaine courſe
En retombant au fond des mers.
Ta faveur & douce & puiſſante,
Nous fait un ſort plus glorieux,
Et tes regards, par qui la Nature eſt vivante,
Daignent nous porter juſqu'aux Cieux.

INSCRIPTIO VII.

LUDOVICO MAGNO,

QUOD

OBSTINATAM HÆRESIM,

SOLO MILITUM STREPITU.

RELIGIONIS DOCILEM

FECIT.

CANES

Poſt errantem Gregem circumcurſantes.

VIS AMICA.

EN quibus eſt arcere lupos, & cura tenello
Invigilare gregi, ſedula turba canes,
Solliciti circumvolitant, crebroque latratu
Exagitant, ſi quas abſtulit error oves.
Continuò trepidare metu, greſſumque reflectens
Gens pavida, ad proprium ſponte redire gregem.
Solve metum, blando nil triſte minantur ovili:
Vis eſt illa quidem; *vis* at *amica* tibi eſt.

ADAMAS.

BEN MI FA, CHI MI FERISCE.

QUòd micat è noſtro pretioſus corpore fulgor,
Qui ſuperas poſſit vincere luce faces:
Artis opus: nec enim primo venit inſitus ortu
Sydereus, pretium qui facit, ille nitor.
Aſperitas innata mihi eſt; longoque labore
Et damnis adeò forma redempta venit.
Damna ſed apponi lucro felicia poſſunt;
Meque juvat, dum me cædit, amica manus.

VII. IN-

VII. INSCRIPTION.

A LA GLOIRE

DE LOUIS LE GRAND

POUR AVOIR PAR LA SEULE PRESENCE DES SOLDATS, RENDU DOCILES LES ESPRITS LES PLUS OBSTINEZ, DANS L'ERREUR.

DES CHIENS

qui courent aprés les Brebis égarées.

C'EST UNE DOUCE VIOLENCE.

VOILA ceux qui d'un ſoin fidelle
Défendent le troupeau de la fureur des Loups.
Ils courent à l'entour l'un de l'autre jaloux
Pleins d'une ardeur toûjours nouvelle,
S'il eſt quelque Brebis qui porte ailleurs ſes pas,
A la pourſuivre auſſi-toſt ils s'attachent;
Et leurs cris redoublez, leurs manaces l'arrachent
Des lieux où l'attendoit un funeſte trépas.
Elle rentre au troupeau, grace à leur vigilance,
La crainte agite encor ſes timides eſprits:
On luy fit quelque violence;
Mais que la violence aimable à ce prix!

UN DIAMANT

que l'on taille, & que l'on polit.

QUI ME FRAPPE ME FAIT DU BIEN.

JE ne tiens pas de moy cét éclat que je jette.
Par qui des feux du Ciel l'éclat eſt imité.
Je n'eſtois né qu'une pierre imparfaite,
Et jamais l'œil ſur moy ne ſe fuſt arreſté.
Ce brillant vif & pur dont on eſt enchanté,
Combien faut-il que je l'achete?
De ce que j'ay ſouffert, vient toute ma beauté.

INSCRIPTIO VIII.

LUDOVICO MAGNO,

QUOD

AFFLICTAM PRÆTERITIS CLADIBUS HÆRESIM, EDICTI NANNETENSIS ABROGATIONE, CONFECIT.

NODUS GORDIUS

Alexandri manu ſolutus.

FRUSTRA TENTASSENT ALII.

ASPICE multiplici religant quem vincula nexu.
    Quondam Aſiæ Nodus fatifer ille fuit.
Hunc adeò nequicquam alii diſſolvere certent;
    Nodus Alexandri poſtulat ille manum.
Gallia fatali Nodo conſtricta gemebas
    Jam dudum; nec, qui ſolvere poſſet, erat.
Plaude tibi: Nodum hunc LODOICI dextra ſolutum,
    Quem nec Alexander ſolveret ipſe, dedit.

COLUMNA CORRUENS.

TRAXIT CONVULSA RUINAM.

LONGA cæde ferox legem obtendebat iniquam
    Hæreſis, hoc uno tegmine tuta ſatis.
Multi illam Reges armis voluere refixam;
    Bella per & medias lex ſtetit uſque neces.
Hæc, LODOICE, tibi laus debita: vindice ferro
    Nil opus eſt; legem vis abolere, ruit.
Nec lex ſola ruit, ſimili convulſa ruina,
    Nequicquam obluctans Hæreſis, ipſa perit.

VII. IN-

VII. INSCRIPTION.

A LA GLOIRE

DE LOUIS LE GRAND

POUR AVOIR REVOQUE'

L' EDIT DE NANTES,

ET AVOIR ACHEVE' PAR CE DERNIER COUP

LA RUINE ENTIERE

DE L' HERESIE.

LE NOEUD GORDIEN

coupé par la main d'Alexandre.

D'AUTRES EN VAIN L'AUROIENT TENTE'.

DE ce Nœud dépendoient les deſtins de l' Aſie;
A rompre ces liens on s' efforçoit en vain.
Ils ne devoient ceder qu' a l' invincible main,
Que le Ciel meſme avoit choiſie.
FRANCE, *tu gemiſſois dans de triſtes liens,*
Tes plus fameux Heros, tes plus fermes ſouſtiens
A rompre un Nœud fatal n' avoient osé prétendre,
Le temps l' avoit encore affermi malgré toy,
Il euſt bravé l' effort de la main d' Alexandre,
Mais tu le vois rompu par celle de ton Roy.

UNE COLONNE

qui par ſa chûte entraiſne un baſtiment qu'elle ſouſtenoit.

ELLE ENTRAISNE EN TOMBANT TOUT LE RESTE APRES SOY.

L'ERREUR ne s' eſtoit maintenuë,
Qu' à l' abri d' une injuſte Loy,
Que par de longs malheurs elle avoit obtenuë.
Ce fut en vain que plus d' un Roi
La voulut abolir par l' effort de ſes armes:
Née au milieu du ſang du trouble, & de l' effroy,
De ces juſtes efforts elle prit peu d' allarmes.
Son funeſte pouvoir ne ceſſe qu' aujourd' huy,
Grand Roi; mais ſans armer voſtre main triomphante
D' un ſeul ordre à l' Erreur vous oſtez cét appuy:
Il tombe, & pour combler nos vœux, & noſtre attente,
Il entraiſne en tombant l' Héréſie avec luy.

INSCRIPTIO IX.

LUDOVICO MAGNO,

QUOD

CONSTANTI PIETATIS EXEMPLO,

RELIGIONI

PONDUS AC PRETIUM

ADDIDIT.

MAGNES.

NON VI, SED VIRTUTE.

IMPIA quòd noſtro procul Hæreſis exulat orbe,
Quòd pura colitur Relligione Deus:
Hæc, LODOICE, tuæ virtuti debita laus eſt;
Vix opere in tanto vis habet ulla locum.
Teque adeò quicumque videt, dum ſupplice cultu
Ante aras fundis vota preceſque Deo:
Nil moror, exclamat, quam ſic LODOICUS amavit,
Debuit hæc reliquis purior eſſe fides.

SOL,

& varia Horologiorum genera.

OMNIBUS EXEMPLUM EST ET REGULA.

PLURIMA quæ circum tibi machina dividit horas,
Temporaque & varias ſignat eundo vices,
Solis ad exemplum deſcriptos conficit orbes;
Et cunctis Sol eſt regula duxque viæ.
Haud aliter, LODOICE, tuus te conſpicit orbis,
Et pietas cunctis regula, duxque tua eſt.
Non quiſquam inſpiret meliùs virtutis amorem;
Te vidiſſe ſatis, qui volet eſſe pius.

IX. IN-

Digitized by Google

IX. INSCRIPTION.

A LA GLOIRE
DE LOUIS LE GRAND
POUR AVOIR DONNE' DU CREDIT ET DE L'AUTORITE' A LA VRAYE RELIGION, PAR L'EXERCICE D'UNE PIETE' CONSTANTE ET EXEMPLAIRE.

UNE PIERRE D'AIMAN

Qui enléve pluſieurs anneaux de fer.

PAR SA VERTU PLUSTOST QUE PAR LA FORCE!

SI des cœurs où l'Erreur a long-tems combattu,
Ont avec elle enfin fait un heureux divorce,
Grand Prince, ce n'eſt point l'ouvrage de la force,
C'eſt celui de voſtre vertu.
Lorſqu'au pied des Autels vous adorez le Maiſtre,
Qui ſeul vous peut donner la loy,
Voſtre foy ſe fait reconnoiſtre
Pour la plus pure & pour l'unique foy.

LE SOLEIL

Avec un Cadran, une Pendule, une Montre, &c.

IL EST DE TOUS LE MODE'LE ET LA REGLE.

TANT de Machines différentes,
Qui des temps marquent les retours,
Toutes également du Soleil dépendantes
Se réglent ſur luy ſeul, n'imitent que ſon cours.
LOUIS, *la piété qui regne dans voſtre ame,*
Eſt l'exemple commun que nous obſervons tous;
Il ſuffit pour ſentir une céleſte flame,
D'attacher ſes regards ſur vous.

INSCRIPTIO X.

LUDOVICO MAGNO,

QUOD

STABILITAM INTRA LIMITES

IMPERII GALLICI

RELIGIONEM

IN REMOTISSIMAS ORAS PROPAGARE

FELICITER PERTENTAVIT.

SOL.

In Centro Mundi ſecundùm Copernicum conſiſtens.

HINC TOTUM LUCET IN ORBEM.

HIc licèt immotus, punctoque affixus in uno
Hæreat, & nuſquam Sol ferat inde gradum:
Attamen hinc radios totum diffundit in orbem,
Nullaque cœleſti lumine terra vacat.
Talis ades, LODOICE; etſi te publica cura,
Et populi in regno diſtinet uſque ſalus:
Hinc divina tamen ſic lumina ſpargis ubique,
Per te ut ſit toto notus in orbe Deus.

FLUVIUS SUA IN ORIGINE.

DA' SUOI A' RIMOTI.

NOBILIS ante alios qui vertice montis ab alto
Defluit, & pura volvitur amnis aqua;
Natales primùm læto rigat ubere terras,
Et ſua vicinis munera ſpargit agris.
Aſt ubi mox patrios ditavit flumine campos,
Nulla mora eſt, aliò portat amicus opes:
Et quocumque fluat, felices omnibus undas
Sufficit, extremis utilis, atque ſuis.

X. INSCRIPTION.

A LA GLOIRE

DE LOUIS LE GRAND

POUR AVOIR TRAVAILLE' HEUREUSEMENT

A ETENDRE LA RELIGION

DANS LES PAYS LES PLUS E'LOIGNEZ,

APRE'S L'AVOIR AFFERMIE DANS TOUTE L'ETENDUE

DE SON ROYAUME.

LE SOLEIL AU CENTRE DE L'UNIVERS

Selon Copernic, d'où il éclaire tout le Monde.

DE LA DANS TOUT LE MONDE IL RE'PAND SA LUMIERE.

SANS entreprendre un tour immenſe,
Immobile en ce lieu, ce grand Aſtre répand
Dans le vaſte Univers la divine influence,
De qui la Nature dépend.
Tel LOUIS *attaché chez un peuple fidélle,*
Qui s'offre le premier à ſes pieux deſſeins,
Ne laiſſe pas d'étendre en des climats lointains
Du vray culte qu'il ſuit la lumiére immortelle:
Par luy, par l'ardeur de ſon zele
Dieu veut s'aſſujettir tous les cœurs des Humains.

UN FLEUVE

Dans ſa ſource.

D'ABORD AUX SIENS, EN SUITE AUX ETRANGERS.

DE ce Mont élevé voy ce Fleuve deſcendre:
Ses liquides tréſors vont d'abord ſe répandre
Aux lieux que ſa naiſſance a rendus fortunez;
Mais aprés les avoir enrichis par ſes ondes,
Il remplit les beſoins des champs plus éloignez,
Et leur porte des eaux également fécondes.

INSCRIPTIO ULTIMA.

LUDOVICO MAGNO,

QUOD

MAJESTATIS AC POTESTATIS AMPLITUDINEM,

RERUM FORTITER GESTARUM

GLORIAM,

ORNANDÆ, TUTANDÆ, PROMOVENDÆ RELIGIONI

TOTAM IMPENDIT.

MONS ALTISSIMUS,

Sole ad Meridiem accendente totus pœne collucens,

PIU' S'INNALZA, PIU' M'ILLUSTRA.

DUc age luciferos medium ſuper æthera currus,
O decus, & gemini, qua patet, orbis amor.
Pœne adeò procul hinc, quæ me priùs umbra tegebat,
Dum cœlum exuperas, lumine pulſa tuo eſt.
Mox ubi ſupremum conſcenderis arduus axem,
Nil ultra votis ſollicitabo meis.
Namque mihi tecum eſt communis gloria, & unde
Altior es, major lux venit inde mihi.

VITIS

Ingenti Arbore ſuſtentata.

AMPLIFICAT, FULCIT, TUTATUR ET ORNAT.

ILLA multa licèt ſit virtus inſita vite,
Et cui commiſſa eſt, pingue ſit uber agri:
Quòd tamen hinc atque hinc felicia brachia latè
Explicat, atque alto vertice ſpernit humum;
Quòdque Euros triſteſque Hyadas ſecura pericli,
Nec rabidæ metuit tempora ſæva Canis:
Arboris eſt totum hoc munus, quæ commoda vitem
Ornat, tutatur, fulcit, & amplificat.

DER-

DERNIERE INSCRIPTION A LA GLOIRE DE LOUIS LE GRAND

POUR AVOIR FAIT SERVIR TOUTE LA GRANDEUR DE SON AUTORITE' ET DE SA PUISSANCE ET L'ECLAT DE SES CONQUESTES A L'HONNEUR, LA DEFENCE, ET L'AVANCEMENT DE LA RELIGION.

UNE HAUTE MONTAGNE

Preſque toute éclairée du Soleil avancant à ſon midi.

PLUS IL MONTE, PLUS IL M'ECLAIRE.

AME de l'Univers, Toy qui de toutes parts
Répans la vie & la lumiére,
Pourſui, Pere du jour, ta brillante carriére:
L'ombre qui me couvroit, cédant à tes regards,
Diſparoiſt déja preſque entiére.
Chaque inſtant la fait fuir; encore quelques pas,
Soleil, & que ton Char au plus haut point parvienne:
Ma gloire dépend de la tienne;
Et j'aurai plus d'éclat, plus tu t'élèveras.

UNE VIGNE

Souſtenuë par un grand Arbre.

IL LA DE'FEND, ET L'ORNE, ET L'ETEND, ET L'APPUYE.

ENCOR que cette vigne ait beaucoup de vigueur,
Et d'un fertile champ tire ſa nourriture;
Lorſqu'elle croiſt pourtant juſqu'à cette hauteur,
Que tant de fruits ſi beaux lui ſervent de parure;
Qu'elle brave le vent contre elle ſoulevé,
Et la chaleur brulante & l'orageuſe pluye:
Elle le doit à cét arbre élevé
Qui la défend, & l'orne, & l'étend, & l'appuye.

Digitized by Google

INNOCENTIO XII.
PONTIFICI MAXIMO
PATERNA
PRINCIPES PIETATE,
EGENOS CHARITATE
COMPLECTENTI.

SOL

Excelſa depreſſaque loca pariter colluſtrans.

SUMMIS SE IMPENDIT ET IMIS.

NON fruſtra cæli medium Sol aureus axem
Contigit aſſurgens, terras unde arduus omnes
Deſpiciat latè, & toti communia mundo
Lumina diverſas pariter diſpenſet in oras.
Namque venit rebus ſuus hinc vigor: hinc bona manat
Copia, & optatum gremio Natura teporem
Excipiens, partus edit fecunda beatos.
Ac primùm excelſos propiora cacumina montes
Vivificis afflat radiis, magnoſque per artus
Inſinuans ſe ſe, felices ingerit auras.
Olli frugiferæ genitalia ſemina flammæ
Accipiunt, laxantque ſinus: mox ubere læto
Hic ſegetes, illic generoſi munera Bacchi
Oſtentant: alibi nemoroſa fronde ſuperbum
Attollunt caput, & media inter nubila condunt.
Nec ſatis eſt ſummis lucem adſpiraſſe benignam
Verticibus: ſpretas etiam & ſine nomine valles
Colluſtrat bonus, & cælo fœcundat ab alto.
Non illum objecti longo circum ordine colles
Acceſſu prohibent: ſubit in depreſſa locorum
Anfractuſque humiles: vitali nulla calore
Pars vacat: hinc largo turgeſcunt omnia fœtu,
Atraque depulſis caligo reſolvitur umbris.
Ridet humus, molli campus ſe gramine veſtit,
Lætaque purpureos Pomona expandit honores.
Sic bene Sol juſtis ſua lumina partibus æquat
Communis pater, & SUMMIS SE IMPENDIT ET IMIS.

Nec

NEc tua te virtus, Pater ò Sanctissime, fruſtra
Sublimem evexit primæ ad faſtigia Sedis;
Unde datas regeres orbis moderator habenas.
Scilicet hinc meliùs commiſſo Paſtor ovili
Conſulis, & patrium in cunctos partiris amorem.
Invicti memorate Duces, ſenſiſtis amicam
In bellis quicumque manum. Si concidit armis
Ottomanus, Leopolde, tuis: ſi dira frementem
Nequicquam, & patriis inſtantem finibus arces:
Egregii pars ille operis non parva feretur,
Qui tibi victrices alit in certamina turmas.
Ipſe tuos etiam tibi reſtituiſſe Britannos,
Fata indigna dolens, animiſque opibuſque parabat;
Grandibus & cœptis ſi par fortuna fuiſſet,
Regnares hodie ſolio, Jacobe, paterno
Redditus, & populos tranquilla in pace foveres.
Voſque adeo, quos ſæva diu Bellona fatigat,
Præcipiteſque rapit populorum in funera, Reges:
Nunc tandem optatam, fas eſt, ſperate quietem.
Armorum nempe inſanos, mora nulla, tumultus
Compoſtos dabis, & noſtros, Pater optime, luctus
Aſpicies. Viden' ut demens Diſcordia natos
Exagitet, dirumque acuant in viſcera ferrum?
Ferrum, quo melius gens Chriſto inimica periret.
Dic inimicitias veteres, conceptaque dudum
Deponant odia, & dextras in fœdera jungant.
Dic procul à noſtris Mars impiùs exulet oris.
Pulſaque præpetibus revolet Pax aurea pennis.
Nec te pœniteat proprium impendiſſe laborem:
Auſpice Te belli ponet furor: ipſe triumphos
Abrumpet, pacemque dabit Lodoicus: & orbem
Fulmineis quanquam attonitum conterreat armis,
Ad ſacros amet ille pedes deponere palmas.
Nam quæ digna ſatis referatur gratia facti?
Gallia jam multos Paſtoribus orba per annos
Lugebat tacita, & charo metuebat ovili.
Tu gregis afflicti ſortem miſeratus iniquam,
Paſtores deſerta ſuos in ovilia mittis.
At non hic animi ſe ſe vis ampla paterni
Contineat: nec muneribus penetralia Regum
Sufficiat cumulaſſe: tuæ pars maxima curæ eſt,
Deſpectos miſerorum etiam luſtrare receſſus,
Obſcuriſque caſis inopinum affundere lumen.
Quàm dulcem iſta tibi præbent ſpectacula pompam,
In tua recluſis quoties Palatia valvis
Turba virum matrumque frequens, miſerabile vulgus,
Irrumpit, lapſiſque rogat ſolatia rebus.
Non tibi ſqualenti paupertas turpis amictu,

Non viſu dira illuvies, macilentaque longa
Ora fame, aut triſtes pariunt faſtidia morbi.
Hos inter medius facie quemcumque benigna
Excipis, & placidas votis das omnibus aures.
Tu recreas dictis animos, tu languida mulces
Pectora, tu proprios facis hoſpita tecta penates,
Longorumque affers oblivia certa malorum.
At miſeris qui ſenſus ineſt? quæ gaudia mentes
Pertentant, ſimul ac vultus ſubiere verendos,
Sparſaque magnificæ ſenſerunt munera dextræ?
Omnibus ora nitent meliùs: tum frontibus atris
Pallor abit, redeunt oculis morientibus ignes,
Et deſueta diu ſe riſu labra reſolvunt.
Pars lacrymis perfuſa genas ad ſydera tendit
Exſangues cum voce manus: pars pectore ab imo
Vota facit, lætiſque implet clamoribus auras:
Vivat Io Superi. Videat longiſſima Petri
Tempora, qui SUMMIS pariter SE IMPENDIT ET IMIS.

JACOBO II.

MAGNÆ BRITANNIÆ

REGI,

Cum ejus laudatio funebris haberetur.

SOL OCCIDENS.

MAJOR IN OCCASU.

Magnus erat, noſtro tunc cùm ſpectabilis orbi,
Spargeret in varias lumina amica plagas.
Dum cadit, atque alios rapitur ſpectandus in axes,
Major in occaſu cernitur ille ſuo.

IGNIS ACCENSUS,

Quem adverſi ventorum flatus magis incendunt.

CLARIOR ADVERSIS.

Hinc atque hinc immane furens ruit acta procella;
Nec par infeſtis viribus ignis erit.
Decipimur: nam quo vis acrior ingruit auræ?
Clarior adverſis flatibus ille micat.
Sors eadem, Jacobe, tua eſt: jactata tot inter
Debuerat virtus ſuccubuiſſe vices.
Non tamen obruitur duris exercita fatis;
Clarior adverſis caſibus illa fuit.

FORNIX

Immani ædificiorum mole preſſus.

FIRMIOR EST, QUO PLURA PREMUNT.

Ne tibi ab immenſis, quas fornix ſuſtinet unus,
Molibus, excidii triſtia fata time.
Firmior eſt, quo plura premunt; & pondere ab ipſo,
Quo lapſum contra ſe tueatur, habet.
Te caſus cum vis premeret, Jacobe, ſiniſtri,
Infeſtumque humeris ingeminaret onus,
Tunc tua ſe contra virtus erexit, ab ipſis
Incrementum ingens ſumere viſa malis.

TU-

TUBULUS

Nitrato pulvere fartus ſurſum erumpens.

LINQUIT HUMUM, COELUMQUE PETIT.

Ut tubulo claudi impatiens nitratus in arcto
Pulvis, & effracto carcere nactus iter;
Linquit humum, cælumque petit, quo ſemina flammæ
Intus agunt, & vis ignea ab arce vocat.
Sic grandis Jacobi animus compage ſoluta
Corporis, & fati conſcius ipſe ſui:
Deſpiciens terras humiles unum ambit Olympum,
Et Superum patriis hoſpes adeſſe plagis.

SCUTUM ANGLIÆ.

Leopardus Anglicus mortuus.

VEL TERRITAT UMBRA JACENTES.

En jacet; at ne vos teneat fiducia veſtri
Tanta, quibus vivens ille timendus erat.
Ipſa ſuos etiam vel tunc, quòd terrret hoſtes,
Eſſe mihi procul hinc, umbra jacentis habet.

SCUTUM SCOTIÆ.

Leo Scoticus erectus, ut pingi ſolet.

NITITUR AD SUPERA.

Cedite mortales, terrena faceſſite regna;
Grandem animam nequeunt hæc ſatiare ſatis.
Nititur ad ſuperas votis flagrantibus arces;
Quæ meruit virtus, præmia ſola placent.

SCUTUM HIBERNIÆ,

HIBERNA CITHARA.

Cujus laxas diſſonaſque cordas perita manus tendit ac ſociat.

ET ERIT DISCORDIA CONCORS.

Ingratum ſi miſcet, & illærabile murmur
Jam pridem diſcors & malè tenſa fides.
At non longa mora eſt, *Et erit diſcordia concors*,
Ne dubitate animis, ſpondet amica manus.

ILLUSTRISSIMO VIRO

JOANNI CHAILLOU

D. DE THOISY

DOCTORI SORBONICO AC SOCIO

De Religione optimè merito Ætatis LXXXI.

SYMBOLA.

Imagini ejuſdem appenſa propinquitatis & amoris pignus,

ANNOSA QUERCUS.

NIL ANNI NOCUERE.

Sex & Luſtra decem numerat; caput aſpice; quantus
Surgit honos, quanta eſt gratia fuſa comis.
Nil anni nocuere: dabit reſponſa volenti,
Robora Dodonæ qualia nulla ferunt.

Non viſu dira illuvies, macilentaque longa
Ora fame, aut triſtes pariunt faſtidia morbi.
Hos inter medius facie quemcumque benigna
Excipis, & placidas votis das omnibus aures.
Tu recreas dictis animos, tu languida mulces
Pectora, tu proprios facis hoſpita tecta penates,
Longorumque affers oblivia certa malorum.
At miſeris qui ſenſus ineſt? quæ gaudia mentes
Pertentant, ſimul ac vultus ſubiere verendos,
Sparſaque magnificæ ſenſerunt munera dextræ?
Omnibus ora nitent meliùs: tum frontibus atris
Pallor abit, redeunt oculis morientibus ignes,
Et deſueta diu ſe riſu labra reſolvunt.
Pars lacrymis perfuſa genas ad ſydera tendit
Exſangues cum voce manus: pars pectore ab imo
Vota facit, lætiſque implet clamoribus auras:
Vivat Io Superi. Videat longiſſima Petri
Tempora, qui SUMMIS pariter SE IMPENDIT ET IMIS.

JACOBO II.

MAGNÆ BRITANNIÆ

REGI,

Cum ejus laudatio funebris haberetur.

SOL OCCIDENS.

MAJOR IN OCCASU.

MAgnus erat, noſtro tunc cùm ſpectabilis orbi,
Spargeret in varias lumina amica plagas.
Dum cadit, atque alios rapitur ſpectandus in axes,
Major in occaſu cernitur ille ſuo.

IGNIS ACCENSUS.

Quem adverſi ventorum flatus magis incendunt.

CLARIOR ADVERSIS.

Hinc atque hinc immane furens ruit acta procella;
Nec par infeſtis viribus ignis erit.
Decipimur: nam quo vis acrior ingruit auræ?
Clarior adverſis flatibus ille micat.
Sors eadem, Jacobe, tua eſt: jactata tot inter
Debuerat virtus ſuccubuiſſe vices.
Non tamen obruitur duris exercita fatis;
Clarior adverſis caſibus illa fuit.

FORNIX

Immani ædificiorum mole preſſus.

FIRMIOR EST, QUO PLURA PREMUNT.

Ne tibi ab immenſis, quas fornix ſuſtinet unus,
Molibus, excidii triſtia fata time.
Firmior eſt, quo plura premunt; & pondere ab ipſo,
Quo lapſum contra ſe tueatur, habet.
Te caſus cum vis premeret, Jacobe, ſiniſtri,
Infeſtumque humeris ingeminaret onus,
Tunc tua ſe contra virtus erexit, ab ipſis
Incrementum ingens ſumere viſa malis.

TU-

TUBULUS

Nitrato pulvere fartus ſurſum erumpens.

LINQUIT HUMUM, COELUMQUE PETIT.

Ut tubulo claudi impatiens nitratus in arcto
Pulvis, & effracto carcere nactus iter;
Linquit humum, cælumque petit, quo ſemina flammæ
Intus agunt, & vis ignea ab arce vocat.
Sic grandis Jacobi animus compage ſoluta
Corporis, & fati conſcius ipſe ſui:
Deſpiciens terras humiles unum ambit Olympum,
Et Superum patriis hoſpes adeſſe plagis.

SCUTUM ANGLIÆ.

Leopardus Anglicus mortuus.

VEL TERRITAT UMBRA JACENTES.

En jacet; at ne vos teneat fiducia veſtri
Tanta, quibus vivens ille timendus erat.
Ipſa ſuos etiam vel tunc, quòd terrìtet hoſtes,
Eſte mihi procul hinc, umbra jacentis habet.

SCUTUM SCOTIÆ.

Leo Scoticus erectus, ut pingi ſolet.

NITITUR AD SUPERA.

Cedite mortales, terrena faceſſite regna;
Grandem animam nequeunt hæc ſatiare ſatis.
Nititur ad ſuperas votis flagrantibus arces;
Quæ meruit virtus, præmia ſola placent.

SCUTUM HIBERNIÆ,

HIBERNA CITHARA.

Cujus laxas diſſonaſque cordas perita manus tendit ac ſociat.

ET ERIT DISCORDIA CONCORS.

Ingratum ſi miſcet, & illætabile murmur
Jam pridem diſcors & malè tenſa fides.
At non longa mora eſt, *Et erit diſcordia concors*,
Ne dubitate animis, ſpondet amica manus.

ILLUSTRISSIMO VIRO
JOANNI CHAILLOU
D. DE THOISY

DOCTORI SORBONICO AC SOCIO

De Religione optimè merito
Ætatis LXXXI.

SYMBOLA.

Imagini ejuſdem appenſa propinquitatis & amoris pignus,

ANNOSA QUERCUS.

NIL ANNI NOCUERE.

Sex & Luſtra decem numerat; caput aſpice; quantus
Surgit honos, quanta eſt gratia fuſa comis.
Nil anni nocuere: dabit reſponſa volenti,
Robora Dodonæ qualia nulla ferunt.

Digitized by Google

CLYPEUS

Sacris Literis celebratus.

TELA OMNIA CONTRA.

Nil agitis, quos cæcus amor Novitatis, avitam
Impulit adversùm bella movere fidem.
Fatales contra inſidias, *Tela omnia contra*
Qui ſtetit, uſque ſuam eſt ferre paratus opem.

SOL

Eclypſim patiens.

NON DEFICIT IPSE.

Quod ferruginea tegitur caligine Cœlum,
Et medium tertis nox rapit atra diem;
Abſolve auctorem lucis: *Non deficit ipſe*,
In culpa eſt teter, qui regit ora vapor. *

VICINUM POLO SYDUS

Navigium dirigens.

HOC DUCE TUTA VIA EST.

Qui medias inter Syrtes Pelagique tumultus
Incertum obſcura nocte teneris iter;
Accipite hæc memores, & fidis Sydus amicum.
Obſervate oculis; *Hoc duce tuta via eſt*.

SYMBOLA

THESI PHILOSOPHICÆ

FRANCISCI-VICTORIS DE BRETEUID IMPRESSA

Cum ille Quæſtiones Philoſophicas quaſcumque in utramque partem propugnaret.

* *Defenſorem Religionis acerrimum offenſus Error natali ſolo tantiſper eripuit, & tetrum recoctumque jam diu vaporem latè diffundens, quem inficere deſperabat, ſaltem cogitavit obſcurare.*

ACCIPITER

Ex paterno ipſius ſcuto aſſumptus.

QUÒ JUSSERIS IBIT.

Ille, vides, Cœli quavis regione vagari,
Et varias terræ promptus adire plagas?
Intentus ſignum expectat; *Quò juſſeris, ibit*:
Ardua res! nullas ſed facit ille moras.

AQUILA

Materni ſcuti Symbolum inter fulgura colludens.

NEC TANTA PERICULA TERRENT.

Ut medios inter ludens impune tumultus
Dum reliqui trepidant, regius ales ovat!
Ingeminant ictus; *Nec tanta pericula terrent*,
Aſſuetum pavido non trepidare metu.

SOL ORIENS

OMNIA PANDET.

Namquid id eſt? denſæ cuncta involvere tenebræ,
Noxque adeo terras atra polumque tegit.
At vultus vix ille retexerit, *Omnia pandet*,
Obſcurumque feret delituiſſe nihil.

SYMBOLA

IN NATALIBUS

PRIMI BRITANNIÆ DUCIS

Ad ornandam feſtivi Apparatus Aulam Comparata.

Primum

Auguſtas Regiæ familiæ perſonas repræſentans,

CO-

CORONA COELESTIS.

QUOT IN UNA SYDERA FULGENT!

Quæ mihi ſyderea ſurgit nova forma Coronæ,
Innumeras inter, nocte micante, faces?
Quale decus, Superi! *Quot in una ſyderæ fulgent!*
Quantum & Phœbæi luminis inſtar habent!

Reliqua Auſpicatos Britanniæ Ducis ortus exhibent.

PLURES PARELII

Quos unus idemque Sol multiplici radiorum repercuſſu in nubibus depingit.

NIL ORTUM TALE.

Alter & alter adeſt, prodit mox Alter ab illo:
Forma eadem cunctis, par quoque ſplendor ineſt.
Æras cede vetus, *Nil ortum tale* fateris.
Ætas nec quidquam poſtera tale feret.

FONS SALIENS.

ALTO DE VERTICE MANAT.

Vix bene vitales naſcens erumpit in auras;
Jam vis ingenitæ conſcius alta ſapit.
Parce tamen mirari; *Alto de vertice manat*;
Se ſe fert illuc impetus, unde genus.

FLOS HELIOTROPII

Converſus ad Solem.

RESPICE, CRESCAM.

Alme parens, noſtræque auctor clariſſime gentis;
En ego, nil ſoboles inficianda tibi.
Parva quidem ſoboles; ſed enim me *Reſpice, creſcam*,
Plenaque ſollicito creſcet amore fides.

HEMICYCLUS

Lunæ naſcentis.

PROH QUANTUS FULGOR IN ORTU!

Exere naſcentes, Cœlo decus addite, vultus;
Ne pigeat terris explicuiſſe caput.
Qualis ades! primo proh! quantus fulgor in ortu!
Tempora cum dederint creſcere, quantus eris!

TRIA LILIA

In uno caudice variæ magnitudinis quibus tenuis ſurculus adnaſcitur.

NEC ERIT TIBI SURCULUS IMPAR.

Grande decus terræ! ſtirps regia! nam quis in uno
Germine tam lætas flos tulit alter opes?
Felix ô nimium! *Nec erit tibi ſurculus impar*;
Hoc ſpondent capitis gratia, frontis honos.

PULLUS AQUILÆ

Solem irretortis oculis aſpiciens.

IPSO NON DEGENER ORTU.

Jam ſolis patiens, nec lumina parva retorquet;
Nec dubitat lentas increpitare moras.
Aude animis, *Ipſo* quiſquis *non degener ortu*,
Sanguine ab eximio ſe probat eſſe ſatum.

SOL ORIENS.

NASCITUR ORBI.

Vix oritur; vultus geſtit monſtrare ſerenos,
Plenaque lætitiæ prodere ſigna ſuæ.
Nil adeo mirum eſt, *Orbi*, qui *naſcitur*, orbem
Debuit adveniens exhilarare ſuum.

UNIO

In aperta concha ſplendidiſſimus.

NATUS DIADEMATI.

Qui primo circumfulget mihi plurimus ortu
Majeſtatis honos, hic mea jura probat.
Sors mea regalis, me regia vindicat una;
Nec quiſquam invideat jam Diadema mihi.

ARCUS COELESTIS.

PAX DEINDE SEQUETUR. a

Longorum quis erit finis, Deus alme, laborum?
An noſtris Mavors ſæviet uſque plagis?
Audimur! Pacis jam fulſit amabile ſignum;
Protinus aurea Pax & parat ipſa ſequi.

FULMEN.

b PRÆFULSERE IGNES.

Præfulſere ignes: ſed enim nil triſte minantur:
Flamma hæc ludere amat, nec nocet, unde placet.
Si cui flamma tamen meruit metuenda videri;
Iſtum præveniat, ſuadeo, fulmen erit.

PHARUS

Per noctem relucens,

c NOX IPSA REFUGIT IN ORTU.

Quis neget hunc ſuperis demiſſum munus amicis,
Cujus in obſequium terra poluſque ruit?
Nocte oritur, tenebris metuens nox ipſa refugit;
Ante ipſum lux & viſa micare diem.

AUGUSTÆ ADELAIDI,

Cujus felices partus lætum afferunt ulterioris ſobolis augurium.

FISTULA

Nitrato farta pulvere, quæ dum vibratur in aera, multas in favillas ſolvitur.

TOT LUMINA FUNDET.

Plaude tibi tanto felix, mea Gallia, partu;
Mitte modum votis ambitioſa tuis.
Læta ſinu quondam Adelaïs *Tot lumina fundet*,
Fiſtula quot pyrio pulvere farta vomit.

SYMBOLUM CUSTODIBUS CORPORIS REGIS HISPANIARUM; REGIÆ COHORTIS VEXILLO APPOSITUM.

VELLUS AUREUM

A Dracone defenſum.

FACIUNT VIS ET VIGILANTIA TUTUM.

Ne tibi prædandi veniat tam dira cupido;
Velleri ut aurato furta vel arma pares:
Quid-

a *Fervebat Bellum quo tempore primus Britanniæ Dux natus eſt.*

b *Alluditur ad feſtivos ignes in die natali Joannis Baptiſtæ collucere ſolitos: quia Dux Britanniæ altero poſt divini Præcurſoris feſtivitatem die natus eſt.*

c *Nox illa ſcilicet Joanni Baptiſtæ ſacra, quæ præceſſit natales Britanniæ Ducis; tota feſtivis ab ignibus refulſit.*

Digitized by Google

Quidquid agas, Faciunt vis & vigilantia tutum;
Et malè raptori furta, vel arma cadant.

DEVISE

Pour une perſonne d'un grand diſtingué qui baſtiſſoit une magnifique maiſon dans un lieu où le ſeul devoir l'attachoit, & d'où elle ne vouloit point ſortir.

LE VERS A SOYE

Qui forme ſa coque.

C'EST POUR Y MOURIR.

Eloigné pour jamais du lieu de ma naiſſance,
Je m'épuiſe, dit-on, je me conſume en frais,
Pour achever le deſſein d'un Palais,
Où l'art & la magnificence,
Semblent à l'envi concourir.
Lé dépenſe, il eſt vray, peut paroiſtre indiſcrete;
Mais doit-on m'envier cette unique retraite?
Car enfin, *C'eſt pour y mourir.*

DEVISE

Pour une Dame de qualité lorſqu'elle eût ſon premier enfant.

UNE NACRE

Qui s'ouvre au Soleil. a

UN SEUL NE SUFFIT PAS.

Une vertu ſecrette, une ardeur bienfaiſante,
Vient enfin de remplir mes vœux & mon attente.
J'apperçois en mon ſein un tréſor précieux;
Soleil, c'eſt icy ton ouvrage;
C'eſt de ton cœur l'incomparable gage.
Il brille comme toy d'un éclat gracieux,
Il eſt de ta candeur la reſſemblante image.
Mais plus je vois cet objet plein d'appas,
Cet objet ſi digne de plaire;
Plus je le dis, ſoleil, & je ne puis m'en taire,
Vn ſeul ne ſuffit pas.

a *Le ſoleil faiſt une partie des armes de ſon Epoux.*

DEVISE

Pour une perſone qui joint une grande circonſpection avec beaucoup de vivacité.

LE SOLEIL

Qui entre dans les armes de ſa famille.

RAPIDO SI, MA CON LEGGE.

Rapident, mais avec regle.

Je vas viſte, j'agis, je fais tout promptement
D'un eſprit plein de feu je ſuis le mouvement
Mais dans ce mouvement rapide,
L'exacte regularité,
Qui m'accompagne & qui me guide,
Ne ſouffre point de ma vivacité.

PRI-

PRIMA

JOANNIS FRANCISCI REGIS

E SOCIETATE JESU

PRESBYTERI,

BEATORUM FASTIS

RECENS ADSCRIPTI

SOLENNIA

INSCRIPTIONIBUS AC SYMBOLIS

EXORNATA.

ADMONITIO.

HÆc commiſſa nobis provincia fuerat, ut prima JOANNIS-FRANCISCI REGIS Beatorum faſtis recens adſcripti ſolennia decenti Apparatu exornaremus. Superſedemus ultro deſcribere pluribus feſtivæ hujus diei magnificentiam. Verùm quia viſum fuerat nobis, nihil tam conferre poſſe ad ſingularem ſanctiſſimi Viri gloriam, quàm ut eximias, quibus excelluit ille, virtutes celebraremus; duxeramus operæ pretium, eaſdem in brevi contractas quaſi ſubjicere ſpectantium oculis, & variis expreſſas Inſcriptionibus ac Symbolis legendas permittere. Porro ad perpetuam BEATI JOANNIS-FRANCISCI REGIS memoriam, illam cùm Inſcriptionum tum Symbolorum varietatem in Libellum hunc Symbolicum tranſtulimus, additis etiam unicuique Symbolo verſibus, qui contentum in ſingulis ſenſum apertiùs explanarent. Cæterùm, in argumento tam ſacro, Religioni habuimus *Verbum* ſeu *Animam* Symboli aliunde, quàm ex ſacris Literis mutuari.

Digitized by Google

INSCRIPTIO UNIVERSA
SINGULAS COMPLECTENS.

JOANNI FRANCISCO REGIS

SOCIETATIS JESU
PRESBYTERO,
BEATORUM FASTIS
RECENS ADSCRIPTO.
IN DEUM
AMORE, FIDUCIA;
IN PAUPERES
AFFECTU, BENEFICENTIA,
IN OMNES
STUDIO, CHARITATE
PRÆSTANTISSIMO.
DESPICIENTIA SUI, PATIENTIA,
CORPORIS AFFLICTATIONE
PROBATISSIMO
MOVENDIS AC INFLECTENDIS ANIMIS
EFFICACISSIMO.
PRODIGIORUM
VARIETATE, MULTITUDINE
CLARISSIMO.

Digitized by Google

INSCRIPTIO PRIMA.

IN DEUM

AMOR, FIDUCIA.

Amorem in Deum repræſentabat Hedera quercum undique complexa cum hoc Lemmate *ex Pſalmo* 72. deprompto.

Adhærere bonum est.

Felix ille dies, qui me tibi junxit amantem;
 Quo mihi in amplexus fas fuit ire tuos.
Quanta venit ſeges inde boni! Da ſtringere nexus:
 Dulce mihi tecum vivere, dulce mori.

Fiduciam in Deum exhibebat *Pyxis Nautica* ad *Stellam Polarem* conſtanter converſa cum hac Epigraphe *ex Pſalmo* 111. expreſſa.

Non commovebitur.

Fruſtra luctiſono Cœlum tonet omne tumultu;
 Ultimus & facto luceat orbe dies.
Non ego commovear. Propriæ virtutis egenti
 Inſolitum ſupero robur ab axe venit.

INSCRIPTIO SECUNDA.

IN PAUPERES

AFFECTUS, BENEFICENTIA.

Affectum in pauperes adumbrabat Sol, qui obſtantibus altiſſimis montibus, quibus tegitur, infirma vallium colluſtrat. Additum erat hoc verbulum quod in *Pſalm.* 112. legitur.

Humilia respicit.

Ardua terrarum placido qui lumine complet,
 Celſaque magnificis tecta parata viris:
Depreſſas etiam fœcundo lumine valles
 Reſpicit, atque humiles gaudet adire caſas.

Beneficentiam in eoſdem Pauperes exprimebant Proceræ arbores in deſertis aridiſque terris conſitæ, quæ ſyderum influentium beneficio creſcunt: idem ſignificabat hoc vocabulum *ex Pſalmo* 64.

Pinguescent speciosa deserti.

Deſertis ne te curas impendere terris;
 Vel pigeat ſteriles incoluiſſe locos.
Pingueſcet tellus priùs arida, & ubere largo
 Fundet, quas meruit cultor amicus, opes.

INSCRIPTIO TERTIA.

IN OMNES

STUDIUM CHARITAS.

Studium in omnes ſignificabat ingens fluvius qui diverſas terras irrigat cum hac voce *ex Epiſt. Div. Jacobi cap.* 1.

Omnibus affluenter.

Huc ades ô, quemcumque ſitim reſtringuere puro
 Amne juvat; nuſquam purior unda fluit.
Non riget ille gelu rapidiſve caloribus aret;
 Largus inexhauſtas uſque miniſtrat aquas.

Charitatem in omnes demonſtrabat *Pelicanus* ſuo pullos paſcens ſanguine, cum iis voculis *ex Epiſtol.* 2. *ad Corinth. cap.* 21.

Impendam et super impendar.

Vos ego quos patrio dilexi ſemper amore,
 Vos deſiderii ſumma caputque mei.

Im-

Impendiſſe animam liceat! nil dulcius optem;
Quàm ſi veſtra meo parta cruore ſalus.

INSCRIPTIO QUARTA.

Despicientia sui.

Deſpicientiam ſui exprimebat *Umbra* Pyramidis, quæ tanto decreſcit magis, quanto ſol altior ad Meridiem aſcendit cum hac Anima *ex Evang. Joann. cap.* 3.

Illum crescere, me minui.

Æthereos tranſcende orbes, pater optime lucis;
Nec, dum ſumma petis, ſit tibi cura mei.
Non equidem invideo: tibi debita ſcilicet uni
Gloria, teque decet creſcere, Me minui.

Idem exhibebat *Areola Violis conſita*, quas repentes humi ſemper Sol colorat nihilominus magnificè, & ſuaviſſimo odore perfundit. Informabant Animam hæ voces *ex Epiſt.* 1. *S. Petri cap.* 5.

Humilibus dat gratiam.

Repit humi, Floreſque inter demiſſior omnes
Vix audet timidum tollere ad aſtra caput.
At non ille Tibi, qui dividis æquus honores,
Deſpicitur; quam das, gratia quanta nitet!

INSCRIPTIO QUINTA.

PATIENTIA IN ADVERSIS.

Patientiam in adverſis adumbrabat ſuper Altare *accenſus ignis*, quem undique perflantes venti non extinguunt, ſed inflammant magis. Animam dabant hæc verba quæ leguntur in *Canticis cap.* 5.

Non potuerunt extinguere.

Nequicquam ardentem ſacro de fomite flammam
Perdere tempeſtas invidioſa parat.
Acrior erumpit; patrioque, ubi nata, reſumpto
Robore, ſe recipit non moritura, polo.

Rem eandem demonſtrabat *Agnus*, cum hac Epigraphe, quam dat *Pſalmus* 37.

Non habens redargutiones.

Proh! dolor! in quales infelix victima caſus
Naſcere; quas pateris, ceu ſcelus auſa, vices!
Tollis opes; ferrum exigitur fatale, nec ullus
Interea querulo prodit ab ore ſonus.

INSCRIPTIO SEXTA.

AFFLICTATIO CORPORIS.

Geminum ſextam hanc Inſcriptionem Symbolum explicabat. Primum. *Frumenti Manipulus* repetitis ictibus percuſſus cum hoc Lemmate *ex Pſalm.* 37.

Paratus in flagella.

Ne qua tibi, precor ah! veniat miſeratio noſtri;
Neve ictus pigeat congeminare graves.
Tunde, feri: modò ſi poſſim placuiſſe, paratum
Invenies ultro plura flagella pati.

Secundum. *Informis ſtatua*, quam artificis manus ſcalpro perficit. *Verbum ex Epiſtola ad Galatas cap.* 4. depromitur.

Donec formetur.

En me ſiſto Tibi rudis indigeſtaque moles,
Docte Opifex, manibus perficienda tuis.

Plu-

Plurima ne dubites vilì decerpere trunco;
Dum formam patiens inducat ille novam.

INSCRIPTIO SEPTIMA.

VIS

AD INFLECTENDOS ANIMOS.

Vim illam ad infle&tendos animos efficacem repræſentabat *Magnes* ferreos annulos attrahens cum hoc vocabulo, quod apud S. Joannem legitur *cap.* 12.

OMNIA TRAHAM.

Parcite degeneres, vel iniqua mole gravati
Ulteriùs turpi flectere velle ſitu.
Nulla mora eſt; nunc tandem cedite. Nulla reſiſtat
Vis mihi: nolentes, ne dubitate, traham.

Vim eandem ad faciendos in animis fructus uberrimos exprimebat *Agricolæ manus* cultæ jam terræ ſemen mandantis. Addita erat hæc vocula ex *Evang. S. Lucæ cap.* 8.

FECIT CENTUPLUM.

Plaude tibi, cupidoque tui gratare colono,
Terra; nec ingrato ſemina conde ſinu.
Mox erit indomito merces ea digna labore:
Fœnore centuplici multiplicata ſeges.

INSCRIPTIO [illegible]AVA ET ULTIMA.

PRODIGIORUM

VARIETAS, MULTITUDO.

Hanc prodigiorum varietatem ac multitudinem, quæ vir ſanctiſſimus tam vivens, quam mortuus edidit, adumbrabant duo Symbola. Primum, Fluens ex arbore Balſamum cum hoc verbo ex *Actis cap.* 10.

SANANDO OMNES.

Cedite vitales ſucci, plantæque ſalubres,
Lætiferis præſens & Panacæa malis.
En meliora fluunt Opobalſama. Quem gravis urget
Languor, opem fidens hinc pete, ſanus eris.

Alterum declarabat miracula, quæ poſt mortem B. Joannes Franciſcus Regis patravit. *Serpens Æneus* additum illud *Verbum*, ex *Evangel. S. Lucæ cap.* 6.

VIRTUS EXIBAT ET SANABAT.

Quæ nova deſertis virtuſque incognita terris.
Fatales arcet, mors tibi ſæva, manus?
Spiritus omnis abeſt gelido de corpore: vitæ
Hinc moritura tamen corpora munus habent.

LUDOVICI MAGNI

VITA

SYMBOLIS HEROICIS DESIGNATA.

ORTUS.

SOL EXORIENS.

MIRABIL' SUBITO CHE PARE.

COnſpicuos nondum vultus Sol aureus Orbi
Extulit, aut medio totus ab axe micat.
Sed quanta attonitis retegit miracula terris!
Vel primo in curſus limine quantus adeſt!
Cùm tua Te primo, LODOICE, excepit in ortu
Gallia, & auditas geſtiit eſſe preces;
Nondum MAGNUS eras, ſed rerum læta tuarum
Jam dederas populis omina multa tuis.

INITIUM REGNI.

SOL ORTUS INTER VAPORES.

OBSTANTIA VINCIT.

OBductum picea regitur caligine cœlum,
Et luceſcentem mox tenet atra diem.
Nulla mora eſt, Sol exoriens *Obſtantia vincit*
Nubila, & in puro lucidus orbe micat.
Gallia civiles jamdudum experta tumultus
Viſa fuit Pacis rumpere velle moras,
Necquicquam: vix Regna tenes, *Obſtantia vincis*,
Et placido revocas, ò LODOICE, dies.

BELLORUM APPARATUS.

SOL INTER NUBES Præludens fulmini.

INCERTUM CUI TELA PARENTUR.

UNde repentino cœlum tonat omne tumultu,
Tantus & à gemino perſonat axe fragor?
Terrifici fulſere ignes; fatale recondit
Prægnanti nubes fulmen opaca ſinu.
Hoſtiles trepidate animi; metuenda verendam
Armavit læſi vindicis ira manum.
Incertum funeſta quidem *cui tela parentur*,
Sed tamen in ſontes ultio certa cadet.

TRIPLICIS FOEDERIS Diſturbatio.

SOL VENTIS PERFLANTIBUS obſcuratus.

NEQUIT VIS CONJURATA NOCERE.

QUis furor eſt? cunctis coeunt de partibus orbis
Irrequieta cohors, & fera bella cient.
Auſi omnes immane nefas: fremit omnis in unum,
Auguſtumque petit dira procella caput.
Quanquam ò! unanimes vel iniquum jungite fœdus;
Nullum habeat finem, nec ferat ira modum.
At *nequit* illa tamen *vis conjurata nocere*.
Auctores perdent auſa nefanda ſuos.

HISPANIS REX DATUS.

LUNA FULGENS A SOLE.

QUOD REGNAT, REGNAT AB ILLO.

NAm quod inexpleta noctis ſe jactat in umbra,
Et ſupera populos ſydus ab arce regit;
Felices, placido recreat quos lumine! Læti
Carpite iter; tanto ſub duce tuta via eſt.
At veſtris rutilum ſydus *Quòd regnat* in oris,
Et face prælucens commodiore nitet;
Non habet hoc decus ex ſeſe: ſed *regnat ab illo*:
Ipſe parens lucis, qui dedit, unde micat.

PIE-

PIETATIS EXEMPLAR.

SOL ET VARIA GNOMONUM genera.

QUIS DICERE FALSUM AUDEAT.

VOs ô, qui motu vitæ momenta perenni
Dividitis ſpatio ſingula quæque ſuo;
Aſpicite obtutu defixi ſemper in uno,
Tempora qui & varias ſignat eundo vices.
Vos regat exemplo, ſua per veſtigia cunctos
Erudiat, rectæ regula duxque viæ.
Olli certa fides; etenim *Quis dicere falſum Audeat*? aut fallax, hoc duce, flexit iter?

MORBUS ULTIMUS.

SOL ECLIPSIM PATIENS, Floribus, herbis marceſcentibus.

UNIUS LANGUOR IN OMNES.

DEficit heu! pereunt oculis flagrantibus ignes,
Eripitur gemini lumen & Orbis amor!
Jam ferrugineæ fronti nox incubat atra,
Triſtiaque obſcurat pallidus ora color.
At non inferias rerum Natura parenti
Abnuit, aut tanto duruit illa malo.
Aſpice, torpet iners; *Unius languor in omnes*
Funditur, hoc, dulce eſt, deficiente mori.

INTERITUS.

SOL OCCIDENS.

NON UNI DEBITUS ORBI.

QUò rapetis, mea lux? vel cur tua regna relinquis,
Orbis dulce decus, ſpeſque ſaluſque tui?
Ten' piget inviſis rurſus dare lumina terris?
Dum fugis, an pœnas, quas metuere, luunt?
Siſte gradum; quantos pariet præſentia fructus?
Quantus erit cunctis, Te caruiſſe, dolor!
Nil agimus; properat *Non uni debitus orbi*,
Axem alium radiis exhilarare ſuis.

MEMORIÆ PERENNITAS.

HORIZON AB OCCIDUO Sole accenſus.

NON TOTUS PERIIT.

ÆTherea poſtquam luſtravit lampade terras,
Abſtulit auguſtum Phœbus ab orbe caput.
Non totus periit; vitali accenſus ab igne
Orbis adhuc numen ſentit adeſſe ſuum.
Sic populo poſtquam LODOIX ereptus amico
Implevit factis Gallica regna ſuis,
Non totus periit: vivet meliore ſuperſtes
Parte ſui, ſeræ poſteritatis amor.

PHILIPPO

AURELIANENSIUM DUCI,

OCCUMBENTIS

ET EXORIENTIS REGIS

VICES OBEUNTI.

PHOSPHORUS.

SURGENTEM INTER MEDIUSQUE CADENTEM.

QUi Solem *Surgentem inter mediuſque Cadentem*
Lucidus in puro Phoſphorus axe micat;
Abſentis deſiderium ſolatur, & almum
Præmonſtrat terris accelerare diem.
Sic Reges *Surgentem inter mediuſque Cadentem*
Dum miti imperio Regna, PHILIPPE, regis;
Quos peperit moriens LODOIX, dediſcere luctus,
Speſque ratas, Oriens quas facit, eſſe jubes.

SO-

Digitized by Google

SOLEMNIS LUDOVICI XV. CHRISTIANISSIMI REGIS CONSECRATIO, HEROICIS SYMBOLIS EXPRESSA.

SYMBOLUM I.

CALIX SACRIS INSERVIENS.

TANTUS INUNCTO CRESCIT HONOS!

QUòd ritus Sacrorum inter ſpectandus ab ara
Grande miniſterium fungitur ille Calix;
Non hoc materies dedit aurea; *Tantus inuncto*
Creſcit honos, pretium vindicat inde ſuum.
Quòd cultu ſtimulata pio, Te Gallia Regem
Proſequitur ſtudiis, ò LODOICE, novis.
Hoc Tibi Majeſtas meruit ſacra, *Tantus inuncto*,
Nil me pœniteat dicere, *Creſcit honos*.

SYMBOLUM II.

ENSIS REGIUS.

HOSTIS QUISQUIS ERIT, PAVEAT.

ILle, vides, nudus, quem Regia ſuſtinet, Enſis
Dextra, tot annorum relligione ſacer?
Si pietatis amans, ſi recti cultor & æqui,
Exigis innocuos & ſine labe dies;
Parce metu; nil ille mali, nil triſte minatur;
Virtutis certus tutor hic Enſis erit.
At, *Paveat* Gallorum *hoſtis*, Paciſve Deive *Quiſquis erit*; præſens ultor hic Enſis adeſt.

SYMBOLUM III.

REGALIS TRABEA.

PANDITUR OMNIBUS.

HUc ades ò, ſortem quicumque expertus iniquam,
Poſcis opem rebus præſidiumque tuis.
Fide animis; juvat ingratos dediſcere luctus,
Porrigitur longis prompta medela malis.
Quid ceſſas? Placida Trabeæ Regalis in umbra,
Spem votumque ſuper dulce levamen habes.
Aſpicis, illa volens ut *Panditur omnibus*? Illuc,
Dum bona fata vocant, confuge, ſalvus eris.

SYMBOLUM IV.

REGIUS ANNULUS.

AMOREM SPONDET ET FIDEM.

FElix ſorte tua, cujus ſpectata fides eſt,
Et ſuus in Reges, Gallia, conſtat amor!
Plaude tibi, meritis ultro certaſſe priorem,
Atque dediſſe animi tot monimenta tui;
Namque pium tibi Rex, etiam, juratus, *Amorem*,
Et quam fida colis, *ſpondet & ipſe fidem*.
Ne dubites, fidei monimentum & pignus amoris
Flecte oculos, ſacer hic Annulus obſes erit.

SYMBOLUM V.

SCEPTRUM ET ÆQUITATIS Symbolum.

FELIX CONCORDIA.

QUàm bene conveniunt nexuque tenentur amico
Et Sceptrum regale, & tua virga, Themis!
Quis non exclamet, *Felix concordia*! Quanti,
Hæc ubivis regnet: fons ſolet eſſe boni!
Haud aliter, Regni quando moderator & æqui
Jura dabis populis, ò LODOICE, tuis;
Tunc plauſum ingeminans, *Felix concordia*, dicet
Gallia, proh! quàm Te Principe dulce frui!

SYMBOLUM VI.

CORONA REGIA.

PLUS DECORIS GESTAMEN HABET.

ATtonitis quàm læta oculis miracula ſurgunt!
Regia quàm pura luce Corona nitet!
Credo equidem, huc fluxit quidquid felicibus oris
Naſcitur, Eoi quà rubet unda maris.
Illa tamen capiti quoties impoſta decoro,
Cingit regales, ò LODOICE, comas;
Plus decoris geſtamen habet; tua gratia gemmas
Vincit, &, extremus quas tulit Indus, opes.

SYMBOLUM VII.

REGALE SOLIUM.

QUAM MULTA ORACULA FUNDET.

DEſine fatidicæ Vatis jactare receſſus,
Et Clarii lauros, nomen inane, jugi;
Unde ſonant reſponſa Deum, ſi vana Vetuſtas,
Aut, ſi qua eſt, mendax Fabula digna fide.
At cùm te Solium excipiet, LODOICE, ſedentem,
Cùm reſponſa feres, jura vel inde dabis:
Nec jam longa mora eſt, *Quam multa Oracula fundet*,
Vera, nec ambiguis illaqueata fi[illegible]

LES

Digitized by Google

LES VERTUS ROYALES MISES EN DEVISES ET PRESENTÉES AU ROY A SA MAJORITÉ.

PREMIERE DEVISE.

LE ZELE ROYAL DE LA RELIGION.

LA TOUR DE DAVID.

Pro superis hinc arma mihi.

C'eſt de là pour le Ciel que j'emprunte des armes.

Loin d'icy les projets d'un Prince ambitieux,
Qui peu content d'une Couronne,
Et de l'eclat qui l'environne,
Porte ſur ſes voiſins ſe regar s'envieux.
Cet Arſenal n'eſt redoutable,
Grand Dieu, qu'à tes ſeul ennemis.
Il faut que leur orgueil à tes ordres ſoûmis
Apprenne à reverer ta puiſſance adorable;
Ou qu'accablez ſous le poids de ces traits,
Une défaite inévitable
Signale ta juſtice & mon zele à jamais.

SECONDE DEVISE.

LA SAGESSE ROYALE.

UN VAISSEAU PREST A FAIRE voiles.

Da l'arte il governo.

De le conduire avec adreſſe

C'eſt l'ouvrage de la Sageſſe.

Pour fournir une longue courſe;
De l'Aurore au Couchant, du Midy juſqu'à l'Ourſe,
Le Ciel favorable à mes vœux
Seconde mes efforts par ſes ſecours heureux.
Dout eſt calme déja, tout eſt déja tranquile
Sur le redoutable élement:
Je n'attends que la main habile,
Qui me gouverne ſagement.

TROISIE'ME DEVISE.

LA VALEUR ROYALE.

UN JEUNE LION EN REPOS.

Quietum nemo impune lacesset.

Malheur à qui troublera mon repos.

Je ne reſpire que la gloire;
A mon age il eſt beau de ſignaler mon rang,
Et mon origine & mon ſang,
Par une éclatante victoire.
Mais plus touché du bonheur de la paix,
Si j'en prefere les attraits
Au deſir de me ſatisfaire;
Qu'il tremble l'ennemi jaloux,
Qui ſeroit aſſez témeraire
Pour troubel un repos ſi doux.

QUATRIE'ME DEVISE.

LA CLEMENCE ROYALE.

UN LION SUR UN TIGRE qu'il a terraſſé.

Satis est prostrasse.

Il me ſuffit de l'avoir abbattu.

Signaler ſon bras, ſon courage,
Répandre tout la terreur,

Digitized by Google

C'eſt où doit borner un grand cœur
Ses efforts & ſon avantage.
Aux ames du commun on peut abandonner
Les droits ſeveres de la guerre:
La loy des maiſtres de la terre,
Eſt de vaincre & de pardonner.

CINQUIE'ME DEVISE.

L'EQUITE ROYALE.

LE SOLEIL MARQUANT
les heures ſur divers cadrans.

PARET LEGIBUS IPSE SUIS.

Luy-meſme il obſerve ſes Loys.

MAlgré les mouvements de ma courſe rapide,
Je ſuis chargé de conduire vos pas.
C'eſt moy qui dois, n'en doutez pas,
Vous ſervir de régle & de guide.
De mon pouvoir ne ſoyez point jaloux,
Ennemi de l'indépendance,
Si j'impoſe des loys à tous,
Ce n'eſt pas que je m'en diſpenſe,
Je les obſerve comme vous.

SIXIE'ME DEVISE.

LA LIBERALITE' ROYALE.

LA CORNE D'AMALTHE'E.

MANABIT AD PLENUM.

L'Abondance en découlera.

SOurce inépuiſable de biens,
De tout prix, de toute nature,
Je ſçay trop de qui je les tiens,
Pour n'en faire à vos yeux qu'une vaine parure.
Peuples, je vous prends à témoins
De ma tendre reconnoiſſance;
C'eſt le plus preſſant de mes ſoins,
De les répandre en abondance.

SEPSIE'ME DEVISE.

L'AMOUR ROYAL POUR LE PEUPLE.

LE PELICAN QUI SE
ſaigne pour ſes petits.

SUA PER DISPENDIA.

A ſes propres dépens.

VOus que le Ciel a commis à mes ſoins,
Unique objet de ma tendreſſe,
Je ſens trop l'ardeur qui me preſſe,
Pour n'eſtre pas touché de vos beſoins.
Quand on aſpire au nom de pere,
Il n'eſt rien qu'on ne doive faire.
Et quoy qu'il m'en doive couſter,
Attention, peine, ſouffrance,
Avec mon cœur d'intelligence,
Sçauront un jour le mériter.

HUITIE'ME DEVISE.

LA PROTECTION ROYALE DES BEAUX ARTS.

UN SOLEIL LEVANT
derriere le double mont Parnaſſe.

FACIET JUGA LÆTA CAMŒNIS.

Il ſera de ces lieux un ſejour agréable.

APeine ſuis-je entré dans la vaſte carriere
Où je porte aux mortels la brillante Lumiere;
Que témoin des travaux de ce double vallon,
Je vous ay donné mon eſtime.
Avancez à grand pas dans ce genre ſublime, Doctes Eleves d'Apollon.
Si pour me donner place au temple de Memoire,
Voſtre plume ſe preſte à d'éternels Ecrits;
Mes bienfaits me rendront la gloire,
D'en avoir connu tout le prix.

LIBER
DE ÆNIGMATE IN PICTURIS.
PRÆFATIO.

PErtinet ad Rhetoricam Ænigmatum explicatio ; neque eſt exercitatio ulla, quæ vel plus ingenii, feſtivitatis & elegantiæ præ ſe ferat, vel majorem auditoribus & digniorem homine liberali jucunditatem parere conſueverit. Tamen mirum eſt, tam alrum fuiſſe apud Veteres ſuper ea re ſilentium, &, quod noſtris in ſcholis ſingulos per annos jam dudum in uſu eſt, vix ullis aut informatum præceptionibus aut obſervationibus illuſtratum fuiſſe.

Equidem non diſſimulem eruditum inter paucos Joſephum Juvencium è Societate noſtra in ſuo opuſculo, quod tam Diſcipulorum, quàm Magiſtrorum in gratiam edidit *de Ratione Diſcendi & Docendi*, non prætermiſiſſe, quæ ſpectarent rem Ænigmaticam, & quædam tradidiſſe documenta, quibus juvari poſſit eorum induſtria, qui pro ratione ſui muneris in explicandis Ænigmatis operam collocant. At quoniam Libellum illum erudiendis noſtris hominibus ſuſceptum non eſt paſſus eſſe juris publici ; hinc quas perbreves præſcripſit Leges de Ænigmatis, & paucorum ſunt in manibus, & à pleriſque etiam editæ ignorantur.

Acceſſit Carmen Didacticum auctore P. Joanne Maſſelot ex eadem Societate, & Catalaunenſibus Typis impreſſum, * in quo Lectorem erudit præceptis ſalubribus, & amœnitate carminis reficit ac delectat; verùm ut ſunt iſta tenui ſubtilique filo deducta, ſic neque perſpiciuntur ſatis ab hominum vulgo, neque adeo ſunt ad uſum accommodata, ut erudiri cupientibus obvia ſint, & expedita, ut ſic loquar, ad manum habeantur.

* Anno 1700.

Quare nullus ego dubitem idem tractare argumentum, & pro noſtra docendi ratione ita verſari in ſingulis, quæ ad picta Ænigmata explicanda conferunt, ut & accuratam Artis illius notionem ſubjiciam, &, quæ in eadem exercenda vel ſequenda ſunt, vel fugienda, breviter demonſtrem.

Neque verò ſatis habebimus tradere præceptiones ac regulas, quarum ad normam explicari pictum Ænigma debeat, ſed ſecundùm morem, quem tenuimus hactenus, proponemus exempla quædam hujuſmodi Ænigmatum, in quibus explicandis quàm feliciter proceſſerimus, erit prudentis ac benevoli Lectoris exiſtimare.

Affinia ſunt Ænigmatis *Logogriphi*, *Emblemata*, *Hieroglyphicæ figuræ*, *Rebus*, *Problemata*, *quæ ſub hujus Libri finem obiter perſtringemus.*

LIBER
DE ÆNIGMATE IN PICTURIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De Nomine, Origine, ac Definitione Ænigmatis.

ÆNigma ab *αἰνίττομαι* Græca voce dicitur, quæ ſignificat, obſcurè & perplexè loquor. Eſt enim hoc Ænigmatis proprium, ut obſcuritate laboret aliqua; non ea quidem tam recondita, quàm eſſe ſolet aut oraculorum, aut myſteriorum, ſed mediocri ac temperata, quæ ab ingenioſis & eruditis hominibus pervideri, ac diſcuti facili negotio poſſit.

Quàm ſit vetus Ænigmatum origo, fidem faciunt ſacri Codices, in quibus legimus tentatam fuiſſe in Ænigmatis à Regina Sabæ Salomonis perſpicaciam; illuſum Philiſtæis à Samſone in quæſtionibus obſcuris; res futuras à Prophetis quaſi per totidem Ænigmata fuiſſe prænuntiatas.

Hinc multo minùs mirum videri debeat, ſi in Fabulis deprehendantur Ænigmatum veſtigia, qualia ſunt, quæ Sphinx fabuloſum animal proponeret. Celebratur illud in primis, quod viatoribus prætereuntibus conjectandum reliquerat. Quodnam animal mane Quadrupes, meridie Bipes, ſerò Tripes; quod de homine cùm Oedipus explicuiſſet, illa ſe è ſcopulo præcipitem dedit. Quod genus obſcurarum quæſtionum inventum eſt, cùm ad faciendum in iis explicandis eruditionis doctrinæque periculum, tum ad percipiendam ex earum ſolutione ingenii & hilaritatis plena liberalem & dignam homine ingenuo voluptatem.

Quare fuit hoc in more poſitum, ut Ænigmata ſuper menſas in conviviis proponerentur, & auctoribus explicati Ænigmatis præmium lauta fercula contingerent. Quam conſuetudinem laudat D. Ambroſius. *Quoniam*, inquit, *in conviviis homines bene poti interdum loqui ſolent, & intemperantiùs alios proſcindere; quæ res in jurgia ſæpe rixaſque deſinebat. Id ne fieret, graves homines Ænigmata proponere ſolebant.* Cap. 4. in lib. Judic.

Ænigmata alia ſunt in Picturis, alia in Verbis poſita. De prioribus hìc agimus. Igitur Ænigma in Picturis, eſt Tabula, quæ ſub diverſis figuris ex Hiſtoria, vel ex Fabula depromptis, iiſdemque cognitis & ad ſe invicem pertinentibus, quarum præcipuè humanæ ſunt, obſcurè repræſentat aliquid aliud vel à natura, vel ab arte factum. Ita Moſes vimineo compoſitus in calatho & à piis parentibus Nili aquis expoſitus Oculum adumbrat & exhibet. Serpens æneus, qui, dum aſpicitur, vulneratos à ſerpentibus ſanat, repræſentat Pulverem Sympathicum, qui vulneratorum ſanguini aſperſus vulneribus è longinquo mederi dicitur.

Hujus definitionis pars eſt gemina: altera ad Tabulam Ænigmaticam, altera ad Verbum, ſeu rem quæ per Fabulam repræſentatur, pertinet. Quæ duo duobus articulis ſequentibus explicanda ſunt.

Articulus II.

De Tabula Ænigmatica ejuſque dotibus.

Primò. Tabula Ænigmatica quæ proponitur, Actionem aliquam vel hiſtoricam vel fabuloſam, quæ ab hominibus etiam non peritiſſimis agnoſcatur, debet repræſentare. Nam ſi merum pictoris figmentum, & notas nuſquam perſonas exhibeat, quod ferre de Tabula judicium ſpectator poſſit, aut quomodo de ſimilitudine quam habeat cum ipſa re, quæ tegitur, pronunciare?

Secundò. Figuræ illæ, quæ pinguntur, ita pertineant ad ſe ſe invicem, ut unum aliquid efficiant, hoc eſt, ut referantur ad unam actionem aliquam, ſive antiquam, ſive recentem, ſive ſacram, ſive profanam exhibendam. Igitur peccant illi contra Ænigmatis picti leges, qui eadem in Tabella perſonas pugnantes ac disjunctas loco, actione, tempore ſimul componunt.

Tertiò. Requiritur ut in Tabula ſit aliqua perſona princeps ac primaria, cui cæteræ ſerviant, & ad quam ita ordinentur, ut in eam verbum Ænigmatis, quod eſſe pariter oportet unum, poſſit cadere.

Quartò. Cavendum, ne omnes Tabulæ partes, inprimis perſonæ ſint Ænigmaticæ, quod nimiam obſcuritatem pareret. Quædam tamen imagines Symbolicæ non cenſentur obſcuræ, quia notæ ſunt omnibus, ut cum Vulcanus pro igne, Angeli pro ventis pinguntur. Hæc enim Symbola propter conſuetudinem ab omnibus intelliguntur, neque res illæ aliter pingi poſſunt.

Quintò. In argumento ſacro nihil immutetur; aut, ſi quid additur aut ſubſtrahitur, id veritati hiſtoricæ neutiquam repugnet.

Articulus III.

De Verbo Ænigmatis, ſeu de Re, quæ per Tabulam Ænigmaticam repræſentatur.

Hæ ſunt inprimis leges, quibus Ænigmatici verbi bonitas continetur.

Prima. Ut res per Tabulam Ænigmaticam ſignificata non aperta ſit & obvia, ſed operta atque obſcura; quam non quivis hominum de vulgo, ſed ſoli rerum iſtarum periti non ſine aliqua ingenii contentione, capere atque aſſequi poſſint.

Secunda. Ut illuſtris, non de trivio ſumpta; maximè ſi perſona, per quam adumbratur, ſacra ſit, aut nobilis; tamen neque tam gravis ac ſeria, ut nullum ingenio ac liberali joco locum relinquat.

Tertia. Ut una ſit ac ſimplex adeoque conveniat unitati ac ſimplicitati actionis, quæ picta exhibetur.

Quarta. Ut Verbum Ænigmatis in primariam Tabellæ perſonam cadat; &, quæ dicuntur cumque, referantur ad illud, & illi affinia ſint; quemadmodum perſonæ, quas exhibet Tabella, pertinent omnes ad aliquam perſonam principem & eidem ſerviunt.

Quinta. Ut res maſculini generis in viro, fœminini in fœmina adumbretur; hoc enim ratio ſigni perfecta, quo maximè conſtat Ænigma, poſtulat.

Sexta. Ut res Ænigmati ſubjecta non pingatur in ipſo Ænigmate, niſi hoc manifeſta neceſſitas exigat. Nam ſi, verbi gratia, Verbum Ænigmatis fuerit Oculus, fieri non poteſt, ut perſonæ ſine oculis pingantur.

Denique. Res per Ænigmaticam Tabellam expreſſa debet eſſe aliquid

vel à natura, vel ab arte factum. Hìc vero non erit ſupervacaneum brevem indicem attexere rerum illarum, quæ cùm in Naturalibus, tum in Artefactis numerantur.

ARTICULUS IV.

De Rebus cùm à Natura, tum ab Arte factis, quæ Verbo Ænigmatico aptari poſſunt.

Primum inter res naturales obtinent locum quæ ad Cœlum, ad Aſtra & Elementa pertinent, ut ſunt Fulmen, Cometa, Aurora, Diluculum, (*Le point du jour*) Aura ſerotina (*Le ſerain*) Iris, Grando, Eclipſis, Annus, Glacies, Ventus, Ignis, Tonitru, Vapor.

Secundum locum habent, quæ hominem ſpectant. Verbi gratia, Cor, Cerebrum, Coma, Sternutamentum, Oculus, Lingua, Auris, Manus, Vox, Verbum, Lachrymæ, Suſpirium, Riſus, Somnium, Febris, Podagra, Peſtis, Hemicrania, *La Migraine*.

Tertium, quæ ad animantes, Arbores, Plantas, Floreſque pertinent. Ubi obſervabis, pauca eſſe ejuſmodi, quæ locupletis & ingenioſi Ænigmatis argumentum ſufficiant; ſi Bombicem inter animantes, Pſittacum, Papilionem, Simium; inter arbores Palmam, Laurum, Malum Granatum, Lilium; inter Plantas Caffæum, Tabacum exceperis. His adde, quæ terræ vel mari innaſcuntur, qualia ſunt, Aurum, Hydrargyrum, Succinum, Adamas, Unio, Magnes.

Res naturales conſequuntur quæ ſunt Artefacta; in quibus alia ſunt ingenii partus, conſuetudinis, induſtriæ, ut Epiſtola, Calendarium, Tragœdia, Comœdia, Satira, Carmen, Scriptura, Lis, Epigramma, Epitaphium, Ænigma, Muſica, Echo, Arcanum, Gazetta, Pila, Alea, Scacchia (*Les Echets*,) Chartæ Luſoriæ, Oraculum, Lapis Philoſophicus, Solœciſmus.

Alia, quæ manuum operam atque miniſterium exigunt, ut conficiantur: ut ſunt Sal, Saccarum, Thus, Vinum, Cera, Balſamum, Purpura, Pulvis Sympathicus, Pulvis Tormentarius, Cuniculus Bellicus (*La Mine*,) Pyrobolus, (*La Fusé*,) Tormentum bellicum, (*Le Canon*,) Vinum Emeticum, Theriaca, Purpura, Vitrum, Papyrus, Enſis, Libra, Campana, Horologium Solare, aut Rotatum, Lyra, Tuba, Cithara, Equeſtris decurſio, Ars Typographica, Liber, Speculum, Scutum Gentilitium, Vexillum, Sagitta, Penicillus, Sceptrum, Corona, Moneta, Clavis, Calamus.

Virtutum omnium, quemadmodum & vitiorum, Artium item tam liberalium, quàm Mechanicarum nomina ab Ænigmate excluduntur.

ARTICULUS V.

Exempla quædam bonorum Ænigmatum.

Elias raptus in Cœlum, decidente pallio & baculo, Pyrobolus, ſeu ignis in altum miſſilis (*La Fusée*.

Vulcanus à Jove dejectus in terras, Fulmen, *La Foudre*.

Elias mortuo viduæ puero ſuperincumbens. Sigillum. *Le Cachet*.

S. Laurentius Craticulæ & igni impoſitus. Thus. *L'Encens*.

S. Ludovici Apotheoſis, quem Angeli hinc inde ſuſtinent ad Latera. Aut S. Ignatius Martyr diſcerptus à Leonibus hinc inde & à tergo inſilientibus, Chriſti nomen in corde gerens. Scutum Gentilitium. *L'Ecuſſon*.

Chriſtus Lazarum excitans è tumulo. Vinum Emeticum. *L'Emetique*.

Herodiadis filia ſaltans. Pila. *La Bale*.

S. An-

Digitized by Google

S. Andreas cruci affixus, aut Ixion rotæ. Podagra. *La Goute.*

Chriſtus in medio Doctorum. Liber. *Le Livre.*

Benjaminus, quem fratres ſui Joſepho nondum agnito offerunt. Libellus ſupplex. *Le Placet.*

Joſephus ſomnia Pharaonis explicans. Calendarium. *L'Almanac.*

Statua Memnonis oriente Sole Loquax. Horologium ſolarium. *Le Cadran.*

Chriſtus orans in horto, aut Pœtus & Aria inflictis ultro vulneribus commorientes. Suſpirium. *Le Soupir.*

Chriſtus reſurgens è tumulo exterritis cuſtodibus. Cuniculus Bellicus. *La Mine.*

Æneæ cum Turno certamen. Scacchia. *Les Echets.* Angelus Davidi mortem minitans cum flagellis. Cometa. *La Comete.*

S. Petrus aquis pœne demerſus & à Chriſto extractus. Sal. *Le Sel.*

Jobus in ſterquilinio. Pepo. *Le Melon.*

Althæa cum torre. Febris intermittens. *La Fiévre intermittante.*

Salomon cauſam duarum mulierum dijudicans. Cerebrum. *Le Cerveau.*

Herodias Joannis abſciſſum caput acu crinali pungens. Satira. *La Satire.*

Jaël Siſaræ caput clavo figens. Hemicrania. *La Migraine.*

Veturia ſuos Coriolano filios ſupplicis in morem offerens. Fletus. *Les Pleurs.*

Abigail Davidi ſupplicans. Lingua. *La Langue.*

Litigium Neptuni & Palladis de imponendo Athenis nomine; cernitur hinc exurgens Equus, inde naſcens Olea. Extemporalis ingenii partus. *L'Impromptu.*

Moſes Nilo flumini expoſitus in orbiculo vimineo. Oculus. *L'Oeil.*

Moſes junior in media Pharaonis aula oblata Regis inſignia proterens ac conculcans, aulicis partim ſtupentibus, partim frementibus ac minantibus. Cor. *Le Cœur.*

Serpens æneus erectus in deſerto & vulneratos à ſerpentibus ſanans. Pulvis Sympathicus. *La poudre de Cympathie.*

Orythia à Borea rapta, Girula. *La Girouette.* vel Moletrina velaris. *Le Moulin à vent.*

Eurydice redux ab inferis, & Orpheo reſpiciente evaneſcens. Somnium. *Le Songe.*

Ganymedes ab Aquila raptus. *Le Cerf-volant.*

Icarus in mare decidens. Vapor. *La Vapeur.*

Jacobus Eſau fratris veſtibus indutus. Larva. *Le Maſque.*

Venti in corio incluſi. Follis Luſorius. *Le Balon.*

Athlas Cœlum humeris ſuſtinens. Sphera. *La Sphere.*

Proteus à Menelai ſociis ligatus. Modus. *La Mode.*

ARTICULUS VI.

De Materia Ænigmatis.

Materia Ænigmatis ſunt res ex quibus Ænigma fit & componitur. Res autem illæ eruuntur ex comparatione actionis & perſonarum, quas Tabella oculis objicit, & rei illius, quæ in pictura obſcurè repræſentatur. Verùm quoniam ea comparari non poſſunt, quæ nullam habent affinitatem ac ſimilitudinem, tota ratio Ænigmatis, in perpetua ſimilitudine poſita eſt; & quanto major inter propoſitam Picturam, & Verbum picturæ ſubjectum deprehendetur ſimilitudo, tanto abſolutius Ænigma cenſebitur.

Igitur ubi ſemel Tabellæ verbum idoneum, vel Verbo, quod arriſerit, idoneam Tabulam aptaveris, hic tibi

tibi labor incumbet, ut varia inter rem utramque ſimilitudinis capita eruas atque explices. Hæc autem ſuppeditabit atque ſufficiet ipſa rerum illarum natura atque indoles, inter quas comparationem inſtitues; deinde affectiones earumdem, dotes, ſitus ac diſpoſitio, Symbola, circumſtantiæ tum cauſæ, effecta & alia quoquo modo ad rem pertinentia, quibus quaſi veſtigiis deprehendi ſimilitudo poſſit.

Hanc porro ſimilitudinem utrinque confirmabis Philoſophorum aut Philologorum teſtimonio, hiſtoriarum fide, Poetarum carminibus, aut alio eruditionis genere, ſi modo parcè ac ſobriè id facias, neque faſtidioſam doctrinæ farraginem, quæ in exercitatione joculari ac ludicra tædium ac ſomnum parit, ad nauſeam intruſeris. Sed hæc, quæ videri poſſunt obſcuriora, vel unius exempli appoſitione clariora fient ac planiora.

Placet Oculum pingere in infantulo Moſe, qui junceo in orbiculo compoſitus Nilo flumini exponitur. Ita ſimilitudinem inter utrumque demonſtrabis.

1. Status ac conditio puelli in orbe junceo compoſiti, quàm bellè repræſentat oculi ſitum, quem natura ſuo pariter in orbe concluſit, & oſſea compage contexuit.

2. Faſciolis Moſes aſtringitur, ne tenerum corpus vacillet, aut de viminea excuſſum cymbula ſubmergatur. Sua ſunt etiam Oculo retinacula; ſex muſculi ſcilicet, qui oculum vinciunt, & ſuo retinent in loco.

3. Sedula mater providit filiolo ſuo panniculos, qui corpuſculum protegerent, & ab aeris inclementia defenderent. Habet & panniculos, ſeu tunicas plurimas Oculus, quibus involvitur, Adnatam, Corneam, Pupillam, Araneam, ſeu Retinam.

4. Puer Moſes mediis aquis innatat; & Oculus pariter fluctuat varios inter liquores, quorum alius Vitreus, Aqueus alius, alius Criſtallinus appellatur.

Ab illa ſtatus ſituſque comparatione venies ad inveſtigandas pueri Oculique indolem & affectiones varias, in quibus ſimilitudinem oſtendes.

Candida fucique expers indoles pueri; ineſt & Oculo candor, qui neſciat cuiquam illudere.

In puero ſe prodit veritas, nec in ætatem iſtam cadit, quidquam ut diſſimulet. Eſt hæc Oculi virtus propria, ut ſenſus & affectus animi celare non poſſit.

Puer loquitur vel tacens, ac ſine voce diſertè explicat quod ſentit. Ut ſunt loquaces Oculi, vel ſi vocis uſum non habent!

Levitas innata Puero, odit, amat, iraſcitur, placatur, & in horas mutatur ſingulas; & Oculus mobilitate conſtans ſua eſt: languet, ardet, plorat, hilaritatem præ ſe fert.

Ingenita puerorum animis incredibilis rerum omnium curioſitas. Quam appoſitè ad Oculum, quem ſacri Codices viſu nunquam ſatiari teſtantur.

Puer facilè offenditur, irritatur. Oculus rerum pœne omnium offenſioni patet.

Jactura Pueri parentibus acerbiſſima. Quæ jactura gravior quàm Oculorum?

Jam ex perſona Moſis erui poſſunt cum Oculo ſimilitudines. Moſes ductor fuit populi Iſraelitici. Quid præſtat Oculus in corpore, niſi ducis officio fungitur?

Moſem habuit ille populus divinæ voluntatis interpretem. Oculus humanæ voluntatis interpres certiſſimus & ſincerum inprimis animi ſpeculum.

Moſes orator diſertus & efficax. Nec orator minus potens Oculus;

Digitized by Google

cujus facundiæ vix reſiſtere quiſquam poſſit.

Denique varios Oculi effectus invenies in miſerabili comitatu, quem pueri calamitas affligit, periculum exanimat, dolor incendit. Eſt enim ea vis Oculo, ut quos motus patiatur ipſe, eoſdem in cæteris efficiat. Igitur Pueri pater erectis in Cœlum oculis & manibus plenam commiſeratione fiduciam, mater filium exponens, dolorem ac metum; Jacobetha fraterculo amica figens oſcula, tenerrimum amorem exhibebit; quos affectus omnes ciet Oculus, & à quibus viciſſim afficitur.

Supervacaneum eſt alia attexere exempla, cum in Ænigmatis, quæ mox informata ſubjiciemus, idem artificium experiri facilè liceat.

ARTICULUS VII.

De Forma Ænigmatis.

Forma Ænigmatis nihil eſt aliud, quàm ornatus rerum earum, quæ explicando Ænigmati deſerviunt. Quæ enim indagavimus hactenus, non ſunt niſi rudis indigeſtaque totius operis moles, cui niſi cultura politioris ingenii acceſſerit, careat illud omni lepore ac gratia, qua liberalis iſthæc & plena amœnitatis exercitatio commendari ſolet. Itaque in eo Ænigmaticæ rei cardo vertitur, ut, quid ad ejuſmodi ornatum maximè conferat, breviter aperiamus. Cujus aſſequendi gratia omnem explicandi Ænigmatis ſeriem atque ordinem perſequamur.

Primò. Exordii loco præponenda vulgò graphica Tabellæ deſcriptio. Nam etſi actio, quæ pingitur, ſive hiſtorica, ſive fabuloſa, obſcura eſſe non debet, tamen non ſine voluptate aliqua revocatur animis illius memoria, maximè ſi non tam ſit obvia, ut à nemine ignorari poſſit. Adde quòd ejuſmodi deſcriptione, quæ verſibus fieri vulgò debet ut ſit concinnior, præparari ſolerter poſſunt & deduci ſenſim Auditorum animi ad excipiendum æquiùs arcanum quod Tabella tegitur.

Secundò. Aperiendum Verbum Ænigmatis; quod fit non infeliciter vel injucunda ſuſtentatione, qua mens auditoris ita ſuſpenditur, ut major excitetur rei latentis audiendæ expectatio. Vel vocem mox proferendam deſignando certis indiciis, ex quibus auditores arcanum inveniſſe potiùs, quàm ab Oedipo intellexiſſe ſibi gratulentur. Sed cave id ne inventum jactes, quod ſuſpicetur nemo, vel etiam ſuſpicari potuerit.

Tertiò. Exponendæ ſunt rationes ſimilitudinis, quas Tabellam inter & verbum Tabellæ ſubjectum deprehenderis. Id porro præſtabis, quantùm fieri poterit Diſthicis brevibus ac pœne ſingulis, in quibus providebis ſedulò, ut ſit aliquid quod pungat, aut elocutionis amœnitate permulceat. Quòd ſi fors offeret ſe aliquid, quod explicari fuſius poſtulet, & vel eleganti deſcriptioni vel fictioni poeticæ det locum; non erit abs re aut terſam Elegiam, aut brevem Oden, aut Hendecaſyllabum, aut etiam verſus heroicos pro varietate argumenti, quod tractatur, concinnare.

Quarto. Licebit nonnumquam Verbum Ænigmatis detorquere moralem in ſenſum, & præpoſteros hominum mores ſtrictim atque obiter carpere: ſed ea lege, nihil ut alienum à propoſito dixeris; ut ſtatim ad Tabellam redeas; ut neminem ſingillatim deſignes. Cavebis etiam objurgare vel ſenes, vel medicos, vel fœminas, multo minùs Magiſtratus aut alios homines in dignitate conſtitutos, quibus, quocumque in loco, ma-

maxima ſemper debetur reverentia, quam violare citra omnium offenſionem non poſſis.

Quintò. Perſonæ, quæ ſunt in Tabella ſecundariæ, vulgo præbent materiem explicandi cauſas & effecta rei per Tabellam expreſſæ; in quibus plurimùm confert habitus, conformatio, ſitus oris ac vultus affectio. Hoc præſtant etiam belluæ, ſupellex varia, & reliquus Tabellæ apparatus, in qua nihil debet pingi quod Ænigmatis explicationem non adjuvet.

Denique ſub finem reſumenda breviter quæcumque dicta ſunt, & unum quaſi ſub aſpectum ponenda. Quòd ſi nactus eris opportunam exornandæ fabellæ occaſionem, aut novum quempiam eventum, qui vel gratulationi, vel deſiderio det locum, felicem ejuſmodi clauſulam appones lucro.

Articulus VIII.

De ſtylo Ænigmatis proprio & reliquis rebus ad Ænigmatis explicationem pertinentibus.

Stylus Ænigmatis conciſus eſſe debet, non numeroſus aut periodicus. Item amœnus, vividus, exquiſitus, jocularis præſertim & figurarum luminibus ubique diſtinctus, qui ſtudium Auditoris irritet, incendat, extimulet.

Hinc placent illa Ænigmata, quæ explicantur à geminis Oedipis, inter quos Dialogus & Liberalis inſtituitur concertatio, dum infirmat alter, quod ab altero defenditur. Tunc enim locus eſt interrogatiunculis, lepidis reſponſionibus, apoſtrophis, cavillationibus, argutè & acutè dictis; quæ omnia tenendis ac delectandis animis ſunt idonea. Multo autem jucundiſſima accedere ſolet ejuſmodi contentio, quoties illi de ſenſu Ænigmatis opinantes varia, aut etiam contraria ſentientes, pro ſuo uterque vocabulo, tamquam pro aris ac focis dimicant. Puta, ſi in infantulo Jeſu nato recens, & in cunis poſito, alter Fletum, alter Riſum adumbrari contenderet.

Eſt hoc in more poſitum, ut qui Ænigmaticam Tabellam proponit, is, priuſquam ad eam explicandam accedat, adſtantes compellat humaniter, ſi quis forte partes Oedipi ſuſtinere velit; qui defunctus eo munere non ſine officioſa gratulatione dimittitur.

Articulus IX.

De Ænigmate in Verbis.

Ænigma in verbis nihil differt à Picto, niſi quod id pictura, illud ſermone continetur. Eſt enim Ænigma in verbo ſermo ingenioſus & obſcurus, qui rem vulgo notam tegit ac diſſimulat. Sit illud in exemplum:

Poſitus in alto vertice, hìc vigiles procul
Speculator excubias ago.
Natura fragilis eſt mihi; ac multo licet
Hinc inde vallatum aggere,
Et longa palorum ſeges tutum facit
Adverſus hoſtiles minas;
Nil me tamen præſtare ſecurum poteſt,
Tam ſum periclis obvius
Hoſti verendus interim inſpiro metum,
Flammaſque & ignes torqueo.
Res mira: mediis ſcilicet aquis innato;
Nec unda reſtinguit faces.

OCULUS.

Naſcentis ortu Regio quæ ſolis tepet,
Eadem illa Natales dedit.
Natum ſubinde terra quæ non vindicat,
Opeſque noſtras invidet?
Proh! qualem in uſum; quodve tormenti genus
Non patior inſons victima!
Parum eſt, quòd artus tale promeritos nihil
Adurit ignis torridus.

Se-

Semiuſta terrere membra mortales juvat,
Cinereſque delectant mei.
Mox merſor undis, ne qua pars miſero ſuper
Luenda pœnæ deforet.
Verùm quis in me non amet placidam indolem
Et ultionis neſciam?
Oblecto, recreo, paſco tortores meos;
Et vel ſepultus adjuvo.
Aut forte luctus ſi quis indicium mei
Supereſt amaror, is placet.

CAFFÆUM.

Hæ ſunt porro leges boni ejuſmodi Ænigmatis.

Prima. Ut verſibus iiſque vel Hexametris, vel Elegiacis, vel Jambicis deſcribatur.

Secunda. Ut ea adhibeantur plerumque verba quæ antiquitatem & eruditionem oleant.

Tertia. Ut in toto Ænigmate dominentur Antitheta ſeu contraria, quæ eidem rei conveniant, ad pariendam majorem obſcuritatem.

Quarta. Ut qua cœptum eſt, Allegoria eadem ſemper perſeveret.

Denique ut vulgò res ipſa loquens inducatur & dotes enumerans ſuas vel Oraculi, vel Epithaphii, vel Inſcriptionis in morem. Res patebit exemplo ſequenti.

MANUS.

Mihi quinque 1. creſcit dividum in ramos genus,
Quos una mater 2. edidit.
Ars una cunctis; nomen eſt idem omnibus.
Sed paria non ſunt munia.
Hic pollet inter cæteros, vitæ & necis
Olim ſupremus arbiter 3,
At Terminalis inſtar ille Numinis 4,
Quodcumque monſtrat indice.
Superbus alter cæteros ſupereminens
Dominatur alto vertice.
At tu protervum, 5. ſi ſapis, cautus fuge;
Ne fors in opprobrium incidas.
Sectare Quartum, pignus hic fidei gerit 6.
Certumque amoris obſidem.
Poſtremus auri amicus 7. & cordis quoque
Interpres eſſe dicitur.

1. Quinque Digiti. 2. Manus. 3. Primus Digitus Polles dicitur, quia multum pollet, & eſt reliquis fortior. Vocatur vitæ & necis arbiter, quia olim victis in arena gladiatoribus & veniam orantibus, ſi populus ignoſci vellet, erigebat pollicem, ſin è contra juberet mortem inferri, eundem contrahebat. Hinc Juvenalis, *& verſo pollice, quemlibet occidunt populariter*.

4. Secundus Digitus Index vocatur, quia eo utimur ad monſtrandum quidlibet; quo prope modo Deus Terminalis in biviis poſitus iter facientibus monſtrabat, qua pergendum eſſet via.

5. Tertius Digitus omnium altiſſimus, appellatur Protervus, quia erigi ſolebat in contumeliam, propterea infamis à Perſio nuncupatur.

6. Quartus Digitus dicitur Annularis, quia in eo geſtatur Annulus, datæ fidei monimentum.

7. Quintus ut omnium minimus auribus inſeritur, quibus mundandis inſervit; & huic nomen eſt Auricularis. Dicitur etiam Cordis interpres, quia per nervos ad cor uſque pertingit.

GRIPHUS non differt ab Ænigmate ſcripto, niſi ſolo nomine, inde dictus, quod verbis ambiguis, uti totidem retibus hominum ingenia irretit, à voce Græca γρῖφος, Rete.

LOGOGRIPHUS eſt Griphi genus, quo vox aliqua tegitur, cui variæ tribuuntur ſignificationes diviſis, vel detractis, vel trajectis Syllabis aut Literis, ex quibus illa componitur. Exemplum eſto.

Imbellis tota eſt, caput exime, vis erit olli.

OVIS.

Deme primam Literam, *O*, reſtabit, *vis*. Aliud ſubjicio.

Si

Si totum ſumas, nil ſanctius eſſe videbis. *Virgo*.
Tolle pedes, par ſum factus, Amice, tibi: *Vir*.
Ventrem Tolle, & pedibus fac hæreat apte. *R*
Oedipe, jam nil me fortius eſſe poteſt. *Viger*.

ARTICULUS ULTIMUS.

De quibuſdam aliis, quæ cum Ænigmate affinitatem habent.

REBUS. Eſt Pictura vel figurarum, vel vocum, vel Literarum, quæ actione ſua, colore, ſitu, diſſpoſitione, numero verbum aliquod, aut Paroemiam, aut aliquid ſimile ſignificat. v. g. Pinge vetulam orantem in ovali figura, habebis INOPIA. ſcilicet eſt in O, pia: vel Turrim hiantem ac fiſſam geminas in partes, efficies ſententiam illam Gallicam: *Mi tour à droit, mi tour à gauche*, vel diſpone Literas ſequentes ac numeros hoc pacto, 7. G. a. 8. exprimentt Gallicè, *J' ay grand apétit entre ſept & huit*.

HIEROGLYPHUS, eſt Symbolum, quod ſub figura animalis cujuſdam aut Arboris, aut rei alterius naturalis, quiddam ſignificat ex Philoſophia aut Theologia Ægyptiorum, qui Hieroglyphi auctores primi exſtitere. v. g. Serpens in orbem replicatus & capite caudam demordens repræſentabat aut Annum, aut Æternitatem.

EMBLEMA. Eſt Symbolum ex omnimodis humaniſque præſertim figuris compoſitum, & ad mores erudiendos comparatum, cui plerumque additur Epigraphe. v. g. Scævola impoſitam foco manum dexteram exurens. *Agere & pati fortia Romanum eſt*.

SYMBOLUM HEROICUM. Eſt Pictura certorum Corporum paucis vocibus conſtans, quæ rem aliquam ſingularem, cum qua habet ſimilitudinem, repræſentat. v. g. Qui ſignificare voluerit perennem fore Ludovici Magni memoriam, poſtquam è vivis ſublatus eſt, pinget Athmoſphæram ardentem adhuc ab extincto ſole, cum his vocibus: *Non totus periit*.

Sed de Symbolis Heroicis abundè diſputavimus in Libro de Symbolis.

T. bellã propone- ba: nobi- lis & in- genioſus

Digitized by Google

EXTEMPORALIS INGENII PARTUS,

vulgò

L' IMPROMPTU.

IN TABELLAM, QUÆ ORTAM NEPTUNUM INTER ET PALLADEM, DE IMPONENDO ATHENIS NOMINE, CONTENTIONEM REPRÆSENTAT.

TABULÆ EXPLICATIO.

ORta Neptunum inter & Palladem controverſia, utrius foret nomen Athenis ſuum imponere, in Tabella repræſentatur. In inferiore quidem Tabellæ parte, juxta litus Maris, hinc cernitur Neptunus elicitum valido Tridentis ictu, ac medio jam corpore prodeuntem è terræ viſceribus Equum exſtimulans. Inde Pallas exhibetur volitans in aere, & impacta fortiter in terram haſta, Oleam ſtatim educens. Viſuntur etiam è longinquo totius contentionis caput Athenæ.

Superiorem verò Tabellæ partem obtinet frequentiſſima Deorum Dearumque corona, geminum illud portentum eo animo contemplantium, ut alterutri Palmam ſtatim adjudicent.... Virgilius.... 1. Georgic.

INVITATIO.

(Tabellā proponebat nobilis & ingenioſus)

I. Natum recens Equum quis primus conſcendet?

II. Ipſe, ipſo dudum Eques.

I. Equeſtrem originem nemo negaverit, at Artem Equeſtrem hac ætate quis ſuſpicetur?

(Adoleſcens D. Abbas Jacobus le Vaillant; & eandē explicabat corā Sereniſſimo Principe & Emin. Cardinali Bullonio Princeps à Lotharingia Ducis d' Elbeuf filius, paucis cum Oedipo honoris gratia præfabatur.)

II. Malignum te Oedipum, qui verbum meum occuparis. Artem Equeſtrem cogitabam: piget jam fateri.

I. Feciſſe pœnitet: at feci imprudens.

II. Ut ut eſt: Ars Equeſtris eſt, vos, ſi latinè neſcitis, Auditores, (*C' eſt le Manege.*)

I. Mira narras. II. Agnoſce in Neptuno Artis inventorem, qui Equos moderetur, in Apolline aut Pallade Coronam, ſeu Lauream, ſeu Oleagineam: in Deorum cœtu ſpectatores Agonothetas. I. Ingenioſè hæc quidem: at mare quid ad Equum?

II. Equus meus mare tranſvolat, ut terris, ſic & undis natus: Pegaſus eſt.

I. Pegâſum credam, ſi alas addideris.

II. Alas quæris, vix dum natus eſt: expecta pauliſper ſtatim enaſcentur. Aut alæ ſi deſint, alites habeo tres

Aqui-

Aquilarum pullos, tria alarum paria ſufficiam.

I. At priſca ſunt iſta Poetarum commenta, ſæculo non ita credulo inaudita.

II. Alipedes ergo & Pegaſi genas Equos nec vidiſti nuper, nec audiiſti tam inſperata palma nobiles? *

I. Quanquam noſti ſatis, quale ſit iſtud Equi genus? Recens natus eſt, nunquam domitus.

II. Faciam ne indomitus ſit; tractabilem reddam.

I. Non eſt ille, ut putas, Alexandri Bucephalo ſimilis, qui Principem norit ſuum; imò ſi poetis credimus, ſeſſorem vix patitur: dejecit non unum.

II. Moroſos ille & inertes Poetas aut ſuccutit aut excutit, non ſolertes, non alacres heroas.

I. Dum heroes nihil metuunt ſibi, nemo ipſis non timet.

II. Scio quid velis.

* Sponſionem paulò ante fecerat aureorum mille Princeps Dux d'Elbeuf ipſius parens; niſi ſex Equi, quos alebat domi à portas. Honorati pervenirent Verſalias, & inde ad eundem locum intra unius horæ ſpatium reverterentur: & vicerat.

C' eſt un animal dangereux;
Il eſt retif, il eſt fougueux.
C' eſt un grand art que de le bien conduire:
Mais ſi le Ciel favoriſe mes vœux,
Tout fier qu' il eſt nous ſçaurons le reduire.

I. Nullus ego dubitem, quin te, ut Equo tractando, ſic & tractandis rebus habilem olim experiamur.

II. Manier les eſprits des differentes cours,
Attacher le ſuccès à tout ce qu' on protege;
Trouver pour chaque affaire autant de nouveaux tours;
Vous le ſçavez, Seigneur, * c'eſt un autre Manege.

* Cardinalē Bullionium præſentem deſignabat.

INVITATIO ALTERA.

Palladi victoriam quis gratulabitur?

ŒDIPUS.

Nam quæ ſereno fulget ab æthere
Non uſitati copia Luminis?
Vel quis repentino tumultu
Ingeminat ſonitus per auras?

Partes in ambas dividitur Polus,
Totuſque terris ingruit, & nova
Portenta viſuri beatas
Diique Deæque domos relinquunt.

Nimirum ab alto gurgite ſuſtulit
Genti verendum ſquamigeræ caput
Neptunus; & dextra potente
Terrificum quatiens Tridentem,

Terram minaci percutit impetu.
Percuſſa tellus ilicet abditos
Pandit receſſus, & feraci
Fundit Equum gremio frementem.

Quin & viciſſim parte alia ferox
Haſtam coruſcat Pallas & Ægida:
Blandumque amicæ Pacis omen,
Fert Oleam meliorem in uſum.

Urbs litigantes una facit Deos;
Et conſecrandi gloria nominis.
Tantumne poſſit vel ſupremas
Laudis amor ſtimulare mentes?

At non inertes cauſa trahit moras:
Lis tota prompto clauditur exitu:
Nec pertinacis longa novit
Jura fori, tetricaſque Lites.

Neptunus & Pallas

Ubi tam nova, tam repentè rerum miracula prodeunt, Auditores: non expectatis quidquam, opinor, vel longiori meditatum ſtudio, vel arte nimia elaboratum. Non fallam expectationem veſtram. Nihil affero, niſi quod ſubitum, niſi quod extemporale, niſi quod in promptu ſit... Verbum ipſum excidit, Auditores, arcanum imprudens vulgavi meum. (*C' eſt l' Impromptu.*)

Habetis igitur adumbratum, in hac Ta-

Digitized by Google

Tabella, id quod apud Gallos (*l'Impromptu*) dicitur; apud Romanos, etſi minùs commodè minùſque feliciter, Extemporaneus ingenii partus appellatur: nempe qui vividioribus animis, quibus nihil improviſum, veluti in promptu eſt .... Nondum intelligitis probè qualis ſit?... Ergo naturam illius atque indolem accipite.

Spiritus eſt: ollis vis ignea, ſegnia longæ
Neſcit damna moræ: patriis ſimul impete facto
Erupit latebris, cœloque potitus aperto eſt;
Præcipitem vis nulla tenet; cupiduſque videri,
Aut varias ſimulat calamo famulante figuras,
Aut blandè inſinuat ſub imagine vocis in aurem.
Vita brevis tamen eſt: vix natus, fulguris inſtar
Interit, & tenues ſubitò vaneſcit in auras.
Quo ſe cumque ferat, domus obvia panditur olli:
Ultroque excipitur nulli non commodus hoſpes;
Uſque adeo molles aditus & tempora novit!
Quin etiam ambiguum ſoboles incerta parentem
Si faciat, certiſque frui genitoribus optet;
Nulla mora eſt, multos habeat ſe prole beatos.
Scilicet huic ſincera fides, & neſcia fuci
Gratia, nativuſque lepos, riſuſque ſaleſque
Dant pretium; & novitas blandum irritamen amoris.

Neptunus & Pallas. Sed Tabella noſtra ipſa Poeſi diſertiùs loquetur. Contendunt inter ſe Neptunus & Pallas, utri jus ſit nomen ſuum Athenis imponere.... Inter contendentes, de ingenii laude præſertim, aut æmulatione gloriæ, naſcuntur felices illi & extemporales ingenii partus, quibus ab, *Impromptu*, nomen eſt.

Quin etiam ingenium tardis facit inſitus ardor
Laudis, & in ſubitos expedit ora jocos.

Palladem Neptunus aggreditur ac provocat: Pallas certamen non detrectat, ſed admittit ultrò. Hic Equum producit ex tempore, illa feliciore partu Oleam ſtatim opponit... Ab hominibus ingenioſis, ſi quid extemporale, ſi quid vividum, ac fidei non ſuſpectæ habere voles, alterum alteri committe: Quæ proferuntur à ſolis, & tanquam ex tempore nata jactitantur, fidem rarò faciunt ſagacibus viris, & extemporanei partus famam vix obtinent.

Pontice, vis lepidus, vis & feſtivus haberi?
Mille fluunt, inquis, cum placet, ore ſales:
Dic tamen, improbulo cum te quis dente laceſſit,
Cur ſtupet ad juſſos plumbea lingua ſonos?

Quare nemo nos arguat; ſi gemino quaſi ſub vultu extemporale dictum pinximus; atque hinc in erumpente protinus Equo, inde in naſcente ſtatim Oliva adumbretur.

At in ludicris ejuſmodi certaminibus utrius putatis potiores eſſe partes? an laceſſentis? an reponentis?... Mihi certè reponentis conditio placeat.

Compoſitæ ſeu fraudis habet, quicumque laceſſit,
Invidiam, & vulgò creditur eſſe nocens.
Sive fide meliore, & viribus eſſe putatur
Imparibus, partes qui regerentis agit.

Tamen ſi qui non ſentiant mecum; ad ipſos, quos hìc habemus judices, Deos appello.

Feſtinat Neptunus, & prodeuntem è terræ viſceribus Equum exſtimulat: nempè periculum in mora eſt. Res ipſi cum Pallade: Pallas Dea qualis & quanta!

Cur autem tam ſecura ſui Pallas, quaſi nihil à recenti frementis Equi prodigio pertimeſceret?..... Novit illa

illa nimirum quanti ſit, extemporaneis in rebus poſteriores ferre partes.... Qui priores laceſſunt, rarò meditati multo in otio operis ſuſpicione careant; aut illam effugiant affectatæ fœcunditatis famam, quam in Aulico providæ nimium ſagacitatis irridebat quidam non ingenioſè minùs, quàm verè.

Il met tous les matins quinze Impromptus au net.

Equo forti ac ſuperbo prælata ſimplex Oliva eſt: adeo, cùm de ingenio res eſt, extemporanei partus non dubia valet opinio! Oliva ipſa, Auditores, quæ Palmam tulit, oleum ſi ſaperet, pretium amittat.

At cur tam valido, vel haſtæ, vel tridentis ictu terra percutitur?... Sic eſt quorumdam ingenium, à quibus ne verbulum quidem exprimas, niſi quo ipſos aculeo pupugeris.... ſi ſtimulus acceſſerit, terreſtre ingenium ſtatim obliviſcuntur.

Si per amicitiam, craſſum, qui cogere poſſis,
Oras, ut lepidos proferat ore jocos?
Nil agis: aſt acri ſi ſcommate læſeris; olli
Dat brevis extemplo ſcomma referre furor.

Cur autem Tricuſpide telo Neptunus terram ferit? ... Acutè & ingenioſè dicta niſi multiplici ex parte pungant ac ſtimulent, videntur obtuſa; aut ſi una parte feriant, tam cautè ſtringat acies oportet, quàm acuta Minervæ cuſpis eſt... Neque enim juvat extemporaneæ fœcunditatis tam ambitioſè quæſita laus, niſi fœcunditatem comitetur acuta concinnitas.

Carmina quæ facimus, carpis, dicebat Eraſtus?
Neſcis quòd ſubitò deproperata fluunt?
O bone, quin geminos in carmina contereris annos
Facta videbuntur ſat citò, ſi bona ſunt.

Unde porro tam frequens Deorum Dearumque corona?... Si quid tibi natum in promptu ſit, idque coram teſtibus, extemporalis facti laudem feres. Quidquid ſecretiore in Muſæo partum ex tempore oſtentabis, non facies mihi crede, etiam juratus fidem. *Deorum Conſeſſus.*

Nil peperiſſe palam potis eſt ex tempore Balbus:
Plurima ſed Balbus parturit uſque Domi.
Quam pretioſa tibi domus hæc, ò Balbe, videri
Debuit, ingenium quæ dare ſola poteſt?

At quidem Jupiter ad rem noſtram?... An non ille primus extemporanei partus artifex; cujus è cerebro Pallas ipſa, Cataphracta, ut videtis, ſtatim exilierit?... *Jupiter.*

Mars autem & Apollo? .... Num & ipſi periti ambo extemporalis operis artifices? *Mars & Apollo.*

Multa facit Mavors, & Apollo ex tempore multa:
Hic lingua promptus, promptus & ille manu.

Verum quia manu Lingua promptior eſt; Marti præferendus Apollo cenſebitur. Quanquam ex quo milites Gallos Mavors nactus eſt, res longè aliter ſe habet.

Præſtitit hic paucis Gallo duce multa diebus:
Quæ non vel totis menſibus ille canat.

Et pueris erit etiam hic locus? Imò: laudantur præſertim in pueris extemporales ingenii fœtus, quia ſuſpectæ fidei minimè ſunt. *Cupido.*

Scilicet eſt teneris candor ſincerus in annis,
Et ſimplex blæſo ſpirat ab ore lepos.
Tuque jocos quamvis incredulus oderis omnes,
Quos puer ediderit, plauſeris ipſe jocis.
Nempe fidem in reliquis dubiam quæ plurima vulgò
Ars facit, in puero non habet ulla locum.

Adeſt

Digitized by Google

Venus. Adeſt commodè Pueri mater, ut ſi quid loquendo filius peccaverit, ſtatim aut corrigat, aut excuſet.... Hoc familiare matribus, ut ſi quis eſt in liberis nævus, cum vel benignè interpretentur, vel obtento velo occultent.

Provida ſic oculos Nati Venus obtegit, ut non
Diſpliceat, cœcus ſi videatur, amor.

Mercurius. In Mercurio, agnoſcitis, opinor, magnum Jovis & Nuncium, & interpretem; eundemque per varias orbis plagas perceleɓrem Legatum!... Qui Legati vices obeunt, quam juvat eos multa poſſe loqui ex tempore!

Nequicquam fuerint animo præviſa ſagaci;
Dicere quæ ratio dictitet, atque locus.
Irrita ſæpe cadet ſolere prudentia, ni tu
Noveris in promptu non meditata loqui.

Momus. Si perſpicaces oculos effugeret Momus, maledicam ipſius linguam vix effugeremus.

Momus adeſt: Momo quis doctior arte jocandi?
Aut miſcere jocis promptior ore ſales?
Ex illo gibbi, claudi, vitiiſque notati,
Quos ſubitò tegerant, perdidicere jocos.

Bacchus. Quid rerum agitat in hoc receſſu Bacchus? *Fœcundis calices quem non fecere dicacem?* Nimirum inter Cyathos quàm multa naſcuntur ex tempore! Hoc noverat vel ipſe bonus Ennius, qui nunquam niſi potus ad arma proſiluit dicenda. Nec mirum Auditores: nam Poetæ furorem alium verè non norunt, præter eum, qui ex poto meraciùs Baccho naſcitur... Quod de Caſtalio liquore ſpargitur, fabula eſt, mihi credite: nam frigida ſunt, ut plurimùm, quæ ſcribuntur aquæ potoribus; nec quidquam Poetæ pejus odere quàm lymphas. Hinc illa vatis cujuſdam cantilena.

Vos ò frigiduli valete fontes;
Vatum pernicies, valete Lymphæ!
Nam quid vos moror? aut quid invidendum
Totus jactitet hauſtus Hippocrene?
Eſt liquor fatui ſaporis ille:
Nec bonos facit, aut juvat Poetas.
Quin & igniculos benigniotis
Ingeni male perdit obruitque.
At vos ò Calices boni Lyæi;
Seu Burgundia quos calentiore,
Seu Campania lætiore partu
Fudit; ah! madidum eſſe tam beato,
Uſque & uſque juvat liquore vatem!
Veſtro numine plenus ut tumenti
Vena protulerim repente verſus!
Qui volet, colat invocetque Phœbum;
Qui volet, colat invocetque Muſas.
Aſt mihi placet invocare Bacchum,
Invocare bonas placet Lagenas.

Suam ut videtis ſuperioribus Geniis originem debent extemporales ingenii partus. Tamen cur in orbem invecta tam inſulſa jocorum eluvies? Poteſtne quidquam aut mimus conditum, aut etiam male ſalſum oriri ab iis, quos fortunatior quædam conditio mortalium capitibus impoſuit? ..... Rem totam ſinite, Auditores, fabula brevis enodet..

Defeſſus olim mole rerum Jupiter,
Fatis regendum, fama ſi vera eſt, ſuis
Permiſit orbem; dum fatigatum caput
Hilari Deorum reficit contubernio.
Cœlum repente magna voce perſonans,
Deos Deaſque convocat Atlantis nepos.
Olli advolant, ſummique denſantur latus
Circum Tonantis. Adfuit gratam manu
Pulſans Apollo Barbyton: Cypris adfuit,
Quam circum Amorum lætus glomeratur chorus.
Et tu perennis, Bacche, lætitiæ dator,
Et Tu jocorum, Mome, fœcundus parens
Aderas; & ipſe Mavors indulgens Jovi,
Ingrata bellis otia tantiſper facit.
Suis ut omnes aſſederunt ſedibus,
Fulmen tremenda Jupiter ponit manu,
Blandoſque vultus induens, cunctis facit

Plenam jocandi ridendique copiam.
Continuo riſus & ſales circumvolant;
Natiſque in ipſo tempore hinc atque hinc jocis
Se ſe laceſſunt invicem, & regerunt ſales
Facetiarum ratio, nec modus fuit:
Scurrilem namque luſus in proterviam
Degenerat, frigidiſque contumeliis
Certatur; ipſi parcitum non eſt Jovi.
Uſque adeo petulans creverat licentia!
Exarſit animis Rex Deum; & graviter ferens
Ludum inſolentem longiùs procedere;
Turbam in procacem ſtatuit hanc ſententiam
Dignum protervis ſalibus contubernium,
Per ſtagna juro Stygia, mox cunctis dabo;
Ubi veſtra ſe ſe jactet elegantia.
Malè feriato cum Poetarum grege
Inſulſa Apollo divides acumina.
Tu militares inter excubias, novus
Excubitor, Mavors, ludricam impune efferes
Dicacitatem. Te pop'nis vilibus,
Interque cyathos, Bacche, deinceps contine:
Ridebis illic, & jocabere, ut voles.
Tu, Ludionum, Mome, Scenas mimicas
Ornabis, & nova ſuggeres ſpectacula.
Per angiportus ibit, & per compita
Mercurius, plebi fatuos divendens ſales.
Tuque adeo, Cypris, belluli laudem ingeni
Stultè aucupata, quæ nugas præter meras
Nihil effudiſti: faſtus in pœnam, incoles
Cœptus ineptos, unà cum mulierculis;
Politioris quotquot elegantiæ
Quæſita ſtolidè fama ridiculas facit.
Nec plura: cœlo turba præceps labitur,
Et imperatam quiſque ſtationem petit.
Hinc eruditum multiplex hominum genus,
Malè ſalſa didicit ultrò dicta ſpargere.

De extemporaneo ingenii partu, quæ dici commodè poſſint, habetis Auditores. Indolem ipſius multiplicem, ſpecies varias, altam, aut potius cœleſtem originem exhibuimus. Quod ſi qua viſus eſt ſub forma, quæ non diſplicuerit, tuam ipſius imaginem, volentes nolentes expreſſimus, Sereniſſime Princeps, Cardinalis Eminentiſſime. Quanquam Extemporalem in dicendo facundiam & acutam concinnitatem non eſt quod gratulemur Tibi. Etſi enim concedis in ea re nemini, atque ubi de ingenio res eſt, ut politior te nullus, ita & expeditior videri poteſt: eſt aliud tamen extemporaneæ fæcunditatis genus, quod in te ſagaces viri prædicent & admirentur magis. In tractandis rebus eſſe ingenio tam fertili, tam prompto, ut ad eventus quoslibet nunquam imparatus accedas: habere ſemper in promptu, quod in unaquaque re factu ſit optimum: in ſubitis implicatiſque negotiis id cogitare ex tempore, id aggredi, id perficere, quod improvido quoque longioris cujuſdam & altiſſimæ meditationis partus eſſet; hoc porro tuum eſt, Princeps Sereniſſime: hoc in te Gallia probavit jam dudum; hoc verſuta ſæpius ſuſpexit Italia, hoc collecta Leodii Germania noviſſimè experta eſt.

PUL-

Digitized by Google

PULVIS SYMPATHICUS

vulgò

LA POUDRE DE SYMPATHIE.

IN TABELLAM,

QUÆ ERECTUM A MOSE SERPENTEM ÆNEUM IN DESERTO EXHIBET.

IRatus Hebræis Deus ignitos ſerpentes immiſerat, qui luctuoſam toto in populo edebant ſtragem. Illi converſis ad Deum ſtudiis oraverunt Moſem, ut iratum ſibi Numen placaret. Is precatus Deum Populi in gratiam juſſus eſt Serpentem Æneum erigere, cujus aſpectu, quot quot erant vulnerati, ſanarentur. Cernitur hinc atque hinc plurima languentium multitudo, defixis in Serpentem Æneum oculis, unde ſpes ſalutis, & vulnerum curatio promittitur.

Tabellam proponebant & explicabant Par Fratrum nobile ingenioſi Adoleſcentes D. D. Chomel quorum Alter in ſuperiori Conſilio Senator, Alter Epiſcopus Arauſicanus ſuis ambo partibus magna cum dignitate defunguntur.

INVITATIO.

Nemo tot ægris medebitur.

Vos quibus inflictum lethali vulnus ab angue,
Aut enſe, aut jaculis, vel adacto in viſcera plumbo,
Accipite hæc; certamque malis ſperate ſalutem:
Nemo hodie veſtrum mihi non ſanatus abibit.
Hic veterem Panacæam, hic verum aperimus Elixir,
Pandoramque iterum cœlo deducimus alto.

Le Jay, Tom. II.

Neque me vero Circulatorum è numero quempiam putatote, Auditores ornatiſſimi; nihil ego vos moror; ecce præſentiſſimum in tanto bellorum æſtu * vulneribus omnibus affero remedium; remedium dico, quale, neque Galenus aut Hippocrates, neque Melampus aut Chiron, neque Machaon aut Podalirius, neque Æſculapius ipſe, credo, ſi reviviſceret, hominum generi impertiat ſalubrius. Remedium, inquam, cujus vis ea ſit, ut nullo alio medicamine adhibito, membrorum inciſione nulla, nulla carnis aduſtione, vulnera vel deſperatiſſima, lethales quaslibet plagas abluat, purget, foveat, mitiget, detergat, glutinet, aſtringat, ſanet. Verbo dicam Pulverem Sympaticum vobis offero. (*C'eſt la Poudre de Sympathie.*)

* Tunc Galli in externo bello occupabantur.

Sympaticum igitur Pulverem habetis adumbratum in Serpente Æneo, quem Moſes erexit olim in deſerto, ut lethiferis ſerpentum morſibus mederetur. At quid Pulveri Sympathico cum Æneo Serpente convenientiæ eſt? Rogatis? Videte amabo, quàm cupidè Serpentem illum Hebræi, quot quot ſunt, omnes ambiant, dum à ſerpentibus reliquis tantopere refugiunt. Quippè innoxius eſt, imò paratum hoc communi malo remedium Moſes profitetur:

Rationes ſimilitudinis ſerpentē inter Æneum & Sympathicum Pulverem.

 Sat

Sat Lacrymis luctuque datum eſt, ſperate ſalutem,
Iſacidæ, miſeris dulce levamen adeſt.

Prima. Sympathicus Pulvis quid eſt aliud Auditores, niſi remedium?

Sit licet exiguus, magni medicaminis inſtar
Sympathicus, nobis credite, pulvis habet.

Secunda. Serpens Æneus non eſt remedium ejuſmodi, quod dubiam & incertam ſanitatem ferat.

Omnibus exangui vix ſpiritus errat in ore;
Omnibus haud dubiam ſufficit anguis opem.

Talem ſpondeo Pulverem Sympathicum, Auditores.

Quam nec ferre queant ſuccique herbæque potentes;
Eſt in Sympathico Pulvere certa ſalus.

Tertia. Apage jam iſthæc medicamina, quæ longiorem curam exigunt.

Erigitur ſublimè, & turba viſus ab omni
Protinus ignota ſublevat arte malum.

Et illa Pulveris Sympathici virtus non ultima, ut promptam afferat ſanitatem.

Haud ægros triſti patitur languere veterno;
Neſcit & inviſæ tædia longa moræ.

Quarta. Vulneribus ſolis Serpens Æneus medebatur.

Vulnera ſerpentes Lethalia mille ferebant;
Vulneribus totidem par ſatis unus erat.

Eadem Sympathici Pulveris indoles.

Cruda tibi fuerint ſi vulnera, pulvere noſtro
Utere; nulla mora eſt, ſpondeo, ſalvus eris.

At quàm divinum in ſerpente Æneo remedium eſt, quod etiam è longinquo ſanet! Quinta.

Diſſita languentum jaceat licet undique turba;
Attamen in cunctos inde medela venit.

Et hanc noſtri Pulveris præſtantiorem omnibus pharmacis virtutem agnoſcite.

Nil opus eſt læſos Pulvis ſpargatur in artus,
Abſenti didicit ferre benignus opem.

Sed age: cur remedium illud adverſus ſerpentum morſus paratum, Serpentis figuram exhibet? Sexta.

Vulnera qui fecit, ſanat quoque vulnera ſerpens;
Unde malum venit, venit & inde ſalus.

Commodè ad Pulverem Sympathicum, qui nunquam ſolet eſſe præſentior, quàm ſi cum ea re, quæ inflixit plagam, conjungatur.

Sparge ſalutifero funeſtum Pulvere ferrum;
Quod tibi cauſa mali eſt, cauſa ſalutis erit.

Deſerto arentique in loco Serpens Æneus erigitur.

Non hic læta ſeges, non creſcit fertilis uva;
Nec patulas arbor pandere viſa comas.

Et Pluvis Sympathicus deſertis & arentibus in terris enaſcitur.

Tellus plaude tibi: ſterilis licet, hoc tamen uno
Pignore, plus ipſa fertilitate places.

2. Quo uſque tandem abutere patientia noſtra, Frater? promiſeras venturum me aliquam hodiernæ laudis in partem: tamen oblitus mei to- (Accedit frater junior.)

Digitized by Google

totam tibi vindicas. Veſtram fidem, viri illuſtriſſimi.

1. Imò: ſuſtine adhuc tantiſper, ſuus erit jamjam locus experiundi quid poſſis.

2. Sentio: poſtquam rem exhauſeris, hoc dabis mihi ſcilicet, nauſeam ut pariam atque faſtidium. Næ Majoris natu partes tueris ut decet! ſic illi inſultant Minoribus.

1. Sine me inquam, Frater, eloqui pauca, quæ captum ætatis prætervolant.

2. Actum agis: jam occupaſti multa, quæ non commodè minùs, quàm feciſti, ipſe mihi videor fuiſſe dicturus.

1. Doleo, ita vivam, plurimùm: age ſis; ſuperſunt multo plura in quibus te exerceas. Fœcundum pectus concute, & de Sympathico Pulvere quid ſentias, nobis aperi, audiemus te perlubenter.

2. Non faciam, quandoquidem ita luſiſti me; ſed hoc habebo ſatis, ſi faceſſere tibi negotium poſſim!

1. Metuendum Te, ædepol, adverſarium!

2. Experiere Tu modò.

1. Naturam Sympathici Pulveris, vim, dotes eximias, & miram ad ſanandas plagas indolem accepiſtis, Auditores; jam quemadmodum Pulveris hujus beneficio vulnerum curatio fiat, niſi grave eſt, intelligite.

2. Videamus.

1. Pulvis ubi pannos, vel fuſo tincta cruore
Lintea, vel jaculi tetigit fatalis acumen;
Continuò, ſeu vis eadem eſt cognataque virtus,
Seu fauſtis oblata placent commercia fatis,
Addunt ſe ſocios, pulviſque & ſanguis in unum
Miſcentur, gaudentque pari ſe jungere nexu.
Ac vetus hoſpitium, patrioſque reviſere fontes
Ardet inexpletùm ſanguis memor: aera ſe ſe
Librat per medium tenueſque aſſurgit in auras.
Nec minùs interea ſequitur fidiſſimus ultro
Pulvis & ipſe comes; Zephiriſque faventibus, ambo
Deveniunt, ſtratis ubi grandi ſaucius ictu
Decubuit, dudum expectans fomenta dolori.
Nec mora partiti curas operumque labores,
Hinc atque hinc vario ex ſe ſe corduſcula niſu
Fundere amant, medicamque ſinu dant ubere prolem.
Hæc adeò totum facto impete, læta propago,
Implevere locum, & ſtudiis communibus ultro
Imperium exercent, fœdos agit inde vapores
Pars effuſa domo, limen pars altera ſervat,
Ne furtim ſubeat rima putris aer hianti.
Hæc ubi: pars melior totoque ex agmine lecta,
Pergit ad infirmum, & læſos illapſa per artus,
Inſinuat, ſenſimque per intima viſcera ſerpens,
Concretum expurgat, dictu mirabile, tabum.
Nec prius abſiſtit, toto dum corpore lentam
Peſtem abigat, revocetque ægras in priſtina vires.

Quid ais Frater?

2. Iſta, ne vivam, tam delicatæ tamque ſubtilis doctrinæ ſunt, ut non oculorum modò, ſed ipſam mentis aciem effugiant. Quanquam vide, ne plus æquo glorieris.

Namque tibi ſupereſt magnum maris æquor arandum;
Et tua per dubias cymba feretur aquas.

1. Mihi crede, Frater, in portu navigamus.

2. Dixiſti, ſi rite memini, adeſſe in Serpente Æneo Sympathicum Pulverem; in Hebræis vero vulneratos, qui divini illius, ut vocas, remedii, beneficio ſanentur. At video plurimos,

mos, illo qui non egeant, quibus nihil ſerpentes nocuere.

1. Intuere diligenter & omnia circumſpice curioſiùs; oculos, vultus, ora ſingulorum interroga.

2. Intueor, inſpicio, ſingulos interrogo. Nihil video, nihil deprehendo, reſpondent nihil.

1. Intus ineſt, Frater; latet alto in pectore plaga;
Nec dolet illa minùs, quo magis illa latet.

2. Myſteria loqueris mera!

1. Nihil ego miror, hæc ſi myſteria tibi ſunt: neque enim noſti per ætatem, quam latè pateat vis Sympathica, quà fit, ut amicis dolentibus, doleamus pariter; iiſdem emorientibus & ipſi commoriamur.

Quæ perimit natum, perimit quoque plaga parentem;
Vivere nec potis eſt ſponſa cadente viro.
Hinc gemit atque dolet; gemitu reſpondet amicus,
Parque laboranti cernitur ore dolor.

2. Apage mihi gemitus & lacrymas, Frater; malim ego lætari cum lætantibus, & ridentibus arridere.

1. Pertinet etiam, ſi neſcis, ad vim Sympathicam repentinus ille motus animi, quo variè afficimur in eos, quos neque noviſſe, neque vidiſſe uſpiam contigit.

2. Quid tu mentem occupaſti? Hoc ipſum, qui fiat, volebam interrogare. Audi me pauliſper; narrabo quid mihi non ita pridem contigerit.

1. Ego vero ac lubens.

2. Alcandrum vidiſti, & Fratrem ejus Menalcam?

1. Scitur uterque Puſiunculus.

2. Bene eſt, nunc vide quid velim.

1. Auſculto.

2. J'aime Alcandre, il eſt vray? mon cœur le ſçait aſſez;
Il m'en rend un bon témoignage;
N'en demandez pas davantage;
Je l'aime, il me ſuffit: mais pourquoy? je ne ſçais.
Je ne ſçaurois aimer ſon fere Menalcas,
Ni vaincre mon indifference;
Il n'a rien pourtant qui m'offenſe,
J'en conviens aiſément; mais je ne l'aime pas;

J'eſtois ſeul à rever proche d'un petit bois,
Lorſqu'une recontre impreveue
Offrit l'un & l'autre à ma veue,
Je les vis tous les deux, pour la premiere fois.

Pour Alcandre auſſi-toſt je ſentis de l'ardeur;
Et ſans plus long-tems me défendre,
Contre un penchant ſoudain & tendre,
Il fallut luy donner une place en mon cœur.

Le jeune Menalcas avoit de l'agrément,
Un air doux, de la politeſſe;
J'y remarquay de la ſageſſe,
Sans reſſentir pour luy le moindre empreſſement.

D'où pourroit donc venir cette inégalité,
Qui donne à l'un la préférences?
Je n'y vois aucune apparence;
Mais mon cœur après tout en ſçait la verité.

1. Magnum eſt illud, quod petis, Frater; tamen ne dubita, faciemus tibi ſatis. Audi.

Quos ſemel omnipotens celſi moderator Olympi,
Deſtinat unanimi conſociare fide:
Sponte ſua faciles coeunt in fœdera nexu,
Et nequeunt longas pectora ferre moras.
Ipſe animis tacitæ ſpargit bona ſemina flammæ;
Urit & innocua neſcia corda face.
Non eſt notus adhuc, tamen eſt jam dulcis amicus,
Vix oculis primùm ſiſtitur, ecce placet.
Nec lepos ingenio, nec abeſt ſua gratia fronti,
Nullus & in totó corpore nævus ineſt.
Nil hic lingua juvat ſanctum quæ juret amorem;
Ardet amans verbis ipſa præire fides.
Se ſe etiam in voces oculi, mora nulla, reſolvunt;

Et

Et dant, quos nequeat lingua referre, ſonos.
At licet hinc atque hinc ſtudio certetur amico,
Plura monet, qui cor erudit, unus amor.

2. Magnificè id quidem Frater: at pace tamen id dicam tua, videris vocare Deum tanquam è machina, difficultatem ut ſolvas meam.

1. Papæ! delicatioris Tu faſtidii frater! Tamen bene eſt. Accipe ſecretas & reconditiores rerum cauſas.

Funditur exiguus quocumque è corpore pulvis,
Et ſe ſe aera per profluus imber agit.
Non eſt vis eadem naturaque pulveris hujus;
Nec tamen ex toto diſſidet ille ſibi.
Hic dum præcipiti liquidum per inane volatu,
Spargitur, & variis itque reditque vias;
Si fors inciderit cognata in corpora, blandè
Inſinuans dulces ambit inire moras.
Nec ſatis eſt; tenero nectit ſibi vincula nexu;
Queis mage libertas nulla placere queat.
Hinc pietas & cana fides, hinc mutua creſcunt
Gaudia, & ignotos qui bene jungat amor.

2. Huc credo reſpexit Poeta Tragicus cùm cecinit.

Il eſt des nœuds ſecrets, il eſt des ſympathies:
Dont par le doux rapport les ames aſſorties
S'attachent l'une à l'autre, & ſe laiſſent piquer
Par ces je ne ſçay quoy, qu'on ne peut expliquer.

At enim, Frater, an viſus unquam tibi Pulvis ille Sympathicus, cui tam mirabiles effectus vindicas?

1. Imò; atque ut ne dubites, neve cuipiam tot Virorum illuſtrium fides noſtra ſuſpecta ſit. Ecce non mentitum coloribus, non ſimulatum in Ænigmate, ſed verum, ſed aſpectabilem germanumque Pulverem Sympathicum in pyxide nuper ab amico miſſum exhibemus.

Hic adeò Pulvis nulli virtute ſecundus
Extremo in noſtras venit ab orbe plagas.
Ambroſiæ ſuccos & odorum ſpirat Amomum;
Et quæ dives opum Balſama mittit Arabs.
Si quis lethifera violatus cuſpide; ſi quis
Membra venenato morſus ab angue fuit:
Hinc repetenda ſalus: dimitte Machaonas omnes;
Pulvere ab hoc veniet certa medela malis.
Tu modò præceptis maneas, & condita mente
Sedulus obſerves hæc mea dicta memor.
Si qua tibi fuerint ægri madefacta cruore
Lintea, ſi cuſpis cauſa caputque mali;
Irriguo immerges puro de fonte liquori;
Quo priùs infuſus Pulvis amicus erit.
Nulla mihi veniat divino è pulvere merces,
Prompta laboranti ni venit inde ſalus.
Et quanquam toto fuerit vel diſſitus orbe,
Abſens præſentem ſentiet æger opem.
Si quis noſſe volet pretium medicaminis hujus;
Non me auri cupidum ſordidus urget amor.
Felix ò nimium, veſtros hic Pulvis amores
Si valet illecebris promeruiſſe mihi!

2. Ah! ſiſte, amabo! Frater.

Vous le voyez, Meſſieurs, j'avois tort de me plaindre;
Pour lui faire ma cour, je devrois encore feindre;
Et ſans dire aucun mot endurer ſes mépris?
J'en appelle à voſtre juſtice;
Mon frere a trouvé l'artifice,
D'enchanter luy ſeul vos eſprits.
Fier & content de ſa victoire,
Il prétend à toute la gloire,
D'avoir par ſes amuſements,
Sçû meriter vos applaudiſſements.
On ne fera de moy cependant aucun compte;
Je ſortiray d'icy, le front chargé de honte;
Et pour fruit de mes ſoins, j'auray le triſte employ
D'écouter des douceurs qui ne ſont point pour moy?
Souffrirez-vous, Meſſieurs, cet injuſte partage?
Je me verrois privé de l'avantage
D'avoir eù part à vos faveurs?
Je n'aurois ſçeù trouver le chemin de vos cœurs?
1. Que dites-vous, mon Frere? un chacun vous admire,
Vous remportez l'honneur de nous avoir fait rire,
Et dans tout le pays Latin,
Il ne s'eſt veù jamais un plus joli badin.

OCU-

OCULUS IN TABELLAM QUÆ MOSEM NILO FLUMINI EXPOSITUM REPRÆSENTAT.

ARGUMENTUM TABULÆ.

Tabula Moſem exhibet, dum ab afflictis parentibus Nilo flumini exponitur. Cernitur hinc pueri pater, erectis in cœlum oculis & manibus, filii ſortem divinæ Providentiæ commendans. Inde mater deſolata junctis inſertiſque in ſe invicem manibus & fixo in terram aſpectu. Adeſt Aaron junior lacrymabundus territuſque, & ad ulnas matris adrepens, dum vagientem fratrem ponè reſpicit. Interim Jocabetha pueri ſoror affuſa ripæ fluminis Moſem extremùm amplectitur, ſuaſque fraterculi fletibus lacrymas permiſcet.

Tabellam proponebat nobilis & ingenuus Adoleſcens D. Boſc.

PROLOGUS.

Hei mihi! feralis circumtenet omnia luctus,
 Pars & ſollicito nullà dolore vacat!
Hic oculos, dupliceſque manus ad ſidera tendens,
 Propitiam gemitu ſupplice poſcit opem.
Hæc defixa ſolo, viſuque immota rigenti
 Torpet; & in nullas ſuſtinet ire preces.
Impatiens ruit illa mali, quò fervidus urget
 Impetus, & magno plenus amore dolor.
Ipſa etiam taciti ſecreta ſilentia ſaltus
 Conſpirant luctus ingeminare graves.

At at, Auditores Ornatiſſimi, quæ tam acerbì luctus cauſa eſt?

Scilicet Hebrææ Moſes ſpes unica gentis
 Creditur, heu! Phariis mox tumulandus aquis.
Parva licet tenui de cortice cymba puellum
 Protegat, & fluctus det ſuper ire vagos;
At non rector adeſt, curſum qui dirigat; abſunt
 Carbaſa, deſtituit remus utrumque latus!
Protinus aura levis vada per metuenda phaſelum
 Proruet, aut mediis præcipitabit aquis.
Quamquam ſollicitum pone, ò pia turba, timorem;
 Nil gravius puero, quod verearis, habes:
Æthereà Deus, ecce Deus, qui regnat ab arce,
 Atque hominum nutu fata potente regit;
Ipſe vices rectoris aget, tantoque phaſelus
 Soſpes, inoffenſum ſub duce carpet iter.

Sed quid hìc moror, Auditores? *Invitatio* Latet aliud quidpiam in hoc Puero myſterium; quis explicabit? Nemo? nemo, inquam? Tamen nihil hìc obſtruſum, Auditores, aut reconditum; nihil quod non offerat ſe ſe ultro ac manifeſtet etiam nolentibus: Cogitate enim vero quidpiam, quod ad Pueri naturam, indolem, mores accedat quàm proximè; quod ſimplicitatem Pueri, candorem, teneritatem æmuletur: quod vel infans, loquatur ut Puer, & animi ſenſus etiam tacens diſertiſſimè ſignificet; quod pueri more pronum ſit ad lacrymas; cui irritari, incendi, offendi tam facilè contingat quàm Pue-

ro:

Digitized by Google

ro: cujus periculum non piam ani-nùs ſollicitudinem, quàm filiolus hic parentibus, quam dilectis fratribus ac ſororibus fraterculus moveat; cujus jacturam æque omnes ac illi vereantur; quod amiſſum ſemel tam defleant inſolabiliter. Non capitis adhuc quid velim? Latet adhuc myſterium? Ergo rem vobis fingite, cujus eadem atque Pueri hujus conditio ſit, quæ mediis aquis innatet; quæ tunicis ac panniculis amiciatur; quæ duriori etiam protegatur cortice, atque ut etiam cum ipſo Moſe ſimilitudo non deſit ſua; quæ, uti ille ſedulus ac conſtans Iſraelitici populi ductor extitit, ſic & ipſa varias Ducis partes ac munia ſedulò ac conſtanter obeat. Verbo dicam, Auditores, ne vos longiore fatigem mora, hic Oculum adumbramus; *C' eſt l' Oeil.*

Oculi Natura & partes variæ in ipſa Pueri Moſis conditione adumbratæ.

Oculum, inquam, in Puero Moſe flebiles inter parentum gemitus, Fratris & amicæ ſororis lacrymas, Niliacis aquis expoſito vobis exhibemus.

Oculi ſitus.

Agite vel iſta infelicis Pueri conditio quàm belle naturam Oculi & partes varias repræſentat. Jacet tenellus infans vimineo concluſus in orbiculo, quem pia mater contexuit unicum in extremo periculo miſellæ ſobolis tutamen atque præſidium.

Ipſe etiam artifici pariter ſpectandus in orbe
Hinc atque hinc Oculus concluditur; oſſea circum
Compages tenerum valido tegit aggere corpus,
Et procul inviſos avertit limine caſus.
Quin & ſecuros aditus infraque ſupraque
Horrentes fecere pili; ſtant ordine denſo
Diſpoſiti, ſtrictiſque hoſtes mucronibus arcent.

Oculi propugnacula.

Faſciolis undique Puellus aſtringitur, ne tenerum vacillet corpus, aut de viminea excuſſum cymbula ſubmergatur.

Oculi Partes.

Et ſua ſunt Oculo retinacula: plurimus illum
Muſculus, in vincli morem, circum alligat; at non
Eſt pudor, aut durum pariunt ea vincla laborem.
Quippe ſuum venit hinc Oculo decus: inde moveri
A dextra lævaque habilis, ſurſumque deorſumque;
Atque agere alternos per mille volumina gyros.

Muſculi ſex.

At quàm providè ſedula mater conſuluit, ne Puero deeſſent panniculi, quorum beneficio decumberet molliùs, & ab aeris inclementia defenderetur ..... Et hoc quam pulchrè cadit in Oculum, quem ſui etiam panniculi ſeu tunicæ veſtiunt.

Artifices Oculis miro natura labore
Aptavit Tunicas, ne fors circumfluus humor
Diffluat, & latè rivis exundet apertis.
Hinc etiam vires Oculus trahit, inde nitorem
Comparat, & rebus venit aptior ipſe videndis.
Quæ cerebro propior, Fundæque volubilis inſtar,
Suſtentatque Oculum, capitique annectit, Adhærens,
Dicitur; & miſcens Albo flavente ruborem
Aſſimilat variis diſtincta coloribus Irim.
Proxima, duritiam cornuque imitata nitorem,
Cornea, nomen habet: ſuus hic labor, aſpera brumæ
Frigora, & incenſos Oculo prohibere calores.
Tertia *Pupillæ* nomen ſortita, vel *Uva*,
Tincta ſubobſcura ferrugine cingit & ambit
Totum Oculum, niſi quod medium pertuſa foramen
Exhibet; huc ſe ſe magno fert impete lumen,
Qua via ſit; radios ſed enim Pupilla micantes
Temperat, obtentaque nigranti nube refringit.
Tuque inter tunicas diceris *Aranea*, magnæ
Artis opus; tu ne ſpecies hinc inde vagentur,
Stringere amas, parvoſque obicis retinacula caſſes.

Oculi Tunicæ quinque.

Prima Adnata, ſeu Funda, Album Oculi, Iris.

Secunda Cornea.

Tertia Uvea, ſeu Pupilla.

Quarta. Aranea.

Ul-

Quinta Reticularis, ſeu Retina.

Ultima, cui proprium fecerunt Retia nomen,
Excipit objectas varia ſub imagine formas;
Nec mora; depoſiti cuſtos fidiſſima, rerum
Quas vidit, ſpectanda refert ſimulacra cerebro.

Aquis innatat mediis infelix Puer, & niſi Superum reſiſtat cura, triſtiſſimum brevi naufragium faciat. Quanquam funeſtum omen apage: res adhuc in integro eſt. Imò hæc eadem ferent ſalutem ac gloriam, quæ minitari periculum videantur. Eadem eſt Oculi conditio, Auditores; aquis & ipſe mediis innatat, quæ non modo nihil officiunt ipſi, ſed eundem adjuvant pariter & ornant.

Humores Oculi.

Aſt Oculum non eſt unus qui proluat humor,
Aut eadem natura; Vitri *a* fert ille nitorem,
Hic imitatur aquas; *b* ſed purior alter utrumque,
Cryſtalli *c* qui nomen habet, Cryſtallinus anteit.
Ille inter medius Vitreumque Aqueumque liquorem,
Concreſcit nitidi in ſpeciem formamque Lapilli
Durior, atque oculi centrum tenet; hic ubi ſe ſe
Objicit, anguſtumque facit Pupilla meatum.
At ne intromiſſi vis luminis acrior uſquam
Officiat; radios Aqueus priùs excipit humor,
Ac niſi refractos obtuſa luce remittit.

a Vitreus. *b* Aqueus. *c* Cryſtallinus.

Oculi naturam Parteſque adeo varias, ex quibus componitur, iſte Pueri jacentis inter aquas ſtatus exhibuit. Nunc in ipſo Puero, eodemque Moſe diverſas Oculi dotes atque affectiones intelligite.

Oculi Dotes & Affectiones ex perſona Pueri. Candor.

Candida mirum in modum fucique expers omnis Pueri indoles: accommodate omninò ad Oculum, Auditores.

Fucus abeſt Oculis, ſi vis illudere quemquam;
Ah! ne Oculos propiùs viderit ille tuos.

Veritas.

In Puero ſe prodit veritas; nec in ætatem iſtam cadit, ut curas animi, ſi quas patitur, diſſimulet. Et hæc virtus Oculi propria, ut ægritudines animi celare non poſſit.

Si quando tacitas coquit anxia cura medullas,
Ægraque veſano pectora felle madent.
Fruſtra diſſimules aliena fronte dolorem;
Lacryma ſollicitum prodit iniqua malum.

Loquacitas.

Puer loquitur vel tacens, ac ſine voce varios cordis affectus diſertiſſimè ſignificat ..... Ut ſunt loquaces & Oculi, vel ſi vocis uſum non habent! & quàm pronum eſt ex iis intelligere quid unuſquiſque ſentiat!

Si placet arcanos animi penetrare receſſus,
Et quæ ſub tacito corde repoſta jacent:
Nil opus eſt, ut lingua palam ſecreta revelet,
Signa dabunt, Oculos conſule, fida magis.

Sic eſt, Auditores; ſinceriſſimum animæ ſpeculum Oculi ſunt, nec feliciùs uſpiam deprehenderis, quibus illa cumque motibus conflictetur.

Quàm variè afficiunt animos dolor, ira, metuſque,
Spes, crudele odium, vel male ſuadus amor:
Tam varii turbant Oculos agitantque tumultus,
Alternantque vices, & fera bella movent.
Igneſcunt, odere, dolent, ſperantque timentque;
Et, cùm durus amor vulnera fecit, amant.

Levitas.

Innata Puero levitas & inconſtantia; odit, amat, iras temere colligit ac ponit; & converſis perpetuò in con-

Digitized by Google

contraria ſtudiis, ea deſpicit ultrò, quæ paulò ante cupidiùs amaverat.

Haud aliter cunctas Oculus mutatur in horas,
Et ſola conſtans mobilitate ſua eſt:
Languet iners, torpetque, graves mox ardet in iras;
Vix bene cœperunt gaudia, luctus adeſt.

Fletus. Ut gemit! ut plorat Puer infortunatus! quid mirum? Nihil Puero familiarius eſt, quàm lacrymæ. Et in Oculis, Auditores, ſuum eſt lacrymis receptaculum. Hinc varios in uſus diſpenſantur, nunc ut luctum, mox ut lætitiam ſignificent. At unde fit, ut in luctu tam frequenter, tam ubertim manent ex oculis lacrymæ; in lætitia tam rarò, tam parcè defluant? paucis accipite.

Sunt gemini fontes Oculis; fluxuque perenni
Plurimus hinc ſalſæ funditur imber aquæ.
Cuſtodes utrinque aditus & limina ſervant;
Hic Nomen riſus, ille doloris habet.
At non conveniunt animis communibus ambo;
Nec ſtudio peragunt munus uterque pari.
Prodigus hic laxas undarum effundit habenas;
Alter commiſſas ſervat avarus opes.
Hinc quàm ſæpe dolor lacrymas profundere geſtit,
Tam rarò lacrymas fundere riſus amat.

Curioſitas. Ineſt Puerorum animis ingenita quædam ac pœne incredibilis rerum curioſitas. Quàm bene & in ea re Oculus cum Puero conveniat, vel ipſi Codices ſacri teſtantur. Enim vero....

Nil oculum quidquam exſatiat; juvat uſque tueri;
Et, quo plura videt, plura videre cupit.

Offenſio. Offenditur facilè Pueri animus, incenditur, irritatur. Quis neſciat eam eſſe pariter Oculi indolem, ut rerum pœne omnium offenſioni pateat?

Ni qua tibi veniant blandæ faſtidia lucis;
Ah! caveas; Oculo vel levis aura nocet.

Luget Parens uterque, & ſinceriſſimis lacrymis Pueri fatum miſerabile proſequuntur. Quis hoc miſeris parentibus ſuccenſeat, quibus ſuaviſſimæ deliciæ filiolus eripitur? Nec levius ſui deſiderium Oculi pariunt, ſi cui dulciſſimo illo vitæ ſolatio carendum ſit. Jacturæ gravitas.

Ut gemit amiſſos infelix mater amores,
Nec venit in tantis ulla medela malis:
Sic Oculos fato quiſquis ſuſpirat ademptos,
Vix ferat aſſiduis queſtibus eſſe modum.

Imò tanto gravior iſthæc jactura eſt, quanto reſarciri minùs, vel compenſari poſſe videatur. Jactura irreparabilis.

Amiſſos nequiequam Oculos reparare labores;
Non habet hoc, redimi qua queat arte, malum.

At, at, Puer hic Auditores, tam propinquus letho, tam luctuoſo poſitus in ſtatu periculum evaſit tandem, & ille Moſes extitit tot rerum geſtarum gloria ſpectabilis. Belle, inquies: verum quid Moſi cum Oculo; quid Oculo cum Moſe convenientiæ eſt? Ductor Iſraelitici populi Moſes fuit. Ex Perſona Moſis.

Per nemorum latebras & per deſerta ferarum
Iſacidis Moſes dux ſtetit uſque viæ.
Hinc errare nequit populus; perque invia luſtra
Hinc certum tanto ſub duce tentat iter.

Quid præſtat Oculus in corpore, niſi Ducis officio fungitur? Oculus Ductor.

Quo te cumque feras, Oculus niſi verticè ab alto

Mon-

Digitized by Google

Monſtret, & incertam dirigat uſque viam;
Nil mage contulerit rutili Lux aurea ſolis,
Quam ſi ſol toto nullus in orbe foret.

Moſem habuit idem ille populus divinæ voluntatis interpretem, & intelligebat ex eo, quid præſcriberet Deus, quid vetaret. Ecquis humanæ voluntatis interpres certior, quàm Oculus, vel unde, quo quiſque pacto ſit affectus, feliciùs diſcas, quàm ex Oculo? Valeant illi Phyſiognomi qui ſe profitentur hominum mores naturaſque ex aliis corporis partibus pernoſcere.

Oculus ſtudii & voluntatis Interpres.

Naturas hominum ſi vis & noſcere mores,
Quid metuant, fugiant; quidve ſequantur, ament:
Ne ductus oris varios, neve inſpice frontem;
Aptave ſit naſo forma, decenſve minùs.
Non meruere fidem; ſignis malè creditur iſtis:
Frivola ſunt; ſæpe hæc fallere ſigna ſolent.
Aſt Oculo certa eſt fiducia; totus in arcto,
Quantus adeſt animus, pictus in orbe patet.

Moſes Orator diſertus imprimis & efficax: quoties ille iratum Hebræis Deum placavit, & paratum nocentum in pœnas fulmen excuſſit de manibus?... Nec Orator minùs potens Oculus eſt, Auditores.

Oculus Orator.

Ecquis erit quem non Oculi facundia vincat?
Quem non illecebris leniat ille ſuis?
Nequicquam ultrices meditaris fervidus iras;
Infrendenſque animis aſpera bella moves.
Molliter inflexos Oculus ſe verſet in orbes,
Flebilis irriguo guttula fonte cadat.
Arma cadent manibus, ponentque ferocia corda;
Ilicet agnus eris, qui Leo ſævus eras.

Reſtat ut effectus Oculi in hac tabella inveniamus. Commodè illi ſe offerunt in iſto miſerabili comitatu, quem Pueri calamitas affligit, periculum exanimat, dolor incendit.

Oculi Effectus varii in vario Pueri Moſis Comitatu.

Sic eſt Auditores; eam vim habet Oculus, ut quoſcumque motus ipſe patiatur, eoſdem in cœteris efficiat; neque ſe ab ea vi, quam infert, temperare quis poſſit.

Nemo oculo meliùs ſe ſe inſinuare per artem
Novit, & affectus, quos habet ipſe, dare.
Si dolor afflictum, vel ſi ſtupor urget inertem:
Te ſtupor urgebit protinus atque dolor.
Fleverit, & madidos lacrymis conſpexeris orbes;
Ibit & ex Oculis lacryma multa tuis.
Sollicitum ſi fors dedit anxia cura timorem;
Reſpice; ſollicitos ſenſeris ipſe metus.
Sin amat, ah! caveas; nuſquam præſentiùs ullas
Admovit miſeris ipſe Cupido faces.

Quoslibet motus excitat.

Quanto perculſus metu videtur hic Puer! ut ad aſpectum fraterculi totus perhorreſcit!

Eſt hic etiam effectus Oculi maximè ſingularis, Auditores, ut incutiat metum; & ſplendore nonnunquam ſuo fulguris cujuſdam inſtar percellat. Sic Oculis, tam vividis præditum fuiſſe Cæſarem Auguſtum ferunt, nemo ut irretorto vultu ſuſtinere ipſius aſpectum poſſet. Hinc apud Poetas de Jove dicitur, *& totum nutu tremefecit Olympum*.

Metum efficit.

At unde vis in Oculis tanta eſt? unde tantum roboris ad ciendos quoslibet motus acceſſit? Iſtud ni grave eſt, Auditores, coronidis veluti loco narrabimus.

Unde vis in Oculis tanta.

Olim Prometheus Principem dùm conderet
Limum peritus artifex:
Suiſque totum partibus compingeret;
Fertur reciſas undique
Ferarum ab omni gente portiunculas
Noſtro addidiſſe pectori,
Fecunda belli litiumque ſemina,
Mortale quæ vexant genus.

Fabula.

Hinc

Hinc ira diſcors nata, livorque impotens
Aurique maleſuadus furor:
Hinc crevit odium, ſpeſque, & exanguis metus;
Hinc dira curarum cohors;
Et quæ pudicis moribus labem illinunt,
Inſana mentis gaudia.
Breves per annos cordis anguſtos ſinus
Fatalis incoluit lues.
Nec amplioris appetens regni ſuis
Se tenuit ultro ſinibus.
At mox latebris puduit inviſis premi;
Junctiſque in unum viribus,
Præceps caterva cordis è repagulis
Prorumpit, & geſtit palam
Prodire; verùm pectus extra qui ferant,
Dum quærit aditus pervios;
Oculos patentes invenit: nulla eſt mora;
Huc turba tota convolans
Amat in aperto caſtra metari loco,
Et inde vires promere.
Quin & moveri docilis & ſe quolibet
Dum pariter Oculus abripi;
Tumultuoſi, quod gerunt, belli in genus,
Hinc arma vires & parant:
Viciſſim & iſtis Oculus hoſpitibus ferox
Ciere tot turbas ſolet.

L I N G U A

IN ABIGAILE ADUMBRATA

QUÆ IRATUM CONJUGI SUO NABALO DAVIDEM

P L A C A T.

TABELLÆ ARGUMENTUM.

Tabella Abigailem exhibebat, quæ properanti Davidi ad evertendam Nabali conjugis ſui domum, à quo ſpretus inſigniter & iniquam paſſus repulſam Rex fuerat, ſupplex occurrit cum muneribus, eundemque Marito ſuo placatum reddit. Cernitur hinc David Equo inſidens ſtipatuſque militibus, inde proſuſa ad ipſius pedes cum tota familia Abigail, &, quæ Nabalus cibaria Regi abnuerat, ultro deferens.

Tabellam proponebat & explicabat Nobiliſſimus & ingenioſiſſimus Adoleſcens D. De Lamoignon, qui Oratoris Regii partibus defunctus primùm in Senatu nunc ſedet inter Præſides inſulatos. Is cùm præfixo explicandis Ænigmatis tempore ſuas non obiiſſet vices, quia Illuſtriſſimus ipſius parens in Occitaniam diverterat viſurus Fratrem amantiſſimum, qui totius Provinciæ Præfecturam per tot annos tanta cum gloria exercuit; feſtæ diei ſolennitas ad ejuſdem reditum dilata eſt. Hoc ipſum innuit Par Adoleſcentem nobile qui ſcenam aperiunt, & in Oedipi Tabellam aliquid honoris gratia præfantur: quorum Alter erat D. Chauvelin priùs in Senatu Orator Regius nunc in eodem Præſes inſulatus. Alter D. De Coetlogon nunc Comitis de Coetlogon nomine cognitus. Auguſtus Senatus pœne totus conſeſſum ſua præſentia cohoneſtabat.

PRÆLUDENTES OEDIPI.

1. O factum bene! ecce nobis iterum ſiſtitur Abigail: &, quam noſtris ereptam oculis, cùm maximè videri debuiſſet, doluimus, eadem ſpectanda propiùs objicitur! Quid tibi videtur, Amice?

2. Æquum cenſes, ne vivam: & quidem quanto videbatur Tabella pulcrior, tanto ferebam graviùs,

quod

Digitized by Google

quod celaret illa myſterium, diutiùs ignorari.

1. Et hæc me cura ſollicitabat mirum in modum, dum cæteri pro ſe quiſque nuper agerent Oedipos, non adeſſe Amicum noſtrum, quem à ſolenni concertatione clariſſimi parentis abſentia removeret.

Namque ubi es, ajebam? cur gaudia noſtra moraris?
Quis tenet externa te, Lamonæe, plaga?
Si tua chara tibi ſoboles; (nam debuit eſſe,
Tam bene jam patrium docta referre decus;
Scilicet ingenium eſt, & doctæ copia Linguæ,
Verbaque vel Latio ſuſpicienda foro.)
Cur tua ſperatos differt abſentia plauſus?
Quæ lentas potuit nectere cauſa moras?
Te quoque læta manent feſtæ ſpectacula lucis;
Nec ſine te pleno pompa decore nitet.
Ergo veni; noſtris quæ te contraria votis
Fata peregrinis detinuere locis?

2. Juſtas, ædepol, querelas, Amice: & ipſe pariter, ſi bene memini, dolebam non mediocriter ſubſtrahi nobis feſtivæ diei partem longè optatiſſimam.

1. Piget narrare ulteriùs, quod ſentiebam; adeo indignabar ego tacitus procraſtinari ſpes noſtras, & abire amico noſtro hunc diem ſine publica gratulatione.

Quin etiam vota imprudens pœne impia feci;
Vota, reor, faciles non habitura Deos.
Cur geminos dixi tantum concordia Fratres,
Aurea cur conſtans pectora jungit amor?
Quidve Bavillæus rebus tam dexter agendis;
Quid ſpectata viri fama fideſque juvant?
Si virtus ſpectata viri, ſi fama fideſque
Fiunt, quod querimur, cauſa caputque mali.

Ah! niſi tanta foret meritorum gloria, non jam
Abforet à patrio Frater uterque ſolo.
Ah! ſineret ſi fratris amor, ſpectator adeſſes;
Nec ſine te fluerent hi, Lamonæe, dies.

2. Prudenter tu quidem, iſta dum ſubiratus precabare, nunquam te damnandum votis prævidiſti; neque enim ii ſunt Fratrum par nobile, quos inſtitutæ virtutis aliquando pœniteat...... Sed age: velim ego te Judicem eſſe conjecturæ cujuſdam, quam feci ſtatim, cum primùm exhibita palam Tabella eſt, & ſparſus ſubinde rumor dilatam eſſe myſterii explicationem.

1. Iſtud porro, quidquid eſt, facito, velim, ut ſciam.

2. Credo vel in Tabella vidiſſe me, ſi minùs veram ac germanam, aliquam certè nec levem dilationis cauſam.

1. Mentem explica.

2. Perpexiſti diligenter quidquid hìc agitur rerum?

1. Video Davidis ad conſpectum jacentem ac proſtratam Abigailem, & pro Nabalo conjuge pœnas, quas ille meruerat, ſuppliciter deprecantem.

2. Hoc ipſum eſt quidem: aſt aliud quidpiam auguror, quod neſcio an advertas ſatis?

1. Quid iſthuc eſt?

2. Verbo dicam, Lis hic depingitur, *C'eſt le Procés*.

1. Litem ais?

2. Litem, inquam: & Litem ejuſmodi, quæ niſi apud Judices primariæ nobilitatis, quales ſunt illi, qui cœtum hunc noſtrum cohoneſtant, dirimi, vel componi minimè potuiſſet.

1. Si res ita ſe habet; conſultum prudenter ab Oedipo noſtro, qui controverſiæ hujus judicium ad hoc uſque tempus diſtulerit. Tamen quid videtur tibi in hac cauſa, quod

Digitized by Google

quod talium judicum præſentiam requireret?

2. Rogas? Scilicet hinc rex maximus cum exercitu fortiſſimo, inde Abigail cum imbelli comitatu Lite contendunt.

1. Feliciter: habet infelix Abigail quod gratuletur ſibi: & hìc habemus judices, quos nulla perſonarum ratio vel dignitas inflectat.

Quiſquis eris, ſi jura favent, tibi vincere certum eſt,
Lancem æquo librat pondere ſancta Themis.

2. Adde, quòd natura Litis hujus ambigua eſt, neque jus obvium ſatis, ut perſpici continuò ac dijudicari valeat. Etenim ſuis ſe David, ſuis ſe & Abigail rationibus tuentur.

Ulciſci dum jura parat, ſi vincere dignus:
An meruit vinci, quæ nihil auſa fuit?

2. Bene eſt: Et judices nacti ſumus tam oculatos ac perſpicaces, cum res exigit: quàm ubi jus & æquitas poſtulant, cæcutientes.

Quæ vidiſſe nefas, caſtis defendit ocellis,
Faſciolaque Themis lumen utrumque tegit.
Aſt eadem, ſi verum opus eſt ſecernere falſo,
Nil inviſum Oculis ſuſtinet eſſe ſuis.

2. Quid tu de mea illa conjectura?

1. Inventum ingenioſè, feliciter excogitatum!

2. Putas attigiſſe me ſenſum Ænigmatis?

1. Equidem iſtud non putem; latet reconditius quidpiam, quod non pervidiſti.

2. Tamen ſatis bellè quæ diximus hactenus conveniunt cum Lite; neque tam operoſum eſt reliqua perſequi, ſi voles.

1. Experiamur: quid diceres de Pueris illis?

2. Pueri indoles naturam Litis atque indolem mirificè adumbrat atque exprimit.

Parvulus ut Puer eſt, ita Lis quoque parvula primùm;
Major deinde Puer, Lis quoque major erit.
Poſtquam anni fecere virum, Puer alter ab illo
Naſcitur; & Litis Lis quoque ſæpe parens.
Ac velut æternos vidit domus una nepotes;
Æternam Litem ſic videt una domus.
Sæpe Puer patris rem decoquit: & vorat amplas
Stultæ Litis amor non faciandus opes.

1. Quid iſta porro ſupellex ad Litem? vaſa aurea, fruges omnis generis, cibaria?

2. Supellex, mihi crede, ad Litem non tam inutilis, ſi apud ſeveros minùs & minùs incorruptos judices res ageretur.

1. Eſt, ut dicis; neque opinor Illi tam malè ſufficerent Fabellæ locum, quam, ni te pigeat, qualis jam venit in mentem, recitabo.

2. Tam gratum erit id mihi, quàm ſcio fore viris, quotquot hic adſunt, ornatiſſimis.

1. Auſculta.

Dum Plutus olim Themide certat arbitra;
Et jus iniquum ſequitur, cauſam perdidit:
Iratus inde quærit vindictæ locum.
Olli Cupido, blandus & Amorum chorus,
Quos illa pariter ſpreverat, ſpondent opem.
Factoque in Unam coeunt omnes fœdere.
Tum molle vellum fortè ponebat Themis,
Quo tegere ſuevit Oculos, dum folio ſeder,
Æquaque dubium librat examen manu.
Vidit Cupido; protinus & Plutum admonet.
Nactique tempus faſciam furtim auferunt:
Rati quòd auri fulgor, & Cupidinis
Illecebræ Temidis oculos jam perſtringerent,
Spoliata velo cum demum foret ſuo.
Furtum illa ſenſit; blandùm & ſubridens Dea,

Digitized by Google

Tanto, inquit, meliùs! veſtros nam poſt-hac dolos,
Malas & artes poſita, ſpero, faſcia
Videbit Themis, & caſtigabit pulcriùs.

Les yeux toujours ouverts deſormais pourra mieux,
De vos deſſeins pernicieux
Connoiſtre & punir l'artifice.

2. Jam, credo, videri poſſum alicujus nominis, ſi modò verum eſt vetus adagium; quandoquidem rem in eandem tecum, Adoleſcente tam ingenioſo, incidi. Atque ut ne dubites, quam narraſti modò Fabellam verſibus ſenariis, eandem ego carminibus etiam liberioribus dicere meditabar.

1. Fortunatum me potius ea ipſa re, qua te Beatum putas: age. Audiemus perlubenter.

2. *Plutus, dit-on, plaidant devant Themis*
Perdit un procés d'importance.
Il avoit tort: mais il s'eſtoit promis,
Faute de droit & de prudence,
Que l'or & que l'argent avec beaucoup d'amis
Feroient en ſa faveur trebucher la balance.
De cet affront ſongeant à ſe venger,
Dans ſon party Plutus ſceût engager
Le jeune Cupidon & toute ſon eſcorte:
Chacun promit de lui preſter main forte:
Car tous dans leurs emportements
Condamnoient de Themis les mauvais traitements
Un jour que la ſage Déeſſe,
(Aprés avoir jugé d'un cas litigieux
Entre le Défendeur & la Demandereſſe)
Dérachoit le Bandeau qui lui couvre les yeux,
Plutus & Cupidon de loin s'en apperceurent;
Et l'un & l'autre auſſy toſt crurent,
Que du voile ſacré s'ils pouvoient ſe ſaiſir,
C'eſtoit fait de Themis: qu'ils auroient le plaiſir
De l'éblouir par l'éclat des richeſſes,
De la faire mollir par leurs douces careſſes.
Auſſy-toſt dit, auſſy-toſt fait.
Animé par l'eſpoir d'une telle conqueſte,
Cupidon fend les airs: & plus viſte qu'un trait
Court au Bandeau, l'enleve, en couronne ſa teſte.
De ce projet audacieux
Themis par un ſouris confondant la malice,
Hé-bien, dit-elle, hé-bien, la ſevere Juſtice

Ut expoliiſti tu bellè quod ego rudiore manu tantùm adumbraveram.

S. Sed ad Tabellam, quæſo, noſtram redeamus. Si quid eſt tamen quod explicatum ſatis nondum videri poſſit.

2. Excute, per me licet.

1. De Equitibus illis nihil dixiſti; quid, amabo, pertinent ad Litem?

2. Commodè.

Quem Litis maleſanus amor deducit in Urbem,
Fervidus effrenis ire videtur Equis.
Idem heu! abſumptis longo in certamine nummis,
Cogitur, amiſſa Lite, redire pedes.

1. At ecce myſterii quidpiam non vulgaris latet in iſto homine; qui poſito ad Os digito ſilentium videtur imperare.

2. Imò, res patet: Apparitoris ille vice fungitur; qui, dum orantur cauſæ, obſtrepentes ſilere jubet.

1. Apage genus hominum ipſis obſtrepentibus moleſtum magis.

Pacem importuno quid præcipis uſque tumultu?
Ipſe tace: toto pax erit alta foro.

2. Quamquam, ſi me audis, aliud quidpiam iſte videtur admonere.

1. Cedo.

2. Ne, quam fecit amicus noſter dicendi copiam, ea diutiùs abutamur.

Odioſum ſemper & inviſum Litis vel ipſum nomen, Amantiſſimi Sodales. Vos differendo Litem effeciſtis tam amicam tamque amabilem, ut naturam atque ingenium mutaſſe prorſus videatur. Verum moviſtis aliud Litis genus, de qua neſcio, *Oedipus.*

num

num judices, quotquot hic adſunt, quantumvis oculati pronunciare facile poſſint. Quippe certarunt in utroque paribus animis ingenium, lepor, urbanitas, elegantia, & principatum in vobis dotes illæ ſingulæ ſibi vindicant. Ego certè multo minùs præſumam rem decidere. Hoc habebo ſatis ambobus gratulari; Tibi quidem emerito Rhetori ac ſocio chariſſimo, quod ad Theatrales plauſus, qui tibi nudius tertius dati ſunt, novum hodie incrementum feceris; Tibi vero Rhetori Candidato & amico veteri, quod exemplum æmulatus amantiſſimi Fratris, cui Philoſophorum in palæſtra triumphanti nuper ab omnibus acclamatum eſt, tuas ipſius in hac concertatione partes tam glorioſè ſuſtinueris.

D. de Coetlogon. D. Chauvelin.

D. de Coetlogon. Neque nos ſilebimus geminæ illius Laureæ gloriam, qua decoratus ipſe in eodem Theatro tubis accinentibus pro conſtanti ſemper more tuo inceſſiſti.

D. Chauvelin. Malim Ego Fortunæ vel cœcitatem vel malitiam accuſare, quæ plures Tibi, & pares ingenio atque eruditioni Laureas inviderit.

D. de Lamoignõ. Novum hoc benevolentiæ erga me veſtræ teſtimonium grati animi plenus accipio: impenſas, etiam ſupra meritum, laudes, ut par eſt, fero.

Invitatio. Depoſitum habemus apud mulierem arcanum noſtrum? quis eliciet?

Prologus. Nemo? Nemo hercule?...Nemo?... Næ mirum illud eſt, Auditores ornatiſſimi, non offerre ſe quemquam, qui rogare Fæminam de arcano confidat! Næ mirum illud multo magis, quòd illa tam religioſè tenax fuerit arcani, ut etiam non rogata arcanum non vulgaverit. Et hoc adjicite, Viri Illuſtriſſimi, quod valet plurimùm ad laudem conſultæ mulieris, & ſingularem raræ taciturnitatis commendationem. Eſt enim arcanum noſtrum ejuſmodi, ut ægrè teneri poſſit ex ſe ſe, ut rimarum ſit plenum, ut hac, illac totum diffluat; verbo dicam, ut loquaci quavis muliere meritò dicatur ipſum loquacius. Rem nondum pervidetis? hæretis etiam atque etiam? nihil Oculos, nihil aures perſtringit? O miram arcani fidem! ò te dignam ædepol, Abigail, quæ Davidem exores, & iratum Nabalo conjugi tuo placatum reddas! At at ſatis eſt myſteriorum, Auditores: tempus eſt, ut arcanum noſtrum prodeat in lucem: nihil vos moror; quale ſit illud, accipite.

Res eſt parva quidem; potuit ſpernenda videri,
 Attamen in tenui corpore grande decus.
Seu meruit, faciunt ſeu nulla piacula ſontem,
 Multi illam nexus, vincula multa ligant.
At non dedecorant, neque ſunt ea vincla pudori:
 Libera de vinclis imperat illa ſuis.
Multiplici frenata licet circum undique vallo,
 Tranſilit objectas, qua placet ire, moras.
Fruſtra illam invicti tentarunt vincere reges;
 Fortior invictis regibus illa fuit.
Nunc juvat infeſti miſcere incendia belli;
 Mox eadem leges dicere pacis amat.
Quiſquis ades, cave, ſi triſtes denunciet iras;
 Nec leviora time vulnera, quiſquis abes.
Non te ſi turris defendat ahenea, non ſi
 Multo cinctus eas milite, tutus eris.
Ultima nil etiam turantur fata ſepultos;
 In tumulo manes irrequieta petit.
At non uſque nocet; nihil illa mitius uſquam eſt,
 Si velit; illecebras, queis capiaris, habet.
Blandiri didicit; veros jurabit amores:
 Manſuramque canet tempus in omne fidem.
Tu nimium ne crede tamen, jurata fefellit;
 Notaque conſtanti mobilitate ſua eſt.
Nec tibi tam variis Proteus amat ire figuris,
 Ipſa parum ſimilis, quàm ſolet eſſe ſui.

Eſt aliquis veſtrum, Auditores, qui

Digitized by Google

tam expreſſis adumbratam coloribus Linguam non agnoſcat? Imò Lingua eſt: *C'eſt la Langue*. Linguam exhibemus in Fœmina, in Fœmina Principe, in Abigaili.

Lingua cur in Fœmina Prima Ratio ſimilitudinis.

At enim Linguam in Fœmina cur pingimus? Rogatis; ecquid naturam Linguæ repræſentet feliciùs quam Fœmina? Quod de Luſcinia volucri quidam apud Plutarchum dicebat admirans, *Vox, inquit, tota es, prætereaque nihil*; hoc idem pœne Poeta non inelegans ſepulcro Mulieris olim inſcripſit.

Quiſquis ades, tumulo ſi quid condatur in iſto
Noſſe cupis; paucis accipe, Lingua fuit.

Secunda Ratio ſimilitudinis.

Velox indoles Fœminæ, præceps, agilis.

Dic age, quid toto eſt Lingua velocius orbe,
Cum ſemel eloquio præcipitante ruit?
Non ſic aggeribus torrens effuſus apertis
Aut rapida fertur concita puppis aqua.
Non ſic præpetibus luctantes flatibus Euri
Aerias ſoliti pervolitare plagas.
Nunc age quiſquis eris, properantem ſiſtere Linguam
Aggredere, aut lentas, ſi potes, adde moras.

Tertia Ratio ſimilitudinis.

Velocitati & agilitati affinis eſt quàm maximè levitas & inconſtantia: quam rectè, an ſecus arguant in Fœmina, qui cum Virgilio loquuntur, *Varium, & mutabile ſemper Fœmina*, videat, qui volet: at, ut ut eſt mirum quàm bellè levitas & inconſtantia cadant in Linguam.

Quæ meritos hodie tibi Lingua impendit honores,
Cras eadem immerito ſors maledicta dabit.

Quarta Ratio ſimilitudinis.

Næ ſeverus ac cenſorius præter modum Cato, qui Fœminas fræno coercendas olim dictitabat! Palinodiam haud dubie caneret, Auditores, ſi fuiſſet noſtrum hoc in ævum dilatus. At, quod dixit ille de Fœminis ſui temporis, quàm pulchrè cum Lingua noſtra congruit. Etenim

Frenum adhibe, & vinclo Linguam conſtringe tenaci;
Ni facias, damnis ſolvitur illa tuis.
Multa quidem feret hæc aliis incommoda; damno
Sed tamen auctoris mox redimenda ſui.

Quinta Ratio ſimilitudinis.

Arcani impatiens Fœmina vulgò dicitur. Et hæc Linguæ indoles, ut arcani religionem vix norit.

Quiſquis in infidam ſolitus conſurgere Linguam,
Neſciat arcani quod retinere fidem.
Parce queri: hoc Linguæ ingenium eſt: hinc Lingua vocari
Incipit, arcanum qui reticere nequit.

Sexta Ratio ſimilitudinis.

Maledicam eſſe Fœminæ indolem obtrectatores Philoſophi quidam diſputarunt; abſit ut ego malevolorum cavillationibus aſſentiendum putem. At Linguæ non eſt maledicum modò ingenium, Auditores, ſed etiam neſcio quo accidit fato, ut nulla re magis quàm maledicendo arrideat.

Quæ fruſtra ſtuduit laudando Lingua probari;
Mox eadem incipiat carpere, Lingua placet.

Septima Ratio ſimilitudinis.

Bellici cauſa incendii Fœmina plerumque extitit, Auditores; atque ut diſſimulare hoc velim, loquitur ſatis vel unum Trojæ excidium.

Inclyta quæ rapidis quondam ignibus Ilios arſit,
Hæc hodie, ſineret Fœmina, ſtaret adhuc.

Fatalis utinam venefici monſtri Lingua nihil univerſo orbi nocuiſſet; quàm alta etiamnum pace frueremur.

Dulcia per placidas regnabant otia terras;
Otia quid pepulit dulcia? Lingua fuit.

At,

Digitized by Google

Linguæ in Fœmina Principe. At, at non unam aliquam Fœminarum è vulgo, ſed Principem in hac Tabella Fœminam exhibemus. Neque vulgaris eſt Linguæ conditio, Auditores.

Prima Ratio ſimilitudinis.

> Quem penes arbitrium eſt leges & jura ferendi,
> An non Imperii nomen & omen habet?

Secunda Ratio ſimilitudinis. Sua Principem Fœminam ornat Purpura. Neque illud, quod solorum olim fuit Principum, Linguæ ornamentum abeſt.

> Olim purpurei, ſi Regum inſignia, cultus;
> Inſita Quam decorat purpura, qualis erit?

Tertia Ratio ſimilitudinis. Adſunt Fœminæ Principi ſtipatores Corporis.

> Protegit & Linguam denſo circum agmine miles.
> Hoſtis es? ah! caveas, ſpicula miles habet.

Quarta Ratio ſimilitudinis. Viden' ut ad imperium Fœminæ Principis totus convertat ſe ſe famulantum comitatus; & imperantis juſſa impleat?

> Imperium Linguæ vis noſcere? regia verbum
> Lingua ſonet: quantus fervet ubique labor.

Linguæ in Abigaili. Quid vobis videtur, Auditores? an non iſta ſatis bellè congruunt? Sed non video, quærat veſtrum aliquis, quid Linguæ cum Abigaili, quid Abigaili cum Lingua convenientiæ ſit? Nulla mora eſt, hoc ipſum eſt quod promiſimus; accipite.

Prima Ratio ſimilitudinis. Audierat Abigail iratum Nabalo conjugi ſuo Davidem properare armata manu, ipſum ut perderet.

> Continuo feſtina ruit, cultuque volutans
> Supplice, Davidis procidit ante pedes.

Nec ille cultus humilis ac ſupplex tam alienus eſt à Lingua, ut ad eum accommodare ſe ſe aliquando non cogatur.

> Imperioſa licet, ſi fors, caſuſve requirat,
> Cernitur ad multas Lingua venire preces.

Secunda Ratio ſimilitudinis. Confidentem enim vero Fœminam, quæ tam infenſum Marito ſuo Principem aggredi non dubitet! Quanquam....

> Si reus eſt conjux, nil fecit criminis uxor:
> Ille nocens Regi diſplicet, illa placet.

Talis eſt Linguæ conditio, cujuſcumque tandem partes tuendas ſuſceperit.

> Cauſam etenim dum ſontis agit, ſi diſplicet ille,
> Certa patrocinio Lingua placere ſuo.

Tertia Ratio ſimilitudinis. Neque ſatis eſt, quod Davidi placuit Abigail, niſi eundem ad commiſerationem excitet.

> Ut ſtetit, atque datum eſt oculos & Principis ora
> Cernere, nulla mora eſt, aſpera corda domat,
> Haud aliter dulci eloquio dum perſonat aures,
> Pectoris inſinuans intima, Lingua ciet.

Quarta Ratio ſimilitudinis. Obſtinatum Nabali in perniciem Davidis animum ira flectit Abigail, veniam ut impetret.

> Advolat inviſo pœnas ſumpturus ab hoſte:
> Proh! quàm triſtia te fata, Nabale, manent!
> Sed quid ego hæc? nimiùm ô felix hac conjuge conjux;
> Obvia vix Regi ſe tulit, arma cadunt.

Parem in Lingua potentiam agnoſcite, Auditores.

> Nequicquam impatiens odioque accenſus amaro,
> Terribili ſævas ſpargis ab ore minas.
> Fundat opes victrix facundia, leniet iram,
> Docta vel iratos flectere Lingua Deos.

Lingua Doces ac Habetis in toto Abigailis comitatu

Vitia in Aligallis comitatu.

tu varias Linguæ dotes aut etiam vitia. In Pueris nativum Linguæ nitorem & leporem agnoſcite; quem neque diſſimulationis fallacia, neque fucus adulationis infecit. In Pueris nimirum ipſa natura loqui Auditores; Atque hinc eſt, ut Pueri Lingua quidquid protulerit, excipiatur lubenter, placeat, collaudetur.

Nitor ac Lepor.

Scilicet eſt teneris candor ſincerus in annis.
Et ſimplex blæſo ſpirat ab ore lepos.
Tuque jocos quamvis deriſor ſpreveris omnes,
Quos Puer ediderit, plauſeris ipſe jocis.
Namque fidem in reliquis dubiam quæ plurima vulgò
Ars facit, in Pueris non habet ulla locum.

Elegantia & affectatio.

In puellis iſtis quæ, Poeta teſte, dum pectuntur, dum comuntur annus eſt; pexa compta, & quæ plurimùm huic affinis eſt, affectata Lingua exhibetur. Non eſt tam infrequens illud Linguæ genus, quæ, dum ſermonis leporem, elegantiam, aculeos venatur curioſiùs, in frigidos ſales & ſcurriles jocos degenerat.

Vult lepidus, vult & feſtivus Cerdo videri;
Jactat & inſulſos prodigus uſque ſales.
Si placuiſſe voles, ah deſine velle placere.
Vix placuit, ſemper qui placuiſſe velit.

Tamen hominum id genus, qui retuſis ejuſmodi acuminibus rimantur politioris ingenii famam, ni te plauſorem ſenſerint, mirùm quàm graviter offendantur. At quam iniquum illud eſt Auditores!

Seu quid ſcripſiſti, ſeu quid nugatis ineptè,
Continuò vis me plaudere, Cerdo, tibi.
Non faciam; vel ſi plauſum exigis; eja age, ſaltem
Dic aliquid, plauſum quod metuiſſe queat.

Barbaries ac Rusticitas.

Quibus illi veniunt ab oris tam fuſco aduſtoque vultu? Papæ! quam inculti illi ſunt atque horridi! commodè nihilominus, Auditores. Barbariem illi, impolitiam, ruſticitatem Linguæ deſignabunt.

Ne qua perorandi veniat tibi dira cupido;
Æternùm potiùs, ſi ſapis, Aula, tace.
Quos etenim, licet ipſa crepes oracula, longè
Non fuget incultis ruſtica lingua ſonis.

Munera.

Quanquam præſto eſt rudis ac impolitæ Linguæ temperamentum, Auditores, & ſalubre adverſus Barbariem ſermonis antidotum, magna & pretioſa munerum copia.

Grande peris, nec adeſt facundia: munera defer,
Sat bellè loquitur, qui dare multa poteſt.

Orabunt illi cauſam feliciter, &, ritè ſi quid auguror, etiam perſuadebunt.

Blanda perorantem comitentur munera Linguam:
Inveniet dictis, ne dubitate, fidem.

Quid ſuſpectus vobis ego ſum? Poetam audite.

Munera crede mihi placant hominesque Deosque,
Placatur donis Jupiter ipſe datis.

Flores & ornamenta.

In Floribus, Auditores, habetis floridum Linguæ genus: ſuos etenim flores habet Lingua, quibus illa, dum utitur parcè, in pretio eſt, eoſdem ſi præter modum adhibet, faſtidium parit.

Florida fit; florum & varios imitata colores
Tentet odoriferum Lingua referre decus.
Attamen ah! nimios parcat decerpere flores;
Ipſa etiam florum copia ſæpe nocet.

Oculi Diserti.

Quid illa ſollicitis adeo atque hiantibus oculis? An tacet, an loquitur,

Au-

Auditores? equidem ſilet Lingua, oculi quàm diſertè loquuntur! Hæc natura oculorum eſt ſcilicet, ut Linguæ vices obeant, & ipſa tacente ac repugnante etiam Lingua, ſecretos animi receſſus palam efferant.

Si te cura coquit, fervetque in pectore vulnus,
Nequicquam tentas diſſimulare malum.
Quidquid erit, ſenſus ſi prodere Lingua recuſat
Arcanos, oculi perdidicere loqui.

Digiti loquaces. Etiamne loquitur illa micantibus digitis ac tripudiantibus? quidni autem? neſcitis eruditos probè digitos fuiſſe, ut loqui poſſint? & Linguæ vitium, vel impedimentum, cùm opus eſt, ſuppleant?

Si natura negat, digitos ars docta loquaces
Fecit; & articulis eſt quoque Lingua ſuis.

Taciturnitas. Atenim dum hic loquuntur omnia, cur ille ſilet unus, Auditores? &, applicito etiam ad os digito, videtur ſilentium imperare? Quanquam fallimur; loquitur ille multa, dum ſilet, & ſilentium ipſius garrula quacumque Lingua diſertius eſt. Sed quid tamen loquitur? Avetis ſcire, video, & ſilentium veſtrum id loquitur ſatis. Bene eſt, auſcultate mecum..... Audiiſtis grande documentum quod inſtillat auribus? Magna virtus, inquit, Taciturnitas. Vocem auream, Auditores! Etenim quàm multa præſtat bona taciturnitas.

Dum tacet inſulſus poterit cordatus haberi;
Is morbos animi namque tacendo tegit.

Contra omninò evenit, ſi fuerit idem loquacior, quàm par ſit.

Cum tacet, haud quidquam differt ſapientibus amens.
Stultitiæ eſt index garrula Lingua ſuæ.

Effectus Linguæ. Reſtat ut effectus Linguæ diverſos noſtra hac in Tabella inveniamus: Quàm commodè illi ſe offerunt, in Davide regioque comitatu feliciter expreſſi. Viden' ut commovetur ultro Princeps optimus! ut exorari ſe patitur! Placatio. Hic effectus Linguæ primarius Auditores, qui non poterat in quemquam meliùs quàm in Davidem cadere. Tamen ita ne Lingua mulieris cordatum virum inflectat, & eripiat ſtatim arma de manibus? Imò quo quis melior ac generoſior eſt, eo condonat iras lubentiùs, & faciliùs exarmari ſe ſinit.

Ne vinci pigeat: quiſquis miteſcere neſcit,
Ipſis corda gerit barbariora feris.

Indignatio. At cur è contrario indignatur ille? Quid eſt, ò bone? non habet hæc tam diſerta mulieris Lingua, tibi quod placeat? .... Cauſam ego ſuſpicor, Auditores: prædam expectabat ex Nabalis ſpoliis copioſiſſimam; ſpe eum ſua fruſtratur Abigail; hoc illum angit, hoc excruciat. Idipſum eſt quod quotidie accidit; nihil ut oderint pejus qui litigant, quam ſi rem habeant cum Lingua diſertiſſima.

Cur dolet Albinus, cur abnuit edere plauſum,
Quem docti meruit Lingua diſerta viri?
Perdidit Albinus Lingua ſub judice cauſam:
Plauderet ah! ni tam Lingua diſerta foret.

Admiratio. Ut obſtupeſcit iſte totus, ut gaudio geſtit admirans! Neque de nihilo eſt, Auditores. Tamen noli tibi nimiùm plaudere, Abigail. Eſt enim illud impolitæ pariter ac politæ Linguæ fatum, ut eoſdem plerumque admiratores inveniant.

Omnia miratur Philomuſus, & omnia laudat.

Digitized by Google

Uſque vel in nugis plauſor ineptus adeſt,
In pretio ſi non potuit ſapientibus eſſe;
Hoc agit, inſulſis ut placuiſſe queat.

Æmulatio. Hic autem qui limis Abigailem oculis reſpicit, aut ego fallor, aut diſertioris politioriſque Linguæ æmulatior eſt. Ignoſcendum id quidem, Auditores: nam quis ad eam laudem non aſpiret?

Senſi egomet, quid enim toties experta fateri
Pœniteat, vel cur ſtimulos, quos æmula virtus,
Et laudum juvenilis amor ſub pectore vertit,
Diſſimulem, tacitaſque preces & vota recondam?
Senſi egomet, magno quoties plaudente ſenatu
Orantem cauſas, & Regia jura tuentem.
Auribus his hauſiſſe datum eſt, ò ſi mihi forte,
Dicebam, arcano curas ſub corde volutans;
O mihi ſi, matura virum cum fecerit ætas,
Par decus Eloquii, doctæ par gratia Linguæ
Contigerit! Si purpurea ſpectante corona
Mulcerem attentas Orator Regius aures!
Non ego, credo equidem, tali cum munere, fanus
Contulerim, quotquot dives Pactolus arenas
Torquet agens, vel quas felix habet India gazas.
Tantùm vel teneras incendit gloria mentes!

Hujus porro ſortis lætiſſimæ felix jam mihi gratularer augurium, Auditores; ſi noſtra hæc qualiſcumque Lingua vobis placuiſſet.

FLETUS AC RISUS IN NASCENTE CHRISTO ADUMBRATUS.

TABELLÆ ARGUMENTUM.

Fletus ac Riſus cum Puero Converten...

TAbella natum recens in ſtabulo Infantem Chriſtum repræſentabat. Circumſtant Pueri cunas pia mater defixis in filium oculis, Joſephus admiratione plenus, & curioſa Paſtorum turba ſuis certatim munuſculis Divi pueri ærumnas & egeſtatem ſublevant. Deſuper cernuntur Cœleſtes Genii plaudentes ſacris natalibus, & fortunata miſeris mortalibus gaudia gratulantes.

Tabellam proponebant & explicabant Fratrum par nobile D. D. De Voyer d'Argenſon * quos inter ingenioſa inſtituitur concertatio, dum natu major Fletum in Tabella, minor Riſum adumbrari defendunt.

* Ambo Conſiſtoriani Comites.

1. Flet Puer; quis fletum abſterget?

2. Fletum apage, Frater; nihil hìc video, quod Riſum non ſpiret.

1. Imò; nihil hic ſe offert præter lachrymas, & magnum flendi argumentum.

2. Sentio: gravitas indolis tuæ, & præter ætatis ſortem auſtera, nihil tibi niſi ſerium & luctuoſum objicit, ubi læta ſunt omnia, & ad hilaritatem comparata.

1. Fa-

Digitized by Google

1. Facit viciſſim natura ingenii tui feſtivior fortè, quàm par eſſet, ut ridendum exiſtimes, ubi foret collachrymandum.

2. Cave, ne Heraclitum hic agas, Frater.

1. Tu vide multo æquiùs, ne Democritum exhibeas.

2. Vereor ègo, ut Heraclitus habeat multos, qui fl ere cum ipſo velint.

1. Poſſit habere pauciores Democritus, quibus riſum excutiat.

2. Riſus placet ex ſe ſe.

1. Nec ſua deeſt lachrymis gratia.

2. Nihil ego novi lachrymis triſtius, neque, ſi quando, ut humanum eſt, flere mihi contigit, memini quidpiam durius pati.

1. Credo: at parcam dicere; quòd fortè riſeras ineptiùs. Paucorum eſt, mihi crede, Frater, ridere decenter & opportunè.

2. Experiamur uter noſtrum rideat, an fleat decentiùs. Ego non invidebo tibi lachrymas tuas; Tu noli meos mihi riſus invidere.

1. Ego in Tabella noſtra ajo Fletum adumbrari.

2. Ego Riſum exhiberi contendo.

Fletus ac Riſus cum Puero Convenientia.

1. Quàm bellè fletus in Puerum cadit!

Vix bene inexperti venit ſub luminis auras,
Flet Puer; heu! fati conſcius ipſe ſui!

2. Quàm bellè riſus Puero convenit!

Exoreris, riſuque ambis cognoſcere matrem,
Jam ſentis, orbi gaudia quanta paras!

1. Puero quid infirmum magis? Imò hæc ætas infirmitatis ipſius ſpeculum eſt.

Hinc gemit; hinc plorat; rivo fluit inde perenni,
Quæ teneras urget lachryma multa genas.

2. Puero quid amœnum magis? Imò nuſquam eſt, niſi in hac ætate regnet amœnitas.

Hinc labra ſolvuntur tenero puerilia riſu;
Hinc geſtit labris oſcula ferre parens.

1. Quot fletus Pueri pariunt naſcendo parenti!
Et fuimus tanti pars quoque multa mali!

2. Quot riſus pueri pariunt naſcendo parentes!
Et fuimus tanti pars quoque multa boni.

1. Quod Tibi vindicas tanquam tuum, Frater, peperiſſe parentibus gaudium, noſtrum eſt efficere, ne gratis dixiſſe videaris.

Scilicet indecores dum filius exigit annos
Degener, heu! fletus quot movet inde patri!

2. Nihil utrique noſtrum, Frater, ab ea parte metuendum eſt.

Dum patris, quo magna vocant, exempla ſequemur,
An poterit riſus continuiſſe ſuos?

1. Saltem non negabis eſſe Pueri indolem ad lachrymas propenſiſſimam.

Fare age, dic quoties juveniles multa per annos
Viſa ſit ex oculis rumpere gutta tuis?

2. Vix memini me flere, nec eſt ſua gratia fletu,
A teneris placuit Riſus & uſque placet.

1. Cuncta movent puero lachrymas; vox læſerit aures,
Fletus in exhauſto fonte per ora cadit.

2. Cuncta movent Puero riſus; blandire; puellus
Riſus erit totus, qui modò Fletus erat.

Fletus ac Riſus cum Chriſto convenientia.

1. At, noli errare, Frater. Puer hic non eſt unus aliquis è liberis mortalium, qui puerilia ſapiat. Puer idem & Chriſtus eſt. Chriſtum porro quis dubi-

dubitet, totum eſſe ad fletus comparatum?

Chriſtus ab æthereo venit, delapſus Olympo,
Eluat ut lachrymis crimina noſtra ſuis.

2. Imò: Chriſtum ego lubentiùs credam factum ad lætitiam noſtram, unde tu factum ad dolorem arguis.

Orbi dum revehit cœleſti munere pacem;
Intulit & riſus ille, quot orbis habet.

1. In quantas creſcis, Puer ò Divine, ruinas!
Fletus heu quanti cauſa future, Puer!

2. In quantam creſcis, Puer ò Divine, ſalutem!
Quanta ò lætitiæ cauſa future Puer!

1. Chriſtus fleviſſe legitur, Frater, riſiſſe nunquam.

Ite leves riſus, Chriſtus jubet, ite cachinni
Longiùs, exemplo vos fugat ille ſuo.

2. Eſto, Frater; at ſibi Chriſtus dum luctum vindicat, nobis ſervavit lætitiam.

Ite procul luctus, Chriſtus jubet, ite dolores;
Eximit à nobis, quod ſubit ipſe, malum.

2. Atenim obſtinas Riſum dicere in Puero inope & algenti adumbratum?

2. Obſtino enim vero. At tu, Frater necdum incipis in ipſo lætitiæ fonte Riſum agnoſcere?

1. Atqui Judices habemus in hoc conſeſſu omnium ordinum integerrimos; ad ipſos provoco; ferant ſententiam.

2. Non detrecto vadimonium, judicium non recuſo certus vincere.

1. Quorſum iſthæc confidentia?

2. Dicam audacter, nemo eſt, qui riſoribus non ſuffragetur.

1. Habent lachrymæ unde Judices inflectant.

2. Nihil promovebis. Non ii ſunt, qui in re ludicra lachrimari ſuſtineant.

1. Et eos tu arbitraris, quibus Riſum tam facile extorqueas?

2. Pertentabo.

1. Ergo pergamus ad cætera. Habes in Puella matre decentem Fletum. Variæ Fletus ac Riſus affectiones in variis vitæ periculis adumbratæ.

Aſpice: virgineos humectat lachryma vultus;
Flet natum; nato flebilis ipſa ſuo.

2. Habes in decora Virgine decentem Riſum.

Aſpicis ut rictu diducit labra modeſto;
Ridet, & ingenuus perſtat in ore decor.

1. Flere mulierum eſt, Frater. Habent illæ inexauſtum lachrymarum receptaculum; quod laxant, aut continent pro arbitrio.

2. Apage lachrymas in mulieribus, quas magis decet ridere.

2. Neque tam dedecet Fletus mulieres. Habemus domeſticum exemplum in matre. Meminiſtin', Frater?

2. Putas Parenti gratum fore, ſi arcani doloris indicia retegantur?

1. In tuto ſumus, Latinè loquimur. Neque erit hic quiſquam ex omnibus qui rem deferat.

Vidi ego cum raptum lugeret funere Fratrem.*
Flebat; & à fletu gratia major erat.
Multa ferebatur per triſtes lachryma vultus:
Quæque ferebatur lachryma, gemma fuit.
Purpureis illapſa genis ſic gutta nitebat;
Ut matutinus ros ſolet eſſe roſis.
Nil nocuit madidis oculis argenteus humor,
Fonte ſed in medio par quoque flamma fuit.
Vos tamen, ò Superi, lachrymas prohibete decentes;
Nec matri deinceps cauſa ſit unde fleat.

* C. de Caumartin Conſiliorum Comes.

2. Vidi ego cum teneris nato arrideret ocellis.
Mater, & à riſu gratia major erat.
Nam

Nam bene vix rictu diduxerat ora decoro ;
Cum nova diducto ſederat ore Charis.
Fulſit ebur, politi nituere ex ordine dentes ;
Mite ſupercilium, fronſque ſerena fuit.
Ruga fuit mento, mentum quoque ruga decebat :
Et fodit teretes bina lacuna genas.
Sæpe mihi placido ſic annuat optima riſu !
Sic mihi, ſic formæ conſulat ipſa ſuæ.

1. Hìc te manebam, Frater. In ſene flebilem dico moroſitatem adumbrari.

2. Ego præpoſteram hilaritatem.

1. Flete, ſenes ; veſtris apta eſt ea fletibus ætas ;
Riſorem canis non decet eſſe comis.

2. Quin potiùs ridete, ſenes ; ridere ſalubre eſt :
Credite, longævum res facit illa ſenem.

1. Feſtivus ridenda ſenex ſpectacula præbet ;
Non capit effuſos ruga ſevera jocos.

2. Moroſus, res dura, ſenex : ridendo ſenectæ
Et frontis reficit triſtia damna ſuæ.

1. Vide, Frater, ne ridendi fines excedas, qui ſenibus riſum imperes.

2. Quidni autem ? Ego ridere omnes velim & me unum inter cæteros.

1. Hunccine Ruſticum ut putes ridere?

2. Ridet ædepol: at ruſticè.

1. Flet mehercule ; ſed illepidè atque ingratiis.

Eſt ſua ruſticitas flendi ; velut æthere ab alto
Nubilus horriſonæ depluit imber aquæ.
Eſt qui ſingultu quatit ilia larga ſonanti :
Ut mugit rapto bos viduata viro.
Eſt qui ſtridet hians & quiddam inamabile plorat ;
Ut rudit ad ſcabram ſegnis Aſella molam.
Ille gemens tremulis ploratibus ora reſolvit :
Devia ut attrito gutture balat ovis.

2. Eſt ſua ruſticitas ridendi ; qualis ab alto
Tinnula vere novo grando repente cadit.
Eſt qui robuſto ridens quatit ilia niſu,
Credas indomitam voce tonare bovem.
Hic aperit patulo reſonantia guttura rictu ;
Ut ſolet Arcadicum rudere fauce pecus.
Eſt, aures etiam riſu qui ſtringat acuto
Ut læta arguto gutture balat ovis.

Satin' commodè, Frater, pro fletibus illepidis rependi riſum inconcinnum?

1. Viden' hunc corpore cernuo & afflicta ad terram fronte. Flet, ſed flere videri non amat.

2. Imò ridet ; ſed ridere refugit videri.

1. Multos flere palam gravitas vetat ; ejice teſtes :
Plurima in occulto cauſa dolenda venit.

2. Et multi ridere palam gravitate recuſant ;
Indulgent hilari qui, ſine teſte, joco.

1. Illa ſupplex mater ad quid filium erudit?

2. Ad riſum ſcilicet?

1. Imò ad Fletum.

Crede mihi lachrimæ exorant hominesque Deoſque;
Victa Deum lachrymis ira furorque cadit.

2. Et riſus Superos hilarant : ſi riſeris aptè,
Victa locum cedet mollibus ira jocis.

1. Sentio: non evincam, ut mecum hodie flere velis.

2. Non obtinebis, ita vivam, ubi tanta ridendi copia ſe objicit. Vides hanc mulierem? præit illa riſoribus.

Provocat ad riſum ridendo ruſtica Phillys:
Ridendi ſequitur turba jocoſa Ducem.
1. Phillyda ridentem ſperno : quæ ridet ineptè,
Non riſum, lachrimas ſed magis illa ciet.

2. Cer-

Digitized by Google

